DE ANVLIS ANTIQVIS

Librum Singularem:

In quo diligenter explicantur eorum Nomina multa, Pri-mæua origo, Materia multiplex, Figuræ complures, Cauſa Efficiens, Fines, Vſusve plurimi, Differentiæ, Virtutes admirabiles, Magnitudines, Pretia, Multitudo, Geſtatio, Locus, Conſeruatio, Deperditorum inuentio, Solemnisque reſtitutio Dominis, Ablatio violenta, Depoſitio ſpontanea, Traditio charis, Legatio, Fractura, & Contumulatio cum cadauere priſcis temporibus.

AVTOR

FORTVNIVS LICETVS GENVENSIS

EX L. COM.

In Archigymnaſio Bononienſi Philoſophus Eminens

EMINENTISSIMO PRINCIPI

IO: BAPTISTÆ

CARDINALI PALLOTTO

DEDICAT.

Bibliothecæ Coll. Rom. Soc. Jesu

BIBLIOTECA NAZIONALE V.E. ROMA

VTINI, Typis Nicolai Schiratti. MDCXLV.

SVPERIORIBVS ANNVENTIBVS.

BIBLIOTECA NAZIONALE V.E.
ROMA

EMINENTISSIMO PRINCIPI IO: BAPTISTÆ CARDINALI PALLOTTO.

ROMA

Fortunius Licetus B. A.

PReclaræ Magni Animi Tui dotes, Eminentiſſime Princeps, quibus pridem & in Luſitaniȩ Regno Collector, & apud Cæſarem in Germania Nuncius, & in Ferrarienſi Ducatu Legatus Apoſtolicæ Sedis effulſiſti: necnon a multis annis nunc in Aula Romana clues, fortunam dignitate, dignitatem ſplendore, ſplendorem humanitate cum augens, tum ornans & illuſtrans: Vt iure merito Te inter probos Optimum, inter Iuriſconſultos peritia prudentia iuſtitiaque ſingularem, & inter Operarios Chriſtianæ Fidei laborioſum ac indefeſſum conſtituerint; quem omnes probi gnarique Viri certatim prædicant encomijs, omnibusque ve-

nerantur obſequijs: & (quod maximum eſt) Summus Pontifex, INNOCENTIVS X. Princeps incomparabili ſolertia pollens, Orthodoxorum Reipublicæ diuinitus hoc æuo conceſſus, ferreum ſeculum in aureum plane conuertens, inter paucos Heroas Eccleſiæ ſupremis Vrbis & Orbis negocijs prudentiſſime Præpoſitos adnumerare voluit: Ita comitas illa mira, qua cunctos affabili ſermone ſuſcipere ſoles, ſpeciatimque benignitas incredibilis, qua me pridem in Tuam clientelam recipere, receptumque fouere dignatus es, adeo me ſibi mancipauit, vt quum omnia mea ſtudia Nomini Tuo deberi cognoſcerem, diu cruciatus animo fuerim me nihil ad manus habere Tua dignum Eminentia, quod publicum obligationis æternæ meæ teſtimonium apte poſſet exiſtimari. DE ANVLIS ANTIQVIS elucubratio tandem mihi defluxit e calamo, quam non imparem omnino cenſeo propoſito meo, qui videam apud vetuſtiores Anulum æternitatis eſſe ſymbolum pariter & obligationis atque ſeruitutis: quin & non ſolum honoris ergo dari conſueuiſſe, geſtarique Magnatibus, verum etiam digitis Summorum Principum Deorumque frequens inſeri. Tu, Clementiſſime Domine, leuidenſe munus hocce meum, non ab ipſius

do-

donarij tenuitate, ſed a magna offerentis voluntate, ſummaque veneratione congruum iudica, quod tholo templi Gloriæ Tuæ ſuſpendatur: Licetumque tuo patrocinio dudum exceptum perpetuo foue, qui Te Patrono & auſpice non metuit ſæuientis fortunæ procellas. Deus Optimus Maximus diutiſſime nobis Te ſeruet incolumem, atque tandem ad illud Gloriæ faſtigium extollat, cuius Te digniſſimum reddunt ingentes, innumeræ, præcelſæque virtutes illæ Tuæ, quæ cæleſti lumine fultæ, potentiam in armato brachio ſortitæ diuinitus, flagello funiculi triplicis, fracturam non extimeſcentis, ad rectæ regulæ normam, ferratis orbibus horrificis omnia vitiorum monſtra non perdomare ſolum, ſed ad interitum verberata penitus extinguere nunquam non conſueuerunt. Vale, Purpuræ, Literarumque decus, meumque præſidium.

Alluſio ad Stemma Principis Eminētiſs.

Dabam Bononiæ, Anno Salutis MDCXLIV.

Typographus Lectori.

SI ſententias Græcanicas, ab Autore proprijs elementis delineatas, ego Latinis characteribus impreſſi, benigne Lector, æqui bonique conſulas velim, ac excuſes; etenim minutioribus illis literulis Græcis, quæ noſtratibus Garamonijs appellatis magnitudine apte reſponderent, omnino deſtitutus, coactus fui mutuatis e Latio figuris uti; nunc imitatus antiquiores illos, qui Dictys Cretenſis hiſtoriam belli Troiani Græco ſermone contextam, ob Atticarum literarum penuriam, Punicis characteribus deſcriptam inuulgauerunt; vt ad Aradium ſuum ſcripſit olim Q. Septimius apud Dionem Siculum. Vale, & mea qualicunque opera nunc vtere.

Adde pag. 15. lin. 44. poſt dictionem, *inquinarentur*.

Quod aperte Lucianus teſtatur in Dialogo Mortuorum inducens Diogenem Polluci dicentem: Dio. *Lacedæmonijs autem tuis hæc, ſi videtur, nomine meo obijcias: molles & eneruatos ipſos eſſe dictitans*. Poll. *Ne de Lacedæmonijs, Diogenes, quicquam dicas; non enim feram: ſed quæ ad ceteros mandaſti, ea illis renunciabo*. Dio. *Miſſos igitur faciamus hos, quando tibi ita videtur. Tu vero, quibus antea dixi, ad eos ſermones hos meos deferas*. Vnde conſtat per orbem Lacedæmonium ſaliua lubricatum apud eos, qui vocibus obſcænis, & omni libidinis arte pridem vtebantur, Iuuenalem ſeculi ſui vitia venerea turpiſſima taxantem intelligere fœdam corporis partem anum, quam Galenus anulum appellat, & circulum, ac orbem; inquiens tum in Introductorij ſui cap. 10. *Recti inteſtini orificium per ſedem prodiens, quo excretionem, quum lubet, retinemus, Anulus a figura, ab officio Strictor vocatus eſt*. tum in anatomicarum adminiſtrationum lib. 6. c. 14. *Eo igitur tempore, quo animal aluum exonerat, omnes abdominis muſculi pariter cum ſepto pro communi omnium muſculorum functione tenduntur, orbiculari muſculo relaxato, qui circulatim ſedem complectitur: reliquo omni tempore circularis hic muſculus conſtrictus ſedis os occludit*.

Pag. 150. lin. 26. in f. *Adde*. Plutarchus in Gracchis ait de Tiberio: *Templum Saturni Anulo ſuo conſignauit, ne quid Quæſtores inde vel ſumerent, vel inferrent: aſcripſitque mulctam, ni parerent, Prætoribus. Ita territi omiſerunt omnes ſuorum quiſque officiorum partes*.

Index, ac ſeries Capitum huius Operis.

PRæfatio. pag. 1

De nominibus varijs Anulo pridem impoſitis, & eorum etymologia: deque Senis, Anus, & Silicernij phyſica ratione nominali. Cap. I. 1

De Anulorum antiquitate, ſiue primæua origine: quam in Prometheo non eſſe ponendam, nec in prima ſeruorum manumiſſione, nec in Principum inſigni, ſed in origine ſeruorum vetuſtiſſima, demonſtratur. Cap. II. 16

De Anulorum materiali cauſa multiplici: vbi digreſſio de Magnetis vi tractiua ferri, conuerſione ad polum: deque natura Succini. Cap. III. 27

De cauſa formali, ſiue de figura Anulorum. Cap. IV. 32

De Anuli cauſa effectrice; ſpeciatimque num præter Artem, Natura faciat Anulos, quos, quomodo, & vbi. Cap. V. 38

De cauſa finali Anulorum, & primum de ſeruitutis indicio. Cap. VI. 44

De ſecundo fine Anuli ad matrimonium, ſeu de Anulo pronubo ſponſæ. Cap. VII. 47

De Anulo diuortij, ſeu cælibatus, & caſtitatis. Cap VIII. 54

De Anulo Amaſij s pueris ab amantibus tributo. Cap. IX. 54

De Anulis ad arrham & pignus rerum ferme omnium. Cap. X. 55

De Anulo ad indicium rei peragendæ. Cap. XI. 56

De Anulo ad experimentorum notam. Cap. XII. 56

De Anuli fine ad reprobationem rei malegeſtæ. Cap. XIII. 57

De Anuli fine ad inſigne fortitudinis, ac omnino ſymbolū bellicæ virtutis. C. XIV. 57

De vſu Anuli ad Principatus, & Magiſtratus indicium. Cap. XV. 59

De Anulo ad ſignandum ſacculos, ſiue marſupia. Cap. XVI. 62

De Anulorum vſu apud fures antiquos. Cap. XVII. 64

De Anulis Antiquorum; vim obtinentibus contra Dæmones, & morbos, ad mirabilia ſupra naturæ vires perpetranda, & mirabiliter inuentis. Cap. XVIII. 67

De Anulis Antiquorum Phyſicis appellatis: & qua ratione mirabiles ederent operationes in corpus humanum pariter & in animum. Cap. XIX. 71

De Anulis ad venena, ſiue ad mortem voluntariam. Cap. XX. 85

De Anulis Aſtrologicis ad morbos pellendos, & ad animos mire percellendos, qua ratione vim adeo mirabilem ab aſtris habere potuerint ad aures Ariſt. Cap. XXI 87

De Anulis Magicis Antiquorum; & quomodo mirabiles effectus parerent: vbi de Paredris Anulo incluſis. Cap. XXII. 99

De Anulis ſuperſtitioſis. Cap. XXIII. 120

De Anulis ad faſcinum: & qua ratione phyſica malum id auerterent, ac in faſcinatores regererent. Deq. Anulis ad ani prolapsū, & vlcera mirabilibus. C. XXIV. 126

De Anulis Antiquorum ad ſortes. Cap. XXV. 133

De Anulis ad Nobilitatis indicium. Cap. XXVI. 135

De Anulis ad Fidem faciendam, qui ſignatorij, ſeu ſigillaricij fuere. Cap. XXVII. 138

De Anulo ad ſilentium ſecretorum imperandum. Cap. XXVIII. 147

De Anulo ad rerum cuſtodiam, ſiue ad claues. Cap. XXIX. 147

De Anulis ad ſomniorum diuinationes. Cap. XXX. 150

De Priſcorum Anulis ad ornatum. Cap. XXXI. 155

De

INDEX CAPITVM.

De Anulis ad ianuas ornandas, claudendas, pulsandas, & aperiēdas. C. XXXII. 158
De Anulo iuramenti. Cap. XXXIII. 159
De Anulis ad Artes. Cap. XXXIV. 160
De Anulis violentiæ. Cap. XXXV. 162
De Anulis priſcis ad emblemata, ſiue hieroglyphica, texentibus aureum Cornu vetuſtiſſimum nuper in Dania repertum. Cap. XXXVI. 163
De Anulo ſymbolo libertatis ingenuæ. Cap. XXXVII. 186
De Anuli vſu ad opum, ſiue diuitiarum oſtentationem. Cap. XXXVIII. 186
De Anulis ad memoriam tam exteriorem, quam interiorem. Cap. XXXIX. 187
De Anulis ad Donaria. Cap. XL. 188
De Anuli vſu ad Lipſanas, & deuotionem. Cap. XLI. 189
De Anulis ad gratitudinem, honorem, ac pietatem. Cap. XLII. 190
De Anulis ad Hoſpitalitatem. Cap. XLIII. 191
De Anuli cum infantis expoſiti fine. Cap. XLIV. 216
De Anuli vſu ad Natalitia priſca celebranda. Cap. XLV. 217
De Anulis ad illudendum ſenſibus. Cap. XLVI. 218
De Anulis ad iocum, ſiue ad luſum. Cap. XLVII. 218
De Anulorum vſu ad ſignandas victimas. Cap. XLVIII. 218
De Anulorum vſu ad Amicorum diſceſſum. Cap. IL. 219
De Anulis hæreditarijs, ſiue legatis in teſtamento. Cap. L. 220
De Anulis ad indicium hæredis deſignati. Cap. LI. 220
De Anulis ad Sponſi deſignationem. Cap. LII. 221
De Anulis ad Amoris meretricij nequitiam. Cap. LIII. 222
De Anulis ad horas numerandas, & diſtinguendas horologio. Cap. LIV. 222
De priſcorum Anulorum magnitudine. Cap. LV. 223
De pretio Anulorum Antiquorum: & de Caſtoreis a ſe teſtes abijcientibus. Cap. LVI. 229
De Anulorum numero apud Antiquos. Cap. LVII. 230
De Anulorum loco communi, ſiue qui geſtare conſueuerint Anulos, qui non potuerint. Cap. LVIII. 233
De Anulorum loco peculiari in homine. Cap. LIX. 235
De loco Anuli extra hominem, ſiue de Dactyliotheca. Cap. LX. 239
De Anulorum tum depoſitione ſpontanea: tum etiam detractione. Cap. LXI. 240
De Anulorum inuentorum antiquitus ſolemni reſtitutione Dominis. Cap. LXII. 242
De Anulorum in ſepulchris poſitione, atque contumulatione cum cadauere. Cap. LXIII. 243
De Anulorum fractione. Cap. LXIV. 248
Peroratio totius operis. Cap. LXV. 249



a 1. phyſ. t. 5.
b 2. poſt. t. 12.
c 1. de an. t. 11.
d in Cratylo.
e 11. de p̄par. euan. c. 3.


23
28
33
37

FORTVNII LICETI De Priſcorum Anulis PRÆFATIO.

QVod eloquentiæ Romanæ parens olim ad Imperatorem Lentulum ſcribere non dubitauit, ab Orationibus diſiungere ſe fere, referreque ad manſuetiores Muſas, quæ ſe maxime ſicut iam a prima adoleſcentia delectarunt: id me nunc etiam præfari neceſſe prorſus eſt; nimirum a tetricæ Mineruæ ſtudijs philoſophicis ſæuerioribus interdum deflectere, deſcendereque in amæniorem eruditionum campum, ibique paulisper expatiari ad virium animi refectionem, quo mox vegetior intellectus alacriter, ac neruoſe magis difficiliores contemplationes obire percurrereque valeat. Quanquam inter eruditiones de Priſcorum Anulis non deerunt philoſophicæ ſubtilitates, arcanaque ſapientiæ profundioris myſteria. Ceterum & eo magis hanc ornare Spartam in præſentia cogor, dum procul a mea litteraria ſuppellectili dies æſtiuos degere me nunc oportet in otio Patauino. Rem igitur aggediamur Diuinis auſpicijs.

De nominibus varijs Anulo pridem impoſitis, & eorum Etymologia, deque Senis, Anus, & Silicernij phyſica ratione nominali. Caput Primum.

NOn cuiuſuis hominis eſſe, Nomina rebus imponere, ſed viri ſapientis, qui rerum naturas, & proprietates omnes perſpectas habeat, optime dicebat in Cratylo Plato. Quum enim rei cuiuſque nomen debeat illam totam (a) indiſtincte ſignificare, cuius partes diſtincte ſingulas explicare tenetur definitio; quæ rerum (b) eſſentiam, & internas aperit (c) affectiones; propterea nominis imponendi congrue, ius habet ille ſolum, qui rerum ſubſtantiam, & proprias paſſiones agnouerit; adeoque vir ſapiens, qui Demona (d) Platone cognominatur. Quam veritatem olim apud Ægyptios diu moratus addiſcendi cauſſa, nouiſſe potuit e ſacra pagina, cuius autores (Euſebij (e) notatu) barbaros appellat, quod Græci non eſſent; etenim in ea legitur, Adamum primum hominum a Deo condi-

a 1. phyſ. t. 5.
b 2. poſt. t. 12.
c 1. de an. t. 11.
d in Cratylo.
e 11. de præp. euang. c. 3.

tum,

f Eccleſiaſt. cap. 17. — *g* Geneſ. 2. — *h* Geneſ. 11

rum, & infuſa (*f*) ſapientia donatum, recte congruentia (*g*) nomina rebus impoſuiſſe. Quum autem poſt confuſionem (*h*) linguarum amiſſa fuerit illa prima locutio; decentia denuo rebus imponere nomina non licuit niſi per eos, qui pariter entium naturas, & conditiones proprias callerent. Quum itaque nomen cuiuſque rei deducatur vel ab eſſentia, cuius eſt imitamentum, vel ab eſſentiam conſequentibus, quorum eſt declaratio (*i*) Platoni pariter, & (k) Ariſtoteli; propterea tractaturo mihi de priſcorum Anulis, primum omnium Nomen argumenti declarandum eſt. Qua quidem in re ſicuti (*l*) Plinio conſentimus, non vno, & eodem nomine nuncupari, tam a Græcis, quam a Latinis, Anulum; ita multo plura, quam quę tradiderit ille nomina reperimus, quibus eadem hæc res apud antiquos indicari conſueuit; nam ipſe quinque tantum nomina proponit, inquiens, *Peſſimum vitæ ſcelus fecit, qui anulum primus induit digitis: nec hoc quis fecerit, traditur: nam de Prometheo omnia fabuloſa arbitror: quanquam illi quoque ferreum anulum dederit antiquitas: vinculumque id non geſtamen intelligi voluerit.* Ecce iam in Latio duo nomina priſcorum, Anulus, & Vinculum. Adijcit mox Plinius. *Quamquam & de nomine ipſo ambigi video: Græci a digitis appellauere; apud nos priſci Vngulum vocabant: poſtea & Græci, & noſtri Symbolum.* En alia tria nomina, Digitalius, Vngulus, & Symbolum. Ego vero plura tum apud Græcos inuenio nomina, tum apud Latinos; etenim Conſtantinus, & Porius Lexicographi ſcribunt, (*m*) [DAKTYLIOS,] *Anulus*, & [TROCHISKOS, KYKLOS,] *apud Hippocratem.* Quæ vertuntur, *Digitalius, Orbiculus, Circulus.* Quin & quod vulgata lectio Plinij dicit *Vngulum*, corrigit marginea nota Dalechampij *Cingulum*; at Pintiani codex in Obſeruationibus habet, *Vnguinum*: quod nomen veluti diſtinctum ab Vngulo, legitur in exemplari Pliniano, quod habuit Geſnerus Onomaſtici compilator; ait enim, *Anulum Græci a digitis* [DAKTYLION] *vocant; apud nos priſci vngulum, & vnguinum vocabant: poſtea & Græci, & noſtri cingulum dixere.* Qui mox agens de Cingulo dicit, *Cingulum quandoq. pro Anulo ponitur, quod digitum circuit.* Plautus in Epidico nuncupauit Anellum,

i Cratyl. & Critia. — *k* 1. de an. t. 11. — *l* lib. 33. c. 1 — *m* in δ.

„ Lunulam, atque anellum aureolum in digitum.

n 2. ſerm. ſat. 7.

Quod nomen & ab (*n*) Horatio fuit vſurpatum; cui

„ ——————— ſæpe notatus
„ Cum tribus anellis, modo læua Priſcus inani
„ Vixit inæqualis, clauum vt mutaret in horas.

o 5. de finib. — * 2. de an. nu. 1. — *p* Hierog. 36.

& ab ipſo Cicerone ſcribente, (*o*) *Nec tamen Epicuri licet obliuiſci, ſi cupiam: cuius imaginem non ſolum in tabulis noſtri familiares, ſed etiam in poculis; & in anellis habent*: quod ſolum Anelli nomen inter tot alia priſca recepimus, & retinemus Itali. Condulum quoque, ac Condalium veteres anulum nuncuparunt, teſte Feſto, * Kornmanni notatu: Plaut. in Trin. *In Thermodolio Condalium es oblitus.* Vt iam duodecim habeamus eiuſdem rei nomina, ſcilicet Anulus, Anellus, Circulus, Orbiculus, Digitalius, Symbolum, Cingulum, Vinculum, Vngulum, Vnguinum, Condulum, & Condalium. Quibus alia tria videntur addenda, Latinorum vnum, *Sigillum*; Hebræorum duo, *Tabaat*, & *Chotam*. Quorum ratio ſigillatim explicanda eſt ex rei natura. Pierio, (*p*) *Habet ſecum Vinculi ſignificatum anulus, quod tota eius nominis originatio,*

quan-

quantum ad etymon attinet, ab AN particula deſumitur, quæ Circum ſignificat, atque adeo vinculum, aut compedum manicarumve oppreſſionem. Quam quidem etymologiam etſi cum eruditi (q) Panciroli Scholiaſte probet, ac antea multo Macrobius aſſerens, (r) *Hinc Atteius Capito Annum a circuitu temporis putat dictum: quia veteres An pro Circum, ponere conſueuerunt, vt Cato in Originibus, An terminum, id eſt Circum terminum, & Ambire dicitur pro Circuire.* Nos tamen eam non omnino laudamus, tum quod Anni etymologia ſi deducitur ab ea particula, non ideo & Anuli, quam quærimus; nam ita dicere poſſemus aliorum nominum Animal, Animus, Angelus, Anchora, & id generis, etymon habere a prima ſyllaba, quę Circum ſignificet apud antiquos; quod abhorret ab eorum nominum propria ſignificatione: tum quod Feſtus ait, *Annus ex græco venit, quem illi [ENNON] dicunt: & quod nos triennium, illi dicunt [TRIENNON.]* Iſidorus ab Anno denominari dicit aptius, & anum mulierem, quod multos obtineat annos; & anulum; quaſi anuum; ait enim (ſ) primum, *Annus autem dictus, quia menſibus in ſe recurrentibus voluitur; vnde & Anulus, quaſi annus, id eſt circulus, quod in ſe redeat.* & infra, (t) *Senex autem tantum maſculini generis eſt, ſicut Anus feminini: nam anus dicitur ſola mulier: anus autem appellata a multis annis, quaſi annoſa.* & multo poſt, (u) *Anuli autem per diminutionem dicti a circulis, & anis, quæ ſunt circa brachia, & circum crura. Vnde & ſigna eorum per diminutionem ſigilla; nam ſigna maiora ſunt, ſigilla vero quaſi minora ſigna.* Quo quidem in loco priore liceat mihi deſiderare non ſolum, ſed & requirere cauſam ab Iſidoro, cur in ætate poſtrema viri ſenes appellentur, non autem anus a multis annis, quaſi annoſi, veluti mulieres: & in poſteriore, quid indicet ipſe per anos circa brachia, & circum crura. De primo quidem arbitror impoſitores illorum nominum indicare voluiſſe duas proprietates ętatis vltimę; primo ſcilicet mortem naturalem citra violentiam ab interno calore ſenſim ſine ſenſu ſubſtantificum humidum abſumente; nec non etiam ſenſus, & intelligentię defectum: etenim, vt ait Cicero, (x) *Quid eſt tam ſecundum naturam, quam ſenibus emori? quod idem contingit adoleſcentibus aduerſante, & repugnante natura: itaque adoleſcentes ſic mihi mori videntur, vt quum aquæ multitudine flamma vis opprimitur; ſenes autem, ſicut quum ſua ſponte, nulla adhibita vi conſumptus ignis extinguitur; & quaſi poma ex arboribus, ſi cruda ſunt, vi auelluntur; ſi matura, & cocta decidunt; ſic vitam adoleſcentibus vis aufert, ſenibus maturitas.* At hoc multo prius dixerat Ariſtoteles inquiens, (y) *Eſt igitur omnibus animalibus commune generatio, & mors; modi autem differunt ſpecie; non enim indifferens corruptio, ſed habet aliquid commune; mors enim eſt hæc quidem violenta, illa autem ſecundum naturam; violenta quidem, quando principium extrinſecus fuerit. ſecundum naturam autem, quando in ipſo, & partis conſiſtentia ex principio tali, ſed non aduentitia aliqua paſſio.* & mox, *Quapropter & paruis paſſionibus aduenientibus in ſenectute, celeriter moriuntur; propterea enim quod paucum eſt calidum, velut plurimo euaporato in multitudine vitæ, ſi qua vtique intenſio fiat particulæ, cito extinguitur, quemadmodum momentanea & parua in ipſo ſlamma exiſtente, propter paruum motum extinguitur. Quapropter & ſine dolore eſt, quæ in ſenectute mors; nulla enim violenta ipſis paſſione contingente, moriuntur; ſed inſenſibilis animæ abſolutio fit omnino.* Sic ergo ſenes morte naturali citra dolorem in-

Aruli Etymon.

q 2. re. me. tit. de Legat.

r 1. ſatur. c. 14.

ſ 5. orig. cap. de annis.

t lib 6. cap. de ætat. hom.

u lib. 19. c. c. 32.

Digreſſio de ſene, & anu.

x de ſenect.

y de vit. & mort. c. 14.

tereunt ab interno principio, non ab vlla cauſa violentiam forinſecus inferente, necati, proptereaque a ſemetipſis, ac ſponte morientes; quemadmodum enim animal (z) ſeipſum loco mouere dicitur, ad inanimatorum diſcrimen, quæ docet Ariſtoteles, ab alio moueri ſemper; ita ſi loquamur de motu (a) corruptionis, homo qui mortem naturalem obit non ab externa violentia, ſed ab interno principio ſponte naturæ ſuæ, ſeipſum interimere quoquopacto dicendus eſt; quod indicare volentes antiqui ſapientes nominum impoſitores, talem hominem appellauere *ſenem*, quaſi *ſe-necantem*, vt is diceretur *ſenex*, quaſi *ſibi-nex* eſſet: id autem non ita congruere videbatur mulieribus, quas agnouerunt tum ob humoris abundantiam & caloris defectum, nunquam fere ad vltimi ſenij marcorem mortemque naturalem peruenire: tum ob labores pariendi ſic infirmari, vt fere nunquam itidem ad mortem naturalem, vltimique ſenij terminum deducantur; aſt ab aliqua violentia forinſecus eis adueniente nunquam non interimantur; adeoque ſenes proprie dici non debeant vt viri. De ſenſus autem mentiſque defectu mortalibus in vltimi ſenij temporibus obueniente, pulchre (b) Lucretius; qua de re mox oportunius. Altera proprietas ætatis vltimæ videtur incuruatio; de qua loquitur (c) Hippocrates, & apud eum Galenus; quibus Proceritas in iuuenibus dicitur decora, & in ſenibus inutilis, & grauis, quia degenerat in curuitatem; verba Galeni ſunt, (d) *De longitudine igitur ſola vere dici poteſt, quod in iuuentute quidem liberalis honeſtaque & viſ nda res ſit; in ſenectute vero inutilis, ac grauis exiſtat; incurueſcit enim ſeneſcentibus, fitque graue, & moleſtum onus, quod Hippocrates* [DYSPHORON,] *ideſt geſtatu difficil dixit*: Quum enim hominum corpora ſenio maximopere ſiccentur, & veluti conſumptis carnibus, vnica membranacea chartilagiraceaque ſubſtantia contexta ſine ſucco remaneat; vel potius pellis adhæreat oſſibus poſt ſucci conſumptionem chartilaginea membraneaque materia præ ſiccitate facile contrahitur in orbem, vt aſpicimus indies accidere corijs: Quod quidem maxime mulieribus in vltima ætate contingit; quæ ſicuti molliorem corporis ſubſtantiam obtinuerunt; ita facilius, adeoque prius quam morte naturali cadant, mire deficcantur, & in arcum iccirco veluti curuatæ, caput ad pedes inclinant, referuntque propterea ſimulacrum Anni, qui vel Iſidori (e) notatu ex Virgilio,

Atque in ſe ſua per veſtigia voluitur annus.

ſic etiam apud Aegyptios notabatur ante inuentas literas, picto dracone caudam ſuam mordente, quia in ſe recurrit. Quare mulier anus dicitur ob curuitatem, quaſi annus, finem cum ſuo principio, caput cum pedibus nectens, vel ad eos inclinās. Ob quam itidem curuitatem Fulgentius de priſco ſermone ſcribens ad Chalcidium ait, *Silicernios dici voluerunt ſenes incuruos, quaſi ſepulcrorum ſuorum ſilicet adſpicientes.* Vnde Cincius Alimetus Hiſt. de Gorg. Leont. ſcribit. *Qui autem iam ſilicernius ſui finem temporis expectaret, etſi morti non potuit, tamen infirmitatibus inſultauit.* Quanquam non hanc ſolam huius nominis etymologiam proferri video, quia nomen æquiuocum eſt ad multas res diuerſas indicandas; nanque Nonius ait, *Silicernium eſſe funebre conuiuium, quod ſenibus exhibetur.* Feſtus ait, *eſſe farciminis genus, quo familia in luctu a fletu purgatur; quia cuius nomine inſtituebatur ea res, is iam ſilentium cerneret*: licet minus proprie ponatur, ſilentium cer-

z 8. phy. t. 29 & ſeqq.
a) oſt pred. c. de motu.
b lib. 3.
c 2. aph. vlt.
d ibid. in com.
e l. 5. orig. cit.
De Silicernio.

cerni, quod non ad viſum, ſed ad auditum pertinere dicatur ab Ariſtotele: *f* 2. de an. t.103.
Donatus aſſerit, *eſſe cœnam, quæ infertur Dijs manibus, vel quod eam ſilentes cer-
nant vmbræ*: Alij volunt *eſſe funebre conuiuium, quod apud veteres ſenibus exhibe-
ri ſolebat, dictum quod ſilentio edentes cernerentur, vel quod cogitarent ſe mox illud
ſecuturos*: Varro, *funus executi, laute ad ſepulcrum antiquo more ſilicernium confeci-
mus*: Apud Athenæum, (*g*) *Theocritus Chius, defuncta vxore Dioclis belluonis,* *g* lib. 4.
*parato eius cauſa ſilicernio, quum maritus ſimul & fleret & obſonijs ſe ingurgitaret,
Plorare inquit deſine, o miſer, nihil belluonatu proficies.* Ex notis Ioſ. Scalig. in
Flac. & Sex. Pomp. de verborum ſignificat. *Gloſſarium: Silicernium* [*PERI-
DEIPNON CHYCHNOYS GAR APTEIN EN PENTHEI OYDEMIS.*]
videtur accepiſſe, quaſi Selucernium, hoc eſt [*ALYCHNIA.*] *Rationem hanc erui-
mus: Natali die lucernæ accendebantur: mortuali, vt loquuntur Cato, & Plautus,
id non faciebant optima de cauſa, vt* [*TO ANTISTROPHON THS GENESEOS
KAI THS TELEVTHS oſtenderent. Perſius,*

» ———————— vnctaque feneſtra
» Diſpoſitæ pinguem nebulam vomuere lucernæ.

*Tertullianus libro de Idololatria, At nunc lucent tabernæ, & ianuæ noſtræ: plures iam
Ethnicorum fores ſine lucernis & laureis quam Chriſtianorum. At* [*EN PEN-
THEI*] *quidem vt puto, non accendebant.* Attamen maxime propria ſilicernij ſi-
gnificatio videtur a Fulgentio propoſita, quam Terentius innuit appellans
ſenem (*b*) ſilicernium, *b* Adelph. act. 4. ſc. 2.

S. I ſane, ego te exercebo hodie, vt dignum eſt ſilicernium.

nempe quod curuus incedens, ſemper ſilices pauimenti cernat. Ceterum ob
eandem curuitatem veriſimile ſatis eſt nomen inditum Anulo, cuius men-
ſura diminuta multum eſt ab humano corpore curuo, cuiuſque rotunditas
perfectius Anni circuitum æmulatur. At vero ſi liceret latini nominis ety-
mologiam a græco deſumere, recipi poſſet Onomaſtici ſententia, cui *Anus ab*
[*A*] & [*NOYS,*] *priuatione ſcilicet ſenſus & intellectus, quod iam ſit ſine ſenſu.
Cic.* (*i*) *Quæ eſt anus tam delira, quæ timeat iſta, quæ vos?* Nam id potiſſimum *i* 1. Tuſcul.
in feminis obſeruatur, quod cecinit (*k*) Lucretius. *k* l. 3.

*Poſt, vbi iam validis quaſſatum eſt viribus æui
Corpus, & obtuſis ceciderunt viribus artus:
Claudicat ingenium, delirat linguaque menſque,
Omnia deficiunt, atque vno tempore deſunt.*

Obiter adducere liceat Nonij Marcelli locum ex Varrone, cui *Anuis pro anus,
victuis pro victus, graduis pro gradus. Varro Cato de liberis educandis, Eam nutri-
cem oportet eſſe adoleſcentem; anus enim vt ſanguis deterior, ſic lac: lac enim, vt qui-
dam dicunt Phyſici, ſanguinis ſpuma eſt.* Feſto quoque, *Anatem morbum anuum
dicebant, ideſt, vetularum: ſicut ſeuium morbum ſenum.* Ioſ. Scaliger in hunc
locum, *Gloſſarium: Anas* [*GHRAS KAT ORGHN THEON.*] *In alijs gloſſis,
Anitas* [*GRAOTHS.*] Verum & in Latio non inepte dicas appellari Senes
quaſi ſenſus expertes. Aptius tamen ſenes dicuntur quaſi ſe necantes in vl-
timo ſenio ſponte naturæ morientes, vi caloris interni toto iam humido ſub-
ſtantifico ſiccato, penituſque conſumpto; quod mulieribus non ita facile
contingit; quoniam temperamento ſunt humidiore, minuſque calido quam

ma-

maſculi; proindeque feminarum calor imbecillior humidum copioſius non ita facile conſumit; vnde non ab interno calore radicalem humorem vniuerſum abſumente moriuntur feminæ, ſed in vltima ętate calor illarum imbecillus ab externis cauſis fere ſemper extinguitur, adeoq. ſenes, quaſi ſe-necantes dici nequeunt, vt viri, ſed appellãtur anus ob curuitatem. Nec tamen ideo penitus diffiteor, ſenes appellari, quaſi ſenſus expertes; quod voluit Iſidorus, cui *Senes dictos quidam putant a ſenſus diminutione, eo quod iam præ vetuſtate deſipiant* (in vltimo ſenio decrepiti) *nam Phyſici dicunt, homines ſtultos eſſe frigidioris ſanguinis, prudentes calidi; vnde & ſenes, in quibus iam friget; & pueri, in quibus nec dum calet, minus ſapiunt. Inde eſt, quod conueniunt ſibi infantum ætas, & ſenum; ſenes enim per nimiam ætatem delirant, pueri per laſciuiam, & infantiam ignorant quid agant*. Hinc (l) Platoni bis pueri ſenes, ac in naturam puerorum regredi dicuntur. De ſecundo facilius eſt diuinare, quam recte coniectari, quid ſibi voluerit Iſidorus per ea verba, (m) *Anuli autem per diminutionem dicti a circulis, & anis, qui ſunt circa brachia, & circum crura*. certe Salmaſius eruditiſſimus ait, (n) *Anulus ſane diminutiuum ab ano: ſed anum vel annum pro anulo an vſurparint veteres, neſcio, niſi* [EPI THS EDRAS] *in gloſſis legitur: Anatus* [DAKTILIOPHOROS SYMPODIATHEIS.] *Anatus ibi, qui Apuleio anulatus: frontem literati, & capillum ſemiraſi, & pedes anulati. Sic anum etiam dicebat pro anulo*. Aldus paulo antea dixit, (o) *Anulus, vnica N, ex antiqua conſuetudine; cum qua videtur conſentire etymologia; quum deducatur ab ano; quaſi anulus ſit paruus anus; nam a græco deduci non placet. Alij ab anno deriuatum putant, quod in ſe redeat, vt annus; ex quo duplici NN, ſcribendum affirmant*. Lexicographi Conſtantinus, & Portus, non deducunt anulum ab ano, ſed viceuerſa deriuant anum ab anulo; dicunt enim, [DAKTYLIOS,] *anulus, &* [TROCHISKOS, KYKLOS] *apud Hippocratem. Interdum anus, podex, & eius orbis, ab anulo tranſlata appellatione, ſedes, Alex. Aphrod. lib. 1. Problem.* Gorlæo vero nec anum ab anulo, nec anulum ab ano, ſed vtrumque deducit a figura, ſcribens, *Anuli nomen a circulari figura deſumptum vulgo notum eſt, quod & podici eandem ob cauſam datum; anum enim quaſi anulum vocamus*. Quibus aſſentire nequeo; tum quia proprium eſt diminutiuorum nominum deriuari ab alijs, non eſſe a quibus non-diminutiua deriuentur: tum quia deducitur nomen ani pudendi ab anu femina non tam ob rotunditatem, quam ob rugas, quibus cutis æque ſulcatur & in anu muliere, & in ano turpi: tum quia nec obſcœna fœdaque pars ab anulo, dignitatis, & honoris ſymbolo denominationem habere, nec viciſſim anulus ab ano deriuationem ſortiri potuiſſe videtur. Verum & illud non omittendum, aſſentiendum non eſſe Braſauolo, interpretanti de ano, podiceve circulum pudicum, de quo Galenus infit, ſiue quiuis alter fuit autor libelli de natura humana; his plane notis, (p) *Aures, nares, os, veretrum, & ipſe pudicus formatur circulus*. & mox. *Quinto, Venus frigida & humida; omnia * interiora format, aures, nares, os, virgam, & pudicum circulum format, pedum & manuum digitos diuidit*: etenim nihil ad pudorem podex: & pudicus circulus veretro, virgæque contrapoſitus non eſt anus, at muliebre pudendum; quod circuli nomine deſignatur, non ab exterioris orificij figura dum ſuo munere non fungitur, ſed in actu duplicis mi-

l in Ciuili.

m 19. orig. c. 32.

n hiſt. Aug. in Fl. Vopiſc. not. p. 412. col. 1 n. 40.

o in ortho gr.

p in f.

* al. *Exteriora*.

niſte-

niſterij ſui, dum in actu Venereo virgam teretem complectitur, & dum partu fœtum excludit; tunc enim vere circularem in figuram dilatatur: quos duos vſus pulchre Galenus expoſuit, inquiens, (p) *Matricum collum (quod iter ſpermati quidem intro, embryo vero iam perfecto extra natura ante muniuit) in pudendum muliebre deſinit.* Quod ea quoque ratione circulari figura donatur, qua conſtructionis eiuſdem eſſe ponitur a Galeno cum virili glande; cuius figura eſt orbicularis; ait enim (q) mox, *Eſt igitur fœmina mare imperfectior, vna quidem, at prima ratione, quia frigidior: ſiquidem in animalibus calidum eſt actiuum magis, frigidum autem calido minus: ſecunda vero ratione ea, quæ ex diſſectione apparet. Hæc enim potiſſimum eſt ratio, quam paulo ante innuebam dictu mihi eſſe difficilem; verum, quum tempus me inuitet, ad eam audacter eſt aggrediendum. Tu autem, qui hoc in loco verſaris, tractatumque hunc euoluis, ne prius vera ſint, necne, expenderis, quam ea, quæ dico, ipſe tuis oculis inſpexeris. Nam certo ſcio partium ipſarum aſpectum, quod verbis deeſt adiecturum.* (ex quo loco plane conſtat, Galenum humana corpora diſſecuiſſe, qua de re plurimum ambigunt, & litigant celebres anatomici) *Omnes igitur, quæ viris inſunt, partes in mulieribus etiam reperias, niſi in eo duntaxat diſcrepent (quod in hoc toto ſermone tenere memoria oportet) quod in mulieribus quidem partes hæ intus ſunt condita, in viris autem ſunt extra ad nuncupatum perinæum. Veras enim harum priores mente voles concipere, mulierum quidem extra euertendo, virorum autem velut intro vertendo, atque replicando, omnes ſibi inter ſe ſimiles inuenias. Intellige autem mihi prius virorum pudenda inuerſa ſimul & inter rectum inteſtinum ac veſicam intro ſe recipere: Verum, ſi id accidat, quem matrices locum occupant, eum iam a ſcroto occupari eſt neceſſe: extrinſecus autem vtrinque teſtes ei adiacere, ad collum eius ſinus colem maris effici; quæ vero cutis eſt in fine colis (quod nunc præputium appellamus) ipſum pudendum muliebre repræſentare. Intellige autem mihi rurſus matricem euerſam ſimul ac extra prominentem, non ne teſtes ipſius quoque parte interna eſſe eſt neceſſe, ipſam autem extrinſecus velut ſcrotum quoddam eis eſſe circundatam, collum autem, quod in perinæo erat abditum, nunc pendere, ac pudendum virile effici, pudendumque muliebre (quod eſt velut cutacea quædam huius colli epiphyſis) in vocatum præputium transferri? Conſentaneum his ſane eſt & arteriarum, ac venarum, & præterea vaſorum ſpermaticorum poſitionem vna cum his transferri: nullam enim in viris partem inuenias, quæ in mulieribus non inſit: tantum poſitione diſſident: quæ enim in mulieribus ſunt intus, ea in viris ſunt extra.* Si ergo pudendum muliebre Galeno proportione reſpondet virili præputio; quum id figura circulari donetur; iam alibi Galenus aſſerens, a Venere planeta formari virgam ſeu veretrum, & circulum pudicum, circuli pudici nomine, non anum, & podicem, vt opinatur Braſauolus, at muliebre pudendum ſignificauit: Quod etiam paulo prius præputio comparauit, aiens, (r) *Iam vero & circum pudenda pili quoq; neceſſario prouenerunt (calida enim ac humida ſunt hæc loca) operimentumque ac ornamentum eius loci partibus præbent, non aliter, quam nates quidem ano, præputium autem pudendo.* Nec omittendum eſt, Venerem nihil habere commune, nihil habere cognationis cum ano, vt eius generationi præficienda fuerit in conformatione fœtus a Galeno; ſed maxime cum genitalibus viri pariter ac mulieris; quod Autor ille didiciſſe potuit ab Heſiodi Theogonia, vbi legimus,

p 14. de vſu par. c. 3.

q cap. 6.

r 11. de vſ. par. c. 14.

Aphro-

——————————— Aphroditen autem ipſam
Spuma prognatam Deam, & decorum pulcris fertis Cytheream
Nominant tam Dij, quam homines, eo quod in ſpuma
Nutrita eſt, ſed Cytheream, quod appulit Cytheris;
Cyprigenium vero, quod nata eſt in vndoſa Cypro,
Atque amantem genitalia, quia ex genitalibus emerſit."

Nec etiam pulchritudinis Deam turpitudinis obſcæniſſimo membro confor-
mando præfeciſſe rationabile eſt autorem illum inſignem. Deinde rediens ad
inſtitutum primarium, accipiendam non arbitror Aldinam interpretatio-
nem circa denominationem anuli, ſed longe diuerſam: & quidem non turba-
ta vetuſtiorum orthographia; poſſe reor anulum ſimplci N, deduci ab anno
in ſe redeunte, a quo pariter deducitur anus incuruata; quod neceſſarium
non ſit, eundem ſemper ſeruare literarum numerum in denominationibus;
præſertim quum videam in deriuatis non raro collidi literulas; nam apud
ſ l.4.c.12. Rhodiginum lego, (ſ) *Pedem greci [PODA] vocant a quieſcendi ratione, [APO
TOY PAVEIN,] vel ab [POROS,] quod meatum ſignat, & eliſa litera [R,]
& contractione duplicis vocalis in [OY] qui mos græcis frequens. Ariſtotelis opi-
nionem recenſuimus. vocatur, & pars ea [KOLON] proprie: vnde etiam Iphiclus
dicitur, quaſi Iphicolus, ex pedum celeritate.* Sed etiam aptius ex Anulo detra-
hitur N, quæ litera geminatur in Anno, a quo deducitur Anulus, vt indica-
retur, conuenire duo hæc in figura, plurimum diſtare in magnitudine, dupli-
ci nota diminutionis ab Anno in Anulo poſita. Ceterum & Anulus, orna-
t Geneſ.41 tus ac (t) honoris index, non potuit ab obſcæniſſima parte denominationem
apte deſumere; nam vel ſola ſimilitudine medij digiti cum humano puden-
do, diffamatur iſte digitus infamis, & impudici titulo; & honore anuli pri-
u Hierog. uatur apud omnes fere nationes: ita Valeriano, (u) Digitus *medius a ſitu ip-*
36. *ſo nomen accepit, ab officio medicus a loquendi vſu infamis & impudicus; exporrectus
enim medius, reliquis in pugnum attractis, virilis pudendi ſpecies quædam oſtenditur;
x ſat. 10. eoque geſtu infamia eſt hieroglyphicum.* Iuuenalis Democritum proponens (x) ait;

„ Ridebat curas, necnon & gaudia vulgi,
„ Interdum, & lacrymas; quum fortunæ ipſe minaci
„ Mandaret laqueum, mediumque oſtenderet vnguem.

velut exprobrans fortunæ ignominiam. Laertius etiam Cinici Diogenis vi-
y lib.6. tam explicans inſit, (y) illum peregrinis quibuſdam Demoſthenem videre
cupientibus, non indice digito, ſed medio porrecto demonſtraſſe; parum vi-
rum innuens, & effeminatum, impudicitiæ, aut ignominiæ notans. Et Mar-
z l.2.ep.28 tialis in (z) Sextilium,

„ Rideto multum, qui te, Sextille, cinædum
„ Dixerit, & digitum porrigito medium.

a l.17.c.12 eum ſcilicet ignominia notans. In eandem ſententiam Cœlius, ait (a) *Ab
Athenienſibus digitus, qui medius eſt, Catapygor item dicitur, ſignificat ea vox ſcor-
tum, & cynædum. Illud neutiquam prætereundum [SKIMANIZEIN,] id eſt,
ſcimaliſſare, apud Græcos eſſe proprie quum digito pertentamus, ecquid oua gallinæ
conceperint; quanquam & verbo eodem vtuntur, vbi pollicem medio applicantes pla-
gam inferimus ludibrij cauſa. Sed & protenſum oſtentantes contumelioſe digitum me-
dium*

dium recte dicuntur [*SKIMANIZEIN.*] & (*b*) inferius digitum medium non ſemel appellat Rhodiginus impudicum. Quin & in Onomaſtico, *Medius digitus alia habet nomina; nam dictus eſt Verpus, a verrendo podice: ob quam etiam cauſam impudicus, & infamis vocatus eſt: & quando porrigebatur, ſignum deriſionis, & contumeliæ erat.* Martialis ad (*c*) Martianum,

b lib. 13. c. 12.

c l. 6. ep. 69.

„ Sexageſima, Martiane, meſſis
„ Acta eſt, & puto iam ſecunda Cottæ:
„ Nec ſe tædia lectuli calentis
„ Expertum meminit die vel vno:
„ Oſtendit digitum, ſed impudicum,
„ Alchonti, Daſioque, Symmachoque.

Perſius item infit in propoſito,

„ Ecce auia, aut metuens Diuum matertera cunis
„ Exemit puerum, frontemque atque vda labella
„ Infami digito, & luſtralibus ante ſaliuis
„ Expiat, vrentes oculos inhibere perita.

Pariter (*d*) Iſidoro, *A pollice digitus tertius impudicus dicitur, quod plerumque per eum probri inſectatio exprimitur.* Ob quam notam dedecoris, & ignominiæ medius digitus anulo coronari non meruit apud Romanos, nec apud Græcos, aut alias gentes vllas, exceptis Gallis, atque Britannis; etenim Plinio, (*e*) *Singulis primo digitis geri mos fuerat, qui ſunt minimis proximi; ſic Numæ, & Seruij Tullij ſtatuis videmus: poſtea pollici proximo induere, etiam Deorum ſimulacris: dein iuuit & minimo dare. Galliæ, Britanniæque in medio dicuntur vſæ. Hic nunc ſolus excipitur, ceteri omnes onerantur, atque etiam priuatim articuli minoribus alijs: ſunt qui tres vni minimo congerant.* Si ergo veteres anulum digito medio non dabant, quod infamis eſſet ac impudicus; tum quia referret, exertus, imaginem pudendi virilis; tum quia verpus verrendo podici deſeruiat; tum quia deſignat ignominiam; quomodo cenſeamus, antiquos anulum, quem honoris teſſeram, dignitatis nobilitatiſque ſymbolum habebant, & ornamentum geſtabant, a parte corporis viliſſima ſpurciſſimaque denominare voluiſſe? Sed & hanc Aldinam commentationem plane reſpuit diminutiuum Anuli nomen; quippe non ita minor eſt anulus obſcœna, & putida illa parte, vt ab ano tali deriuari potuerit anulus, quaſi paruus anus: Quare iam nec anum eiuſmodi potuit Iſidorus intelligere, dum aſſeruit, *Anulos per diminutionem dictos a circulis, & anis, qui ſunt circa brachia, & circum crura; vnde & ſigna eorum per diminutionem ſigilla; nam ſigna maiora ſunt; ſigilla vero quaſi minora ſigna.* Meo ſane iudicio per circulos, & anos, qui ſunt circa brachia, & circum crura, ſignificat Iſidorus circulos maiores armillarum, ſeu brachialium, & compedum; quo genere tum ornamenti Reges apud Indos, Aethiopum Arabumque feminas, vti maxime conſueuiſſe, teſtantur Hiſtorici: tum etiam vinculi notatos cuſtoditosve fuiſſe ſeruos antiquitus, conſtat ex Plauto, dum in (*f*) Menechmis ait,

d l. 11.

e l. 33. c. 1.

f init.

„ Homines captiuos qui catenis vinciunt,
„ Et qui fugitiuis ſeruis indunt compedes,
„ Nimis ſtulte faciunt, mea quidem ſententia.

„ Namque homini miſero ſi ad malum accidit malum,
„ Maior lubido eſt fugere, & facere nequiter.
„ Nam ſe ex catenis eximunt aliquo modo.
„ Tum compediti anum lima prorerunt,
„ Aut lapide excutiunt clauum . . . .

Anus etenim eſt idem cum circulo; cuius diminutiuum eſt anulus. Varro de
g 5. de ling. lat. pa. 47. (g) propoſito, *Tempus a bruma ad brumam dum Sol redit, vocatur annus: quod vt paruuli circuli, anuli; ſic magni, dicebantur circites anni*. Quem locum, ſilens autorem, ſuum ſibi proprium fecit Iſidorus, aut a geminatis N N prorſus abſtinens, aut Varronis textum habens cum N ſimplici; nam & idem Varrò
h lib. 4. multo (h) prius anulum ſcripſerat N ſimplici, dicens, *Lorica a loris: quod de corio crudo pectoralia faciebant: poſtea ſuccuderunt Galli e ferro ſub id vocabulum, ex anulis ferream tunicam*. etenim eiuſcemodi circulos appellant ânos ab anno; quod, vt ille, redeant in ſe ſe; a quo ſimiliter pridem minores circulos digitorum denominauerat anulos; vel potius ab anno, detracta literula, deriuari voluit anos: & ab his, adiecto ſigno nouæ diminutionis, appellauerit anulos digitorum. Sed forte non ab re dici poſſet, ab eodem Angue in gyrum voluto non ſolum Annum, ſed etiam & Anum, & Anulum etymologiam obtinuiſſe; Annum quidem, dum ampliore circulo caudam apprehenſam ore, ſibi mordere videtur; quo hieroglyphico dudum, ante literas inuentas, annum
i hierogl. 34. Ægyptij ſignificabant, (i) Pierij notatu; quaſi Annus ſit Anguis magnus caudam ore ſibi mordens, aut ſub guttur attractam occultans; qua ſpecie in Saturni dextera manu ſtatuebatur antiquitus, annuo temporis circuitu demonſtrato; Anulum vero, dum anguis in multas circumplicatur ſpiras; quas Cyrillus ait eſſe multas dierum ſeries; vel dum exiguus eſt anguiculus, exilem, & anguſtum circulum reddens, cauda capiti admota; vt anulus ſit quaſi anguiculus in ſe reuolutus. Conſimilem etymologiam in Epidico propo-
Anellus. ſitam a Plauto ſortitur nomen Anelli; dicit enim,

„ Lunulam, atque Anellum aureolum in digitum.

k 2. ſerm. ſat. 7. Quod quidem Anelli nomen ab Horatio vſurpatum, (k) cui

„ ———————— ſæpe notatus
„ Cum tribus anellis, modo læua Priſcus inani
„ Vixit inæqualis, clauum vt mutaret in horas.

l lib. 6. & a Lucretio, cui de magnete (l) tractanti,

„ ———————————— catenam
„ Sæpe ex anellis reddit pendentibus ex ſe.

quin & infra,

„ ———————— anelli rarior aer.

& a Feſto, cui tum

„ ———————————— abditus aer
„ Verberat anellum ————————

tum,

„ ——————— anellis, hamiſque plicata
„ Inter ſe quædam poſſint copulata teneri.

recepit ipſe Scaliger apud Gorlæum canens,

„ Si-

„ Sicut ab auellis lapides & flaua ſororum
„ Transferre in calices ſuccina ludus erat;
„ Sic e theſauri medio Gorlæus in iſtum
„ Has gemmas librum tranſtulit ipſe ſui.

E Latio ſumptum retinemus & Itali vulgatum Anelli vocabulum: ſiquidem Anellus dicitur quaſi paruus Annus, vel quaſi in ſe rediens Anguiculus. Circulus vero etiam appellatur a rotunditate propriæ figuræ, quaſi circus minor. *Circulus,* Scribit Eratoſthenes, notatu (m) Cœlij, Demoſthenem venenum habuiſſe in Crico pertuſo. *m l.8.c.13.* Cricum autem Gaza vertit anulum; nam Ariſtotelica verba Græca, [*OION KRIKOS, CHALKOY LEPTOS,*] interpretatur, *vt anulus, æneus tenuis*. *Cricus.* *n 2.hiſt c..,* Theophraſtus (o) item interprete Plinio, cricum pro anulo vſurpat. *o 4.de plāt,* Et Suidæ Ancilia ſunt [*KRIKOI TON ALYSEON,*] anuli catenarum. Ptolemæus Cricoton appellat id, quod recentiores vocant *anularem rationem*. Homerus quoque ſcribit, (p) [*EPI DE KRIKON ESTORI ZAILON,*] ideſt, *Cricum autem Heſtori iniecerunt*. *p Iliad. 24.* A Crico [*KRIKOYSTHAI*] verbum inflectitur, quod Latine dicitur infibulari: nam quorumdam Aethiopum mulieres, vt ait Pollux, [*KEKRIKONTAI TO CHEILOS CHALKO KRINO*] *infibulant . . . . æneo anulo*. Apud Herodorum legimus (q) [*ESTION KRINOYS,*] *velorum anulos*. *q Hiſt 2,* A.Gellio (r) Cricotes appellatur ſphæra, quam pertuſam volunt eruditiores. *r . . . .* Leontius itidem ſphæram [*KRICHON*] dixit, hoc eſt, circulorum; vt ambiguitas nulla ſit, quin Cricum nunc anulum, nunc circulum recte interpretemur. Denominatur indidem ſimul & a paruitate molis, Orbiculus. *Orbiculus,* At vero Digitalius a parte corporis potiſſimum, qua geſtatur, denominationem accepit; *Digitalius,* quod nomen etiam nunc apud Italos retinent anuli, quibus ad ſutrinam in apice digiti medij mulieres vtuntur, & veſtiarij; quoniam anulo ſeu ferreo, ſeu argenteo, ſeu eburneo medium digitum armant, quo citra digiti læſionem acum ferream impellunt conſuentes indumenta, vocantque Latini Digitalium, Etruſci Detale, Genuenſes Dià, Veneti Dizial, at antiqui Latini cum Græcis omni prorſus anulo nomen [*DAKTYLIOS,*] *Digitalius* impoſuere; quod præſertim ac proprie digitis anuli geſtarentur; quapropter in Pœnulo Plautus inducit Carthaginenſes quoſdam ſeruos, quos alius quidam ſugillans ait hero ſuo,

„ M. Atque, vt opinor, digitos in manibus non habent.
„ A. Qui ſcis? M. Quia incedunt cum anulatis auribus.

Sic A.Gellio, (n) *Veteres Græcos anulum habuiſſe in digito accepimus ſiniſtræ manus, qui minimo eſt proximus: Romanos quoque homines aiunt ſic plerumque anulis vſitatos*. *n l.10.c.10,* Ita Plinio quoque, (o) *Peſſimum vitæ ſcelus fecit, qui anulum primus induit digitis*. *o l.33.c.1.* Non aliter apud Macrobium (p) Atteio Capitoni ex libro Pontificali, *p 7. Sat, c.13.* *Veteribus anulus geſtabatur vt quiſque vellet, quacunque manu, quolibet digito: poſtea factum eſt vt vſus anulorum exemptus dexteræ, quæ multum negotiorum gerit, in læuam relegaretur, quæ otioſior eſt*. Quin & multo prius teſtimonio Moſis, (q) *Aegypti rex tulit anulum de manu ſua, & dedit eum in manu Ioſeph*. *q Geneſ, 41.* Quare Digitalij, [*DAKTYLIOY,*] nomine donatus eſt anulus a parte corporis, qua maxime geſtari conſueuit; nam orbiculi ad aures proprio nomine vocati

ſunt Inaures, vel ab eodem Plauto, qui ſic anulum ab inaure diſtinguit in Epidico.

„ *Ep.* Non ne nouiſti? *Vir.* Quod quidem nunc veniat in mentem mihi.
„ *Ep.* Lunulam, atq; anellum aureolum in digitũ. *Vir.* Memini mi homo.
„ *Ep.* Non meminiſti me inaurem auream ad te afferre natali die?

Licet in Pænulo ſeruus, vt cauillaret maſculorum inaures, eas anulos appellauerit, quod muliebre geſtamen viros dedeceat, quos decet anulus digitis
Symbolum. inditus. Vocatur inſuper anulus nomine Symboli, tam apud Græcos, quam
r l.33.c.1. apud Latinos, vt ait (*r*) Plinius; quod explicant Portus, & Conſtantinus afferentes, *Rurſus ſymbolum, ſiue teſſera, nihil aliud quam nota, indicium, ſiue ſignum, nec aliud inſigne quam ſignum, vt & anulus nobilitatis erat indicium atque argumentum.* & mox afferentes Plinij verba, [*SYMBOLON,*] *anulus. Plin. l.33. c.1. Et ideo miror Tarquinij eius ſtatuam ſine anulo eſſe. Quanquam & de nomine ipſo ambigi video: Græci a digitis appellauere: apud nos priſci Vngulum vocabant: poſtea & Græci & noſtri Symbolum.* At vero non ſolius Nobilitatis erat ſymbolum
ſ Pier. l.36. anulus omnis, aſt aureus; nam ferreus in ſponſa ſignum erat ſe iam (*ſ*) oppi-
t Plin. l.33. gneratam eſſe viro; in milite ſignum erat militaris (*t*) fortitudinis; in ſeruo
c.1. ſymbolum erat ſuæ (*u*) miſeræ conditionis, & (*x*) fidei; & apud Cathes
u Apul. 9. (*y*) ignominiæ. Sed hiſce de ſymbolis infra latius commodiore loco; nunc
metam. ſatis eſt nominum etymologiam perſequi ſtrictim. Appellatus fuit Anulus
x Plaut. in etiam Cingulum; nam quod in Plinio (*z*) vulgata lectio dicit, *Apud nos priſci*
Curcul. *Vngulum vocabant*, alia legit, *Apud nos prius Cingulum vocabant*, quod cingeret
y Al. ab Al. digitum. In Onomaſtico ſcribitur, *Cingulum quandoque pro anulo ſumitur,*
l.2.c.19. *quod digitum circuit.* Vinculi nomen anulo quoque datum eſt (*a*) a Plinio,
Cingulum. quod vinciat: qua de re Pierius etiam, (*b*) *Hic porro digitus anulo inſignis, coniu-*
z l.33. c.1. *gij eſt hieroglyphicum, eaque de cauſa ſunt, qui eum pronubum appellant: hinc Maro*
a loc. cit. *vincla iugalia poſuit pro connubio. Et in Diuinis literis inditum ſponſalitijs anu-*
b Hiero.36 *lum, arrhabonis traditum, nuptiarum cauſa legimus: eumque morem & inſtitutum omnes Chriſtianorum conuentus ſemper obtinuerunt: Vnde Septimius Florens digitum hunc & pronubum appellauit, & anulum quoque pronubum, eo loco: nam & mulieres parciſſima patrum ſobrietate aurum minime nouerant, vno excepto digito, quem*
c Hiero.51 *anulo pronubo ſponſus oppigneraſſet*: Ac inferius, (*c*) *Vſque adeo vero adhæſit Ederæ tenacitatis nomen, & illigandi complectendique ſignificatum, vt olim apud noſtros Flamini Diali non modo eam tangere ominoſum eſſet, verum etiam nominare, ne is de illigatus aliquo modo vel re, vel cogitatione deprehenderetur. Eaque de cauſa neque anulum quidem geſtare ei licebat; libera ſiquidem omnia eſſe volebant ſacrificulis.* Etſi genus anuli caſſum Diali permittebant, quod vinculi rationem non haberet;
d l.10.c.15. vt infra notabimus ex (*d*) A. Gellio. Et Alexander ab Alexandro in Ge-
e l.2.c.19. nialibus ait, (*e*) *Apud Cathos licet fortiſſimus quiſque anulum ferret, ignominiæ hoc ducebat loco, tanquam Vinculo nexus foret, niſi aliqua hoſtili cæde eo ſe exoluiſſet.*
Vngulus. Inſuper anulus etiam Vngulus dicitur; cuius rationem Iſidorus attulit in-
f l.19.c.32. quiens, (*f*) *Inter genera anulorum ſunt Vngulus, Samothracius, Tinius: Vngulus eſt gemmatus; vocaturque hoc nomine, quia ſicut vngula carni, ita gemma anuli auro accingitur*: quæ quidem ratio non ita probatur, tum quod Vngulum, Plinio
g l.33. c.1. (*g*) teſte, priſci vocabant omnem anulum abſolute, non ſolum gemmatum,

ſed

ſed alithon etiam, & apiron: tum quod Vngula noſtra non eſt, vti brutorum, ſed vnguis proprie: tum quod vnguis in homine carni non accingitur vndique in gyrum, vt ab auro lapillus in anulo, ſed vna ſolum ex parte. Verum ſi dictus eſt anulus ab vnguibus Vngulus, hoc ideo factum eſt, quia primi anulorum omnium illi fuere, quibus catenæ conſtituuntur; nam a catenis captiuorum corpora cingentibus, & compedes firmantibus euulſi, ad digitos tranſlati poſtea ſunt, vt infra (*h*) conſtabit, & innuit aperte Martialis in Zoilum (*i*) dicens, *h* cap. 2. *i* l. 2. ep. 23.

„ Has cum gemina compede dedicat catenas,
„ Saturne tibi, Zoilus anulos priores.

Catenæ vero dictæ ſunt, quod captiuos tenerent, ne fugerent; vt apparet ex Plauto in Captiuis,

„ Aduorte animum ſis tu, iſtos capteiuos duos,
„ Here quos emi de præda, de quæſtoribus,
„ His indito catenas ſingularias:
„ Iſtas maiores, quibus ſunt vincti, demito.
„ Sinito ambulare, ſi foris, ſi intus volent,
„ Sed vti aſſeruentur magna diligentia.
„ Liber captiuus, auis fere conſimilis eſt:
„ Semel fugiendi ſi data eſt occaſio,
„ Satis eſt, nunquam poſt illa poſſis prendere.

Sic ergo catena dicitur, quia captum tenet; captus autem in bello dicitur (*k*) mancipium, quod ab hoſtibus manu captus fuerit; quoniam vero manus vim capiendi, rapiendique repugnantes hoſtes in ſeruitutem, & captos retinendi, potiſſimum habet in vnguibus, qui rapacitatis, & apprehenſionis (*l*) inſtrumenta pariter & ſymbola ſunt apud omnes; nam & Plinio, (*m*) *Quibus ex rapina victus quadrupedum, quini digiti in prioribus pedibus; reliquis quaterni. Leones, lupi, canes, & pauca in poſterioribus quoque quinos vngues habent, vno iuxta cruris articulum dependente*: propterea Catenarum anuli, poſteaque ceteri dicti ſunt Vnguli, quaſi quidam vngues artificiales apprehenſum captumque tenentes, ſeu hominem, ſeu digitum. Nec omittam orbiculari figura, qua donantur vtcumque rapacium animalium vngues, anulos eadem tornatos appellari potuiſſe pariter Vngulos. Qua quidem in re facile prætulerim Vnguli nomen Vnguino, quod viderim apud Plautum, (*n*) ancillam exungulam dici, non autem exunguinam, a ſeruo, quem illa prius cauillans appellauerat anulatum, *k* Ept. Iur. Ciu. *l* Gal. 1. de vſ. par. c. 7. *m* l. 11. cap. 43. *n* in Truculen.

„ ———————— *Aſ.* Dic quod te rogo,
„ Mancupio vnde accepiſti quos geſtas ahenos anulos?
„ *St.* Dignis dant.

& mox,

„ *St.* Em tu es exungula: male viuitis: ego ne hæc muſſitem?

Quin & apud (*o*) Pacuuium,

„ Repugnanti ego porro hunc vi detraxi vngulum. *o* ver. 13.

Et ſane quum (*p*) Iuuenali digitus ab vngue denominatus, de Democrito dictum ſit, quod, vt ſupra tetigimus etiam, *p* Sat. 10.

„ Ri-

„ Ridebat curas, nec non & gaudia vulgi,
„ Interdum & lacrymas; quum fortunæ ipſe minaci
„ Mandaret laqueum, mediumque oſtenderet vnguem.

q l.2.ep.28 Martiali conſentiente in (q) Sextilium,

„ Rideto multum, qui te, Sextille, Cinædum
„ Dixerit, & digitum porrigito medium.

procul dubio anulus, qui digitalius, [ΔΑΚΤΥΛΙΟΣ,] a digito dictus eſt, indidem vngulus ab vngue nuncupari potuit. At vero non ab re fuerit & Vnguini nomen accipere, ac vtriuſque vocabuli, quo promiſcue diceretur olim Vnguinus. anulus tam vnguinus quam vngulus, etymologia duci non ſolum ab vngue, vt vidimus, at etiam ab vngendo; & hoc ſane trifariam; primum quidem, quod minimo proximus digitus conſueuiſſet antiquitus & odoratis vnguentis illiniri, & anulo ſolus, aut præ ceteris coronari; quod ante (r) Valerianum, r lib.36. & (ſ) Iſidorum, teſtatur Macrobius ita, (t) *Dic Diſari (omnis enim ſitus corporis* ſ l.19.c.32. t 7. Sat.13. *pertinet ad Medici notionem; tu vero doctrinam & vltra quam Medicina poſtulat conſecutus es) dic inquam, cur ſibi communis aſſenſus anulum in digito, qui minimo vicinus eſt, quem etiam Medicinalem vocant, & manu præcipue ſiniſtra geſtandum eſſe perſuaſit? & Diſarius: De hac ipſa quæſtione ſermo quidam ad nos ab Aegypto venerat, de quo dubitabam fabulamne an veram rationem vocarem: ſed libris anatomicorum poſtea conſultis, veram comperi; neruum quendam* (venam, vel arteriam intellige, quam vetuſtiores a ſimilitudine ſubſtantiæ neruum appellabant) *de corde natum priorſum pergere vſque ad digitum manus ſiniſtræ minimo proximum, & illic deſinere implicatum ceteris eiuſdem digiti neruis: & ideo viſum veteribus, vt ille digitus anulo tanquam corona circundaretur. & Horus, Adeo, inquit, Diſari verum eſt ita vt dicis Aegyptios opinari; vt ego Sacerdotes eorum, quos Prophetas vocant, quum in templo vidiſſem circa Deorum ſimulacra hunc in ſingulis digitis confectis odoribus illinire; & eius rei cauſam requiſiſſem; & de neruo, quod iam dictum eſt, Principe eorum narrante didicerim; & inſuper de numero, qui per ipſum ſignificatur: complicatus enim ſenarium numerum digitus iſte demonſtrat, qui omnifariam plenus, perfectus, atque diuinus eſt; cauſaſque, cur plenus ſit hic numerus, ille multas aſſeruit: ego nunc, vt præſentibus fabulis minus aptas, relinquo. Hæc ſunt, quæ in Aegypto, Diuinarum omnium diſciplinarum compote, cur anulus huic digito magis inſeratur, agnoui.* Quem Aegyptiorum morem ſecutos fuiſſe Romanos, teſtatur u l. 10. no. Att.c.10. (u) A.Gellius aperte. Quum itaque, vel (x) Iſidori notatu, priſci ſolerent vnicum anulum geſtare; & hunc in digito, quem odoriferis vnguentis illinebant; x l.19.c.32 ideo ſimul oportebat vngi & anulum; quapropter anulus appellabatur vngulus, & vnguinus: & quemadmodum digitus iſte, minimo proximus, ab anulo dicebatur anularis; ita & ab iſto digito, qui ſoleret vngi, viciſſim anulus antiquitus denominatus eſt vngulus & vnguinus. Alia vero ratio, propter quam veteres anulum appellauerint vngulum, & vnguinum, fortaſſe fuerit, quod inter anulos maxime ſpectabiles extiterint, qui concaui quopiam vnguento medicato, ſiue ad bonum, ſiue ad malum afferendum, referti forent; atque per venam, Saluatellam Medicis appellatam, coniugemque ſibi ſemper arteriam, pharmaci vires facile ad cor, & ad hepar, membra principalia, communicarent; adeoque genus vniuerſum anulorum a præcipua ſpecie deno-

nominarent; nam vetus eſt, a principaliori ſpecie totum genus denominare: per anulos vero medicamenta, venenaque corporibus imprimi, & infligi conſueuiſſe pridem apud homines, aperte Plinius oſtendit, inquiens, (y) *Illud quoque obiter indicari conuenit, quoniam de anulis ſermonem repetimus, Aedituum cuſtodiæ eius deprehenſum, fracta in ore anuli gemma, ſtatim expiraſſe, & indicium ita extinctum*. ſcilicet, quia, vt mox addit, *Alij ſub gemmis venena cludunt, ſicut Demoſthenes ſummus Oratorum Græciæ, anulosque mortis gratia habent. Denique vt plurimum opum ſcelera anulis fiunt*. Vt quoniam anuli contentis in cauo medicatis vnguentis mortem, vel ſalutem afferrent, ab his medicatis ac præpotentibus vnguentis corpora per venam Saluatellam, & per arteriam illi comparem afficientibus, vniuerſum anulorum genus Vngulum, & Vnguinum apte denominari potuerit. Tertia demum ratio eſt, quod antiquitus anuli fierent grandioris molis, adeoque pondere ſuo manus grauarent, quæ plurimum æſtate ſudantes, eo ſudore velut vngerent anulum; qui propterea dictus fuerit Vngulus & Vnguinus: ita (z) Iuuenalis in Criſpinum, y l.33.c.1. z Sat.1.

,, ——————— quum verna Canopi
,, Ventilet æſtiuum digitis ſudantibus aurum,
,, Nec ſufferre queat maioris pondera gemmæ,
,, Difficile eſt ſatyram non ſcribere. ————

Ceterum meo periculo primam rationem duabus alijs præferas; quam, & cum ſecunda (a) Martialis innuere videtur, aſſerens, a l.14.epi. 112.

,, Sæpe grauis digitis elabitur anulus vnctis;
,, Tuta mea fiet ſed tua gemma fide.

Niſi quartam rationem addere velis ex (b) Henrico Scholiaſte, Iuuenalique, cui b in not.ad Pãcir. t.de Legatis.

,, ——————— ille fruatur
,, Vocibus obſcœnis, omnique libidinis arte,
,, Qui Lacedæmonium pityſmate lubricat orbem:

hoc eſt, qui lubricat anulum ſputo: per hunc enim ditiorem quendam intelligit,

,, Per cuius digitos currit leuis anulus,

vt Martialis ait; ditiorum ſcilicet mos fuit, dum crucis ſederent, anulos voluere, eosque ſæpe extrahere & reponere; digitosque, vt id factu ſit facilius, ſputo irrorare: pityſma autem, vt & pityſmaſputum ſignificare ab eo quod ſpuere eſt, ſic dictum, Perottus docet. Lacedemonium vero orbem quum dixit, ferreum ſignificat anulum; ſiquidem ſuo etiam tempore Lacedemonios ferreo tantum vſos fuiſſe, idem Plinius teſtatur. At Iuuenalis ibi non luxu diuitem, ſed ſugillat impurum hominem, vtentem vocibus obſcænis, & omni libidinis arte; ad quam nihil attinet, anulum voluere, ſæpeve digitis extrahere, ac induere, ſputo irroratis: quare cenſeo Satyrographo notari hominem ſeu pæderoſtem, ſeu cynædum; quorum mos fuit vocibus obſcœnis vti, & omni arte libidinis; orbisque Lacedæmonij pityſmate lubricati, partem obſcœnam corporis illinam ſputo ſignificari; quorum criminum nequitia Lacedæmonij præter alios Græcos forte magis inquinarentur. Sed hæc omittamus, & Satyrographi licentiæ relinquamus. Poſt hæc vero Condulum, & Condalium dixere veteres Anulum, quod eo res conderentur, aut in Condo recondita ſignarentur. Placuit alijs Latini nominis

minis

minis etymologiam a Græco verbo deducere, nimirum [*APO TON KONDYLON*,] a digitorum articulis, aut nodis, ſiue quod anulis digiti exornari ſoleant, ſiue quod in digitis anuli veluti nodi quidam emineant. Condulum & Condalium anuli nomina ponit Feſtus. Plautus:

In thermopolio condalium es oblitus.

& paulo poſt,

Inter eos ne homines condalium redipiſci poſtulas?

e lib. 5. cap. 16. Iulio Polluci quoque, (e) *Quæ vero in digitis, Anulus, condulus, ſigillum, ſignatorius; ſic enim ſignatos anulos vocarunt: ſigilla autem gemmas continentes. Digito autem minimo anulum geſtabant, qui* [*AKARES*,] Acaris *propter paruitatem dicebatur: & alter Coriancum dictus, medio aptatus digito.* Denique vero non omittendum cenſui, quod ab inclyto Don Vincentio Noghera, literarum Hebraicarum, vt & aliarum fere omnium periti ſſimo, nuper habui, Anulum apud He-

Tabaat. bræos dici, verbumque Tabaa prototypum ſignificare idem quod *mergi*, & *immergi*, *infigi*: & quia digitus anulo immergitur, aut infigitur, inde anulum

* l. 6. c. 21. appellari Tabaat. P. Nouarinus tamen in Schediaſmatibus (*) ſacroprophanis ait, anulum Hebraice *Tabangath* dici, a verbo *Tabangh*, quod, præter alia, ſignificat, *figere*, ſeu *defigere*; quia nempe anulus digito infigatur. Adiecitque Noghera Thamarem a Iuda ſocero pro arrhabone pretij concubitus petijſſe, & habuiſſe ſigillum, quod Latine vertitur *anulus*; nam in Hebræo legitur

Tabangath.

Chotam. Chotam, ideſt *ſigillum*; quod ex eo conſtat, quia ſigillum vnuſquiſque proprium habet; vt inde facile fuerit Thamari ſocerum autorem ſtupri prodere per anulum ipſius: at vero ſigillum idem eſt cum anulo, quia priſci ſignabant

d cap. 8. anulo; quod obſeruat etiam Lyranus, & habetur in Heſteris libro, (d) *Tulitque Rex anulum, quem ab Aman recipi iuſſerat, & tradidit Mardocheo.* & mox, *Reſponditque Rex Aſſuerus Heſter Reginæ & Mardochæo Iudæo, Scribite ergo Iudæis ſicut vobis placet ex Regis nomine, ſignantes literas anulo: hæc enim conſuetudo erat, vt epiſtolis, quæ ex Regis nomine mittebantur, & illius anulo ſignatæ erant, nemo auderet contradicere.* ac infra, *Ipſaque epiſtola, quæ ex Regis nomine mittebantur, anulo ipſius obſignata ſunt, & miſſæ per veredarios.* Quin & quum Pharao Rex Aegypti Io-

e Geneſ. 41 ſepho (e) dediſſet anulum *Tabaat*, Ioſephus tamen Hiſtoricus ait, (f) ipſum

f 2. ant. c. 3. accepiſſe anulum Regis ſignatorium: vt iam apud Hebræos duo reperiantur anuli nomina, *Tabaat*, ideſt in quem figitur digitus, & *Chotam*, ideſt ſigillum; quod cum Symbolo, ſuperius apud Græcos & Latinos communi, videtur conuenire. Sed hæc de nominibus anuli, ac eorum etymologia dicta ſufficiant.

De Anulorum antiquitate, ſiue primæua origine; quam in Prometheo non eſſe ponendam, nec in prima ſeruorum manumiſſione, nec in Principum Inſigni, ſed in origine ſeruorum vetuſtiſſima, demonſtratur. Cap. II.

Poſt nominum varietatem ac etymologiam, nunc primam Anulorum originem, in antiquitatis maieſtate reconditam, ſi fieri poteſt, aperiamus.

Non

Non ignoro quidem illam ad Prometheum paſſim referri conſueuiſſe, quem *1. opinio de*
vinctum Caucaſo ſolui Iupiter ea lege iuſſerit, vt ſemper ſecum ferret pri- *Promethco*
ſtinæ ſeruitutis memoriam, anulum ex catena detractum cum ſcrobe ſaxi, *expenditur.*
cui ligatus fuerat. Sed non ab re Plinius hoc fabuloſum exiſtimat, cui
(a) Peſſimum vitæ ſcelus fecit, qui anulum primus induit digitis: nec hoc quis fe- a l. 33. c. 1.
cerit, traditur: nam de Prometheo omnia fabuloſa arbitror: quanquam illi quoque
ferreum anulum dederit antiquitas; vinculumque id, non geſtamen intelligi voluerit.
& infra, *(b) Quæ fuerit origo gemmarum, & quibus initijs in tantum admiratio* b l. 37. proc.
hæc exarſerit, diximus quadantenus in mentione auri, anulorumque. Fabulæ pri-
mordium a rupe Caucaſea tradunt, Promethei vinculorum interpretatione fatali:
primumque ſaxi fragmentum incluſum ferro ac digito circundatum; hoc fuiſſe, anu-
lum; & hoc, gemma. Pierius quidem abſurditatem, ac imprudentiam fabu-
læ notat inquiens, *(c) Iugalia vincla monent, vt qua de cauſa anulus inter alia ſi-* c hier. 36.
gnificata, vinculi etiam fuerit hieroglyphicum, aperiamus: ea ſic fertur, Promethea
olim Saturni lege perpetuis vinculis ab Ioue damnatum, ea mox conditione liberatum,
vt inde anulum lapide & ferro compactum geſtaret, ne omnino exolutus pœna videre-
tur, indeque anulorum vſum propagatum. Indignationem autem Iouis inde ortam
aiunt, quod Prometheus Parcarum ſortem de Thetidis filio, qui patre maior & clarior
futurus eſſet, patefeciſſet; atque ita Iouem ab eius congreſſu deterruiſſet, ne ſe præ-
ſtantior filius naſceretur. Sed enim quum eiuſmodi legis ſilentium in Iouis perni-
ciem euaſurum eſſet, fabulatorum deſidero prudentiam, qui velint Iouem pro im-
perio & autoritate ſibi conſeruata, Promethea ita male multare voluiſſe. Licet
Iupiter libertatis dono ſatisfecerit eius beneficio; non tamen in eo aboleri
voluiſſe memoriam priſtinæ conditionis, ne rurſus in culpam caderet, ob
quam iterum puniri deberet: adeoque non imprudenter fabulatores illi teſ-
ſeram vinculorum reliquiſſe anulum. Vel, vt ait Polydorus Vergilius de re-
rum Inuentoribus agens, Iupiter ne erga Prometheum parum gratus vide- d l. 2. c. 21.
retur, ac vt liberationis eius perpetua memoria foret, anulum illi geſtan-
dum dedit. Rhodiginus etiam eiuſmodi primam anulorum originem ad
fabulam retulit, aſſerens, *(e) Qui fabuloſa conſectati, ſuis ea voluminibus com-* e l. 6. c. 19.
plexi ſunt, coronarum in ludis eam ferme originem tradidere. Prometheum quum Ioui
Parcarum ſortem patefeciſſet de Thetidis filio, quem patre illuſtriorem ampliorémque
futurum cecinerant, ab eo vinculis liberatum: ea tamen ratione, vt anulum lapide
& ferro compactum geſtaret, ne omnino pœna videretur exſolutus; quod & anulo-
rum initium agnoſcitur primum. Ego vero longe vetuſtiorem arbitror anulo-
rum originem: etenim Euſebij (f) teſtimonio, & (g) Boccacij, *Prometheus* f lib. temp.
fuit Argo regnante Argiuis, ac vt ait (h) Turſellinus, poſt annum Mundi g 4. Ge-
M M C C L. quum anulorum vſus antiquior fuerit non ſolum apud Aegy- neol. c. 44.
pti (i) Reges æuo Ioſephi Patriarchæ, cui ſuppar vixiſſe videtur Prome- h epit. Hiſt.
theus: verum etiam apud Iudam (k) maiorem natu Ioſepho, proprium pag. 14.
anulum Thamari relinquentem in arrhabonem hędi pro coitus pretio pro- i Geneſ. 41
miſſi: quos anulos non fuiſſe primos omnium, ſed antea priores alios mul- k Geneſ. 38
tos extitiſſe, neceſſe eſt. Quin & Alexander Scultetus in ſua Chronographia
ponit Ioſephum Patriarcham, qui recepit anulum aureum de manu Regis
Aegypti, præceſſiſſe Promethei natales annis quadragintaquinque; nam

ait Ioſephum vixiſſe anno Mundi 2230. Prometheum autem anno 2275.
l 3 d' ſymb. Her. c. 1. 11. opin. de anulis in manumiſſione ſeruorum expenditur. Ceterum inclytus Petra-Sancta, *Vt redeam,* (l) inquit, *ad anulorum originem, putem ſeruis in libertatem vocatis, circulum ex catena, cum lapidis, de quo fuerant empti, particula eidem anulo inſerta, dari conſueuiſſe, vt eſſent memores conditionis antiquæ. Ex luxu deinde, qui eſt res ſeruilis, nec ingenuum ac liberum animum decet, ferrum in aurum, lapidem in gemmam mutatum eſſe; ac geſtamen cæpiſſe haberi, quod antea vinculum fuit; atque adeo ſplenduiſſe inſtar ornamenti, quod initio fuerat tormentum. Porro in hac me ſententia confirmat epigramma illud Martialis,* (m) *in Zoilum creatum equitem, ex ſeruulo ergaſtulario,*

m l. 2. ep. 22.

„ Zoile, quid tota gemmam præcingere libra
„ Te iuuat; & miſerum perdere Sardonycha?
„ Anulus iſte tuis fuerat modo cruribus aptus:
„ Non eadem digitis pondera conueniunt.

Quaſi diceret, vnius libra anulum, etſi aureum, geſtas, & arbitraris, peræque magnos digitis, atque olim pedibus conuenire. Sic idem Martialis catenas, quas vna cum compedibus fingit Zoilum eundem conſecrare, ritu veteri, Saturno ſeruorum
n l. 3. ep. 23 *Deo, poſtquam fuit adeptus equeſtrem dignitatem, anulos vocauit, in his alijs* (n) *verſiculis,*

„ Has cum gemina compede dedicat catenas,
„ Saturne, tibi Zoilus, anulos priores.

Atque hinc ſerui dicebantur pedibus anulati: quæ omnia indicant, non omnino incongrue a ſeruorum vinculis repeti anulorum originem. A ſeruis quidem, non tamen ab eorum manumiſſione repeti poſſe primam anulorum originem: nec ex luxu ferreos in aureos mutatos, conſtat ex antiquis: nam vetuſtiſſimum
o Gen. 38. anulorum teſtimonium fuit Moſis, qui ſimul anulum (o) ferreum Iudæ tri-
p Gen. 41. buit, & aureum (p) Aegyptio Regi, prorſus eodem æuo degentibus; vt iam non habeamus ex hiſtoricis aureos anulos ad luxum, & ex luxu fluxiſſe; verum ad autoritatem, ac maieſtatem imperij primum geſtatos. Deinde vero non omnes ſerui, qui manumittebantur, & anuli iure donabantur, de lapide fuerant empti; tum quod bello capti libertate donari multi potuere, poſt egregie fideliterque præſtitam ſeruitutem, nullam vnquam venditionem paſſi: tum quia non omnes ſerui de lapide primitus emebantur: nam ipſe Ioſephus, qui donatus a Pharaone fuit anulo regio, prius a fratribus in
q Gen. 37. campo Dothaim venijt (q) Madianitis non de lapide vllo; & ſecundo venundatus fuit ab his mercatoribus in Aegypto Pharaonis Eunucho non de lapide prorſus vllo: vereque ſeruos emere de lapide, ſeu vendere ad lapidem mos fuit aliquando apud Græcos & Romanos multo poſt anulorum vſum.
r in vit. Æſ. Quin & Aeſopus apud Maximum (r) Planuden ab hero venditus eſt in agro, non autem de lapide. Præterea vendebantur antiquitus a pauperculis parentibus infantes in ciſti, non ad lapidem vincti; quod obſeruat &
ſ 1. var. lect. cap. 1. Mercurialis, cui (ſ) *Vetuſtiſſimis vſque temporibus, quum nulla religio homines perinde ac belluas, ſeruitijs teneri, ac permutari vetaret, inueniebantur qui in nulla alia arte ſe exercebant, quam in vendendis, permutandiſque infantibus, pueris, viris, virginibus, mulieribus, eunuchis, omniſque tandem generis hominibus: ſed inter hos aliquod diſcrimen obſeruari; quoniam qui pueros, puellas, & mulieres in libidi-*

nis

nis ſeruitium venditabant, antiquo Romanorum vocabulo Lenones vocabantur: qui vero infantes in caniſtris, ſeruos, eunuchos, alioſque homines alterius operis gratia venales habebant, [ANDRAPODOKATHLOI,] *& interdum* [ANDRAKAPHLOI] *a Galeno, a Latinis Mangones vocati inueniuntur.* Ceterum vt ex Plauto non (*t*) ſemel conſtat, ſerui plurimum emebantur non ad t in Curcul.
vllum lapidem catenati: ſed ſpeciatim Daniſta virginem vendens adole- in Caſina.
ſcenti Stratipocli ſic inducitur in (*u*) Epidico, i Epidico.

,, *Da.* Age age, abſolue me, atque argentum numera, ne comites morer. in Perſa.
,, *St.* Pernumeratu'ſt. *E*. Tene crumenam, huc inde. *Da.* Sapienter venis, *u* ver. 614.
,, *St.* Opperire dum effero ad te argentum. *Da.* Matura. *St.* Domi eſt. &c. *x* act. 3. in f.

Et in (*x*) Perſa,

,, *To.* Cape hoc ſis. *Do.* Quin das? *To.* Nummi ſexcenti hic erant,
,, Probi numerati, fac ſit mulier libera,
,, Atque huc continuo adduce. *Do.* Iam faxo hic erit.
,, Non hercle cui nunc hoc dem ſpectandum ſcio.

Nec vnquam in eiuſmodi venditionibus video lapidis aut catenarum mentionem fieri. Terentius item frequenter illiuſmodi ſeruorum emptiones memorat, nullo prorſus iniecto verbo lapidis, aut catenarum: ſed e venditoris manu, pecunia, vel domi numerata. Deinceps, qui vetuſtiſſimus olim gerebatur anulus tum a Iuda Patriarcha ferreus, vel æreus (pluris enim æſtimare non poſſum arrhabonem hædi) tum a Pharaone Rege Ioſepho donatus aureus, non potuit ab illis teſſera priſtinæ ſeruitutis geſtari, qui duo priores nullam vnquam ſeruitutem ſeruierant. Inſuper tantum abeſt, vt libertis in manumiſſione daretur anulus ad recordationem antiquæ conditionis, quod potius id fiebat ad illius iniquæ ſortis abolitionem obliuionemque; quin & ad ſymbolum ingenuitatis, & libertatis, pro iure nobilitatis, ac munere quodam, & honore; quum recordatio priſtinæ ſeruitutis eſſet ignominia quædam odioſa potius & improperium, perinde ac inuri ſolitum ſtigma fronti vel genæ ſerui fugitiui; non autem honor, aut ius, aut munus vllum: audio ſiquidem Alexandrum in Genialibus ea dicentem, *Quin etiam & femina & extrema mancipia (quod antea non licuit) aureorum* y l. 2. c. 19.
anulorum iure donarentur: qui enim libertus eo munere donatus erat, velut ingenuus cenſebatur viuens, ita vt haud ſecus quam quiuis liber, magiſtratus, & honores gerere, & reliqua ingenuorum munia obire poſſet; morte autem obita, hæreditatis & bonorum partem, vt quilibet libertus & ſeruitute exemptus, patrono dare cogebatur: eratque conſtitutum, vt qui libertus anulo donaretur, exploſo veteri nomine, equeſtre aſſumeret. Conſimiliter & Pierium in Hieroglyphicis aſſerentem, (*z*) *Li-* z lib. 40.
bertos manumiſſione accepta, alba veſte decorari ſolitos, id oſtendit, quod apud Tertullianum legitur de famulo libertate donato: Atqui & veſtis albæ nitore, & aurei anuli honore, & patroni nomine ac tribu menſaque honoratur: *& alibi talia, vt aduerſus (a) Marcionem,* (& mox) *Quod vero ſeruis, atque libertis ius anu-* a lib. 5.
lorum negaretur; quo tamen impetrato, ingenuitas ſimul impetrata intelligeretur, XL. Digeſtorum lib. Papinianus, Neratius, Paulus, & Vlpianus oſtendere. Fuerunt igitur anuli aurei cum gemma recens acquiſitæ libertatis indicia, non ſigna vetuſtæ ſeruitutis, in manumiſſis, ac libertate donatis. Deinceps

autem prius erat vſus anulorum apud ingenuos, quam cœpiſſet concedi libertas in manumiſſione; quod apparet ex dictis Genialium ab Alexandro: quare non potuit eſſe anulorum origo dudum ex ferro, & ſcrobe lapidis, de quo ſerui fuerint empti, cuius memoriam conſeruare deberent in libertatem vindicati. Nec omittendum eſt, æque ius anulorum cum gemma pridem habuiſſe tum ingenuos, qui nunquam de lapide fuerant empti, ſed ſemper antea liberi vitam duxerant: tum etiam ſerui libertate donati: nullamque rationem haberi, cur iidem anuli forent in his indicium priſtinæ ſeruitutis, non item in illis: at vero par eſt in vtriſque fuiſſe ſignum ingenuitatis atque libertatis, ſiue naturalis ea foret, vt in prioribus; ſiue quomodocunque acquiſita, vt in poſterioribus; alioquin Equites nunquam ſeruitutem paſſi, teſſeram ſeruilem cum manumiſſis geſtare dignati non fuiſſent; qui præ indignatione promotionis plebeiorum hominum, etſi liberta-
b l. 9. inf. te gaudentium, dudum anulos aureos abiecerunt; Liuio namque, (*b*) *Flauium dixerat Aedilem forenſis factio, Ap. Claudij cenſura vires nacta, qui Senatum primus libertinorum filijs lectis inquinauerat: & poſtea quam eam lectionem nemo ratam habuit: nec in Curia adeptus erat, quas petierat, opes vrbanas; humilibus per omnes tribus diuiſis, forum, & Campum corrupit. Tantumque Flauij Comitia indignationis habuerunt, vt plerique nobilium anulos aureos, & phaleras depone-*
c l. 33 c. 1. *rent*. In eandem ſententiam Plinius, (*c*) *Frequentior autem vſus anulorum non ante Cn. Flauium Annij filium deprehenditur; hic namque publicatis diebus faſtis, quos populus a paucis Principum quotidie petebat, tantam gratiam plebis adeptus eſt, alioquin libertino patre genitus, & ipſe Appij Caci ſcriba, cuius hortatu exceperat eos dies, conſultando aſſidue ſagaci ingenio, promulgaueratque vt Aedilis Curulis crearetur, cum Q. Anicio Præneſtino, qui paucis ante annis hoſtis fuiſſet, præteritis C. Petilio, & Domitio, quorum patres Conſules fuerant. Additum Flauio, vt ſimul & Tribunus plebis eſſet: Quo facto, tanta Senatus indignatione exarſit, vt anulos ab eo abiectos fuiſſe, in antiquiſſimis reperiatur annalibus. Fallit pleroſque, qui tum & Equeſtrem ordinem id feciſſe arbitrantur: eſt enim adiectum hoc quoque: ſed & phalera poſita: propter qua nomen Equitum adiectum eſt. Anulos quoque depoſitos a nobilitate; in annalibus relatum eſt, non a Senatu vniuerſo. Hoc actum eſt P. Sempronio Longo, L. Sulpicio Coſſ.* Quæ ſatis oſtendunt anulorum originem etiam apud Romanos non habuiſſe principium in manumiſſione ſeruorum, quibus libertate donatis relinqueretur anulus indicium priſtinæ ſeruitutis: nam indignabundi nobiles eiuſcemodi notam ignominiæ geſtare noluiſſent, ſed abieciſſent. Vlterius etiam olim Ioſephus bis emptus fuit,
d Gen. 37. de manu (*d*) fratrum a Madianitis negociatoribus, & mox de manu (*e*) Ma-
e Gen. 39. dianitarum ab Eunucho Regis Aegypti; tandemque conſtitutus dominus Aegypti Prorex a Pharaone, recepit ab ipſo ſymbolum honoris anulum aureum: etenim Aegypti Rex dum Ioſephum manumitteret, liberumque faceret, dedit ei proprium anulum, non in memoriam odioſam priſtinæ ſeruitutis, aſt in teſſeram gratioſam nuperæ libertatis, & recens adeptæ dominationis: Quod aperte conſtat ex verbis Regis, ipſum honorantis, & in
f Gen. 41. manumiſſione ſic alloquentis, (*f*) *Tu eris ſuper domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet: vno tantum Regni ſolio te præcedam. Dixitque rur-*

ſus

ſus Pharao ad Ioſeph: Ecce conſtitui te ſuper vniuerſam terram Aegypti: tulitque
anulum de manu ſua, & dedit eum in manu eius: veſtiuitque eum ſtola byſſina, &
collo torquem aureum circumpoſuit: fecitque eum aſcendere ſuper currum ſuum ſe-
cundum, clamante præcone vt omnes coram eo genuflecterent, & Præpoſitum eſſe
ſcirent vniuerſa terra Aegypti. Dixitque quoque Rex Aegypti ad Ioſeph: Ego ſum
Pharao, abſque tuo imperio non mouebit quiſquam manum aut pedem in omni terra
Aegypti. Sic ergo liberatus a ſeruitute Ioſephus, accepit anulum a Rege
teſſeram nouæ libertatis, nouique Dominij ſymbolum, quibus honoribus
donabatur; non autem opprobrioſam recordationem priſtinæ ſeruitutis,
quam exuebat. Nec idem anulus, qui prius in manu Regis indicabat im-
perium, mox in manu Ioſephi ſignificare potuit aliud quam idem impe-
rium, ad quod is extollebatur a Rege. Quod euincitur etiam ex hiſtorico
Ioſepho, qui congenei ſui cognominisque viri talem attulit hiſtoriam,
(g) *Qua poteſtate* Ioſephus *a Rege auctus, accepto etiam anulo Regis ſignatorio, &* g 2. ant.
iure purpuræ geſtandæ, in ſella curuli ſublimis per Aegyptum circumuectabatur. Iud. c. 3.
Ad indicandam autem ſeruitutem, ac emptionem priſtinam aptior fuiſſet
anulus cum integro lapillo ſine ſculptura, & ferreus; nec oportuiſſet illi
dare ſignatorium anulum, & aureum; qui ſemper fuit indicium Magiſtra-
tus, & honoris atque dominij ſymbolum; quod non ſolum Plinius aſſerit,
(h) aureos anulos dari primum conſueuiſſe Legatis ad exteras gentes, vt h l. 33. c. 1.
honoratiſſimi cenſerentur; ſed etiam Plinio longe vetuſtior, longeque ſa-
pientior Salomon, cui (i) *Circulus aureus in naribus ſuis, mulier pulchra &* i Prou. 11.
fatua: quem locum explicans D. Gregorius infit, (k) *Circulus aureus in na-* k 31. mo-
ribus ſuis eſt pulchra & circunflexa locutio in ſenſibus mentis ſtultæ: cui ex eloquio ral. 1.
aurum pendet; ſed tamen ex terrenæ intentionis pondere, more ſuis, ad ſuperiora non
reſpicit. Quod prouerbium aſſignari dicit Paræmiographus, *vbi res quæpiam*
per ſe præclara illic adhibetur, vbi minus addecet: vt ſi ſtulto contingant opes, fa-
tuo forma, genus ignauo, eloquentia viro improbo, magiſtratus imperito; his enim
rebus non modo non ornantur, verum etiam magis ridiculi fiunt. Olim autem anu-
lis quibuſdam aureis in auriculas inſertis, ornari ſeſe credebant, maxime barbari.
Inſeritur & ſuillis naribus anulus æreus, quo minus noceant agris roſtri ſuffoſſione,
quæ peculiaris eſt huic animanti; quaſi propter & agricolationem monſtraſſe creditur.
Quod ſi anulum aureum roſtro ſuillo inſeras, res ſit oppido quam ridenda. Quare
minime decebat, ad indicandum ſeruitutem, & emptionem priſtinam Io-
ſephi, dum is manumitteretur, aureo anulo donari: quod aureus anulus de-
corem, & egregias res indicet ſemper apud antiquos. Denique vero ſen-
tentiam noſtram mirifice comprobat Zoili donarium a (l) Martiale diffa- l lib. 3. ep.
matum; etenim poeta Zoilo ſatis exprobrat anulos priores catenarum ſer- 23.
uilium, quas cum compedibus anathemata Saturno ſeruorum numini ſu-
ſpenderat; ne factus eques, indicem adeptæ libertatis anulum aureum oſten-
tans, de hoc pretioſo digiti ſuperbiret, qui prius habuit ferreos ignobiles
& ignominioſos ad crura. Quin & anulum aureum ingenuitatis indicem; m l. 11. ep.
non vicarium, aut ſuccedaneum, ſed oppoſitum potius indicat anulo ferreo 38.
ſeruitutis præcedentis non ſolum in altero epigrammate (m) Martialis, eun- n 3. ſylu de
dem Zoilum ſugillans, vt dictum eſt; ſed etiam (n) Papinius, oſtendens lacr. Herc.
olim

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

olim libertos ac ſeruos anuli ferrei geſtamine notatos, in manumiſſione ſimul aureum anulum, & Equeſtrem dignitatem induiſſe; ferreum, & opprobrioſum anulum exuere conſueuiſſe,

„ ——— tenueſque nihil minuere parentes,
„ Atque idem in cuneos populos quum duxit equeſtres
„ Mutauitque genus, læuæque ignobile ferrum
„ Exuit, & celſo natorum æquauit honore.

o cap. 9. ſcilicet Veſpaſianum innuit, qui (o) Suetonio teſte, *Ordines ampliſſimos, & exhauſtos cæde varia, & contaminatos veteri negligentia purgauit, ſuppleuitque recenſo Senatu, & equite: ſubmotis indigniſſimis: & honeſtiſſimo quoque Italicorum ac prouincialium allecto. Atque vti notum eſſet, vtrumque ordinem non tam libertate inter ſe, quam dignitate differre; de iurgio quodam Senatoris Equitiſque Romani ita pronuntiauit, Non oportere maledici Senatoribus: remaledici ciuile faſque eſſe:* Qua circunſpecta librataque ſententia, Beroaldi notatu, Veſpaſianus ſignificare voluit, Senatorem ab Equite ſola dignitate differre; tanquam non debeat Eques prior laceſſere conuitio iurgareque Senatorem; ſed ſi laceſſitus fuerit, vt fas ſit par pari rependere, & remordere mordentem, iuxta illud e triuio, *Si dixeris quod vis, audies quod non vis*: & illud, *Prout ſementem feceris, ita metes:* Aſt ad Papinium redeamus, cui Veſpaſianus mutauit genus Claudij Etruſci; nam eum ex libertina conditione ad Equeſtrem dignitatem prouexit, & fecit vt exueret anulum ferreum, quem ſerui & libertini ſolebant geſtare; atque aureum aſſumere, qui erat inſigne equeſtre. Quod etiam Tur-

p 20. Aduer. c. 20. nebus (p) atteſtatur, cui ferreum anulum deponebant ſerui, aureo aſſumpto, quum ingenuitatis iura conſequebantur; quod fiebat, quum ſeruitute liberati, ius aureorum anulorum ab Imperatore impetraſſent: tunc enim & pro ingenuis, ſaluo tamen patronatus iure, habebantur, & Equeſtrem dignitatem, vel beneficium Equeſtri dignitate compar cenſebantur adepti; nam quum hos geſtare nulli, quam Equeſtris ordinis hominibus fas olim eſſet; quippe qui ijs pro inſigni, quo a plebe diſtinguerentur, vtebantur; vt ex

q l. 33. c. 1. (q) Plinio docet (r) Budæus, merito conceſſa aureorum anulorum vſurpatio-
r ad L. vlt. ff. de ſenat. ne, ipſam quoque Ordinis dignitatem Princeps conceſſiſſe videbatur. Quin & ſi quis anulos ab Imperatore acceperit, honorem eius augeri (ſ) Iuriſcon-
ſ L. falſ. de mon. 33. §. ſed ſi cui, ff. de cōdit. & dmōſtr. ſultus reſpondit. Libertinis igitur dato iure anulorum, Equeſtris dignitas collata cenſetur. Quæ res efficit, vt in multis Iuris partibus donati anulis Libertini pro Ingenuis habeantur. Tacitus Equeſtri dignitate donare, & anulis honorare, promiſcue vſurpat: *Poſtulante exercitu*, (t) inquit, *vt Libertum ſuum Aſiaticum Equeſtri dignitate donaret, honorauit anulis*. Et Lampridius

t 18. annal. ait, Alexandrum Seuerum libertinos nunquam in Equeſtrem locum redegiſſe, id eſt, nunquam honoraſſe anulis aureis, ne Equeſtris ordo libertinis

u l. 7. obſeru. c. 14. & ad tit. ff. de iur. aur. anul. commacularetur: vt eſt apud Suetonium. Idque Cuiacius (u) pluribus exequitur. Sic igitur nec anulus aureus fuit inſigne ſeruitutis antiquæ, ſed ingenuitatis atque nobilitatis: nec introductus a luxu poſt ferreum, ſed ab Imperatore donatus honoris ergo: nec anulus ferreus originem habuit in manumiſſione ſeruorum, ſed ante manumiſſionem a ſeruis geſtari conſueuit: Qui & a liberis etiam paſſim geſtabatur antiquitus. Quare vetuſtior eſt

anulus

anulus omni manumiſſione. Quam ſententiam denique videtur ampleɛti mecum vel ipſe Cl. Petra ſancta, (*) dicens, *Quando innocentior ætas erat, in* * l. 3. c. 11.
ſimplici metallo, ſeu ferrum, ſeu æs, ſeu argentum, ſeu aurum eſſet, ſigilla figurabantur; Dein luxus, vt hoc multo fieret pretioſius aut ſuperbius, addidit anulis gemmas, non vt ſicuti prius ſpectarentur, & coronarentur auro, ſed vt ſeruirent tanquam fidei teſſera, atque iniuriam cæli vel ſcalpri paterentur. Tertiam opinionem coluit Cl. Gorlæus, aſſerens, *Fuit itaque peruetuſtus huius geſtaminis vſus: nec facile dixeris, quis primum inſtituerit. Regum & Principum ab initio fuiſſe inſigne veriſimile; deinde gliſcente paulatim luxu ſine diſcrimine ſumptum.* & mox, *Cauſa finiſque gerendi anulos ab initio fuit luxus opumque oſtentatio, quo lautioris fortunæ a tenuioris conditionis hominibus diſtingui ſe cupiebant; & quamuis, vti diximus, primi anuli rudiores, & ex ſimplici metallo extiterint, argumentum tamen erant opum & ſplendidioris fortunæ: poſtea quum gemma addi capere, hæc vera luxuriæ æſtimata gloria digito Vrbis aut fundi geſtare pretium.* & paulo poſt, *Verum enim vero quantumuis ad ornatum luxuſque oſtentationem primum adinuentos libenter fatemur anulos, originemque concedamus pudendam; factum tamen deinceps vt ad honeſtiores vſus tranſlati ſint, ſignandi dico munus; quam etiam vnicam inueniendi anuli cauſam, apud Macrobium aſſignat Atteius Capito.* Ceterum nec illi ſententiæ ſubſcribere valeo: quum primi omnium anulorum ferrei fuerint; quod vel ipſe Gorlæus innuit, ac tantum non aperte fatetur, vbique prius ferreos quam argenteos, & aureos memorans: Ferrum vero metallum ignobile fuit, vbique proſtans, etiam infimis homunculis; ineptumque propterea ad luxus, ornatus, & opum, Regum, & Principum ſplendidiorem fortunam oſtentandam, ſignificandamve. Denique vero libere dicam ego quid hac in re mihi ratio ſuaſerit. Ferreos anulos, antequam aurei forent, effectus fuiſſe, non apud Romanos tantum & Græcos, vt oſtendit (x) Plinius; ſed & apud Hebræos ac Aegyptios, aperte conſtat ex Moſe, qui prius meminit (y) anuli ferrei Iudæ, quam aurei (z) Pharaonis: etſi leuis eſſe videatur iſta coniectura, non eſt tamen aſpernanda in tanta vetuſtatis obſcuritate: quam certe comprobant euidentes aliæ rationes; etenim ferreos anulos, vt & ex alia quacunque materia confectos, triplicis fuiſſe generis apud antiquos, apparet ex Ariſtotele, Polluce, Plinio, & alijs; vnos nempe ſimpliciſſimos orbiculos exactæ ſphæricitatis, ſine funda, ſeu pala, & ſine lapide; quos Ariſtoteles appellat Apiros, quaſi ſine fine, ſimillimos catenarum anulis; ait enim, (a) [KAI GAR TOYS DAKTYIIOYS AIEIROYS PHASI, TOYS MEN ECHONTAS OPHENDONYN] id eſt, *etenim anulos infinitos vocant, non habentes palam.* De his etiam egit Iulius Pollux ita, (b) *Anulum autem circularem, & gemma carentem infinitum, & indeterminatum vocant.* Alios paulo artificioſiores, quibus pala, ſeu funda foret, in qua ſculpebatur imago quæpiam ad ſignandum; ſed qui ſine lapillo fierent: vnde vocabantur, Alithi; de quibus Plinius inſit, (c) *Multi nullas admittunt gemmas, auroque ipſo ſignant.* Et ante Plinium Ariſtoteles, cui (d) *Senſus eſt id, quod eſt receptiuum formarum ſine materia, vt cera anuli, ſine ferro & auro, recipit ſignum; accipit autem aureum aut æneum ſignum. ſed non in quantum aurum, aut æs.* Tertios denique compoſitiores, & artificioſiores, quod includeret lapillum in funda, nominarunt

III Opinio de Regum inſigni ad ornatum, & opum oſtentationē, notatur.

IV Sententia ponitur & probatur.

x l. 33. c. 1.
y Gen. 38.
z Gen. 41.

a 3. phyſ. t. 62.
b l. 7. c. 32. n. 7.
c l. 33. c. 1.
d 2. de an. t. 121.

narunt gemmatos : cuiuſmodi *gemmatos magna ſpecie anulos* dedit Sabinis
e lib.i.init. (*e*) Liuius. Ego quidem facile crediderim anulos alithos & apiros, nempe
ſine lapillo, & ſine pala, perfectæ rotunditatis, anulis catenarum ſimiles,
fuiſſe ceteris antiquiores, & omnium abſolute primos, vt pote ſimpliciſſi-
mos: poſt eos ſecundo loco factos fuiſſe alithos non apiros, qui ſine gemma
fundam habuerint: & omnium poſtremos tertio loco fuiſſe conſtructos anu-
los gemmatos; cuius rei probationem inde ſumere licet, quod anulus eſt ar-
tis opus, quam anulariam Cicero recte nuncupat a fine (iuſtum eſt enim
f 1. de an. omnia determinare a fine, vt ait (*f*) Ariſtoteles) verba Tullij ſunt in (*g*) Aca-
t. 49. demicis, *Quod ſi in eiuſmodi cera centum ſigilla hoc anulo impreſſero: ecqua poterit*
g lib. 4. *in agnoſcendo eſſe diſtinctio? an tibi erit quærendus anularius aliquis, quoniam galli-*
narium inueniſti Deliacum illum, qui oua cognoſceret? de quo ſcilicet antea Tul-
lius, *vt mater geminos internoſcit conſuetudine oculorum; ſic tu internoſces, ſi aſſue-*
ueris: vides ne vt in Prouerbio ſit Ouorum inter ſe ſimilitudo? tamen hoc accepimus,
Delis fuiſſe complures (ſaluis illis rebus) qui gallinas alere permultas quæſtus gra-
tia ſolerent: hi quum ouum inſpexerant, quæ id gallina peperiſſet diſcernere ſolebant.
Anulus igitur opus ac effectus eſt artis anulariæ: ſed artes omnes ab initio
rudes, opera rudia ſimplicioraque primum effingere conſueuiſſe, certiſſimis
conſtat experimentis; nam & Aeliano variam hiſtoriam (*h*) deſcribenti,
h lib. 10. *Quum ars pingendi iam ortum duceret, & quodammodo in lacte faſcijsque verſare-*
c. 10. *tur, adeo rudi & impolito ſtylo depinxerunt animantia, vt adſcribere ad ea pictores*
i 2. elen. *neceſſe eſſet, hoc eſt bos, illud equus, hoc arbor*: & Ariſtoteli, tum in logicis, (*i*) *Eo-*
c. 8. *rum, quæ inueniuntur, omnium, quæ quidem ab alijs ſumpta ſunt prius, elaborata*
paulatim incrementum ſumunt ab illis, qui poſtmodum accipiunt: quæ autem ab initio
comperiuntur, paruum in primis ſumere ſolent incrementum, attamen vtilius multo
eo (quod poſtea ab alijs fit) accremento: maximum enim fortaſſe principium omnium,
vt dicitur; quare & difficillimum: quanto enim poteſtate validiſſimum, tanto mole
minimum eſt videri: eo autem comperto, facile eſt adijcere, coaptareque reliquum:
k 2. meta. tum in metaphyſicis, (k) *Verum non ſolum illis agenda ſunt gratia, quorum opi-*
t. 2. *nionibus quis acquieſcet, ſed illis, qui ſuperficietenus dixerunt; conferunt enim ali-*
quid etiam iſti: habitum nanque noſtrum exercuerunt: ſi enim Timotheus non fuiſ-
ſet, multum melodiæ nequaquam habuiſſemus: ſi tamen Phrinis non extitiſſet, ne Ti-
motheus quidem. Quamobrem id ipſum de anularia dicendum eſt arte; pri-
mos anulos ab ea ſimpliciſſimos, atq; rudiores effectos, alithos non ſolũ ſine
gemma, ſed & apiros ſine funda, ſphæriciſſimos; cuiuſmodi ſunt anuli cate-
l L. 5. de narum: Deinde paulo artificioſiores effictos, cum pala ſine gemma: denique
ſtat. hom. conſtructos fuiſſe gemmatos, cum funda & cum lapillo. Certe primorum
m Gen. 9. anulorum ſine gemma, & ſine pala, quos alithos & apiros dicunt, antiquiſ-
n Ar. 1. po- ſimam ego dixerim originem, coæuam ſcilicet primæ ſeruorum inſtitutioni;
li. 4. quæ fuit vetuſtiſſima; ſiquidem de Iure (*l*) Ciuili, quo quis pretij participan-
Epit. Iur. di gratia, ſe, vel filios vendebat ad ſeruitutem, extitit ante tempora Noe, qui
ciu malum filium ita mulctauit, (*m*) *Maledictus Chanaan, ſeruus ſeruorum erit fra-*
o L. 64. de *tribus ſuis*. De Iure vero gentium, quo quis ab hoſtibus (*n*) capiebatur, aut
cond. init. ex (*o*) ancilla naſcebatur Domino, fuit partim eodem tempore, quo vixerunt
p init. ancillæ, partim (vt retur Cl. Pignorius noſter in opere ſuo de (*p*) Seruis)

paulo

paulo poſt, æuo Nembrothi, qui (conſentientibus (q) D. Auguſtino, (r) Pe- q 16. de Ciuit. c. 4.
rerio, & Conr. (ſ) Rittherſuſio, apud Io: (t) Sarisberienſem) *traditur in* r 15. i Gen.
tantum elationis erupiſſe vecordiam, vt non vereretur iura temerare naturæ; quum ſ Schol. ad Oppian.
conſortes conditionis, & generis, quos ingenuos illa creauerat, hic addiceret ſeruituti. t 1. Policrat. cap. 4
Neque vero ſumere poſſum ab Alcimo Auito ſeruorum originem Noemi
tempore primum incæpiſſe; dicit enim, maledictionem Chanaan (u) inſe- u lib. 4.
ctatus, vt obſeruat etiam (x) Pignorius, x init. de ſeruis.

„ —————— primum inde repertum
„ Seruitij genus: cuncti nam ſemine ab vno
„ Prodijmus: patremque omnis ſibi vindicat vnum
„ Poſteritas: deque ingenuo mala crimina ſeruum
„ Efficiunt. ————

Etenim Noe maledicens Chanaan filium nequam, eumque addictum ſer-
uum ſeruorum fratribus ſuis, non ariolatus eſt, aliquando primum ſeruos
inſtituendos fore; ſed qui nouerat experimento miſeram ſeruorum condi-
tionem ſuo tempore degentium, & didicerat patrum traditione ſeruos an-
tea multos fuiſſe peſſime habitos ab heris, ob crimen ſceleſto filio precatus
eſt ærumnam ſerui; qua non hero domino miſericordi, ſed ſeruis immitibus
famularetur atroci ſeruitio; quemadmodum e ſacra (y) pagina conſtat aper- y Matt. 18.
te. Verum & longe multo vetuſtiorem non ab re forte dixeris anulorum &
ſeruorum originem, ſi mente recolas quæ leguntur apud Moſen, cui (z) Cain z Gen. 4.
Adami filius genuit Enochum, qui genuit Iradum, patrem Mauiaelis, qui
genuit Mathuſaelem patrem Lamechi, qui ex vxore Sella genuit *Tubalchai-*
mum, qui fuit malleator & faber in cuncta opera æris & ferri; proindeque potuit
anulos efficere, vereque fecit inter opera æris & ferri anulos, potiſſimum
catenarum: ac eo magis, quo Rhabani teſtimonio, atque Ioſephi Iudaica-
rum antiquitatum hiſtorici, nec non & Gloſſographi interlinearis, arte fer-
raria Tubalchaimus exercuit crudelitatem bellorum, quibus homines vi-
cti, catenis vinciebantur & compedibus. Ioſepho nanque, (a) *Thobel, vnus* a 1. ant. c. 2.
ex altera vxore prognatorum, viribus excellens rem militarem egregie tractauit,
cuius artibus & opes ampliores, & victum lautiorem ſibi compararunt; quin & ara-
riam primus eſt commentus. Diuo Hieronymo, *Naſcitur Tubalchain, qui per*
opera æris concupiſcentiam oculorum irritauit, & arte ferraria crudelitatem bello-
rum excitauit. Lyrano, *Tubalcain artem ferrariam adinuenit. Hebræi dicunt,*
quod ipſe inuenit arma ad occidendum; & in hoc fuit imitator patris ſui Cain, qui
fuit occiſor. Et vere ſeruos cum bellis originem habuiſſe conſtat etiam apud
Græcos ex eo, quod Lacones, omnium Græcorum belliçoſiſſimi, ſeruitium
inueniſſe dicuntur a (b) Plinio. Niſi quoque dicamus, bella ſeruitiaque, b lib. 8.
ſiue mancipia, prius incæpiſſe Caini tempore, de quo Ioſephus in antiqui- c. 56.
tatibus ita, (c) *Cain autem multas regiones vna cum vxore emenſus, tandem Nai-* c l. 1. c. 4.
da condidit; id loci nomen eſt; atque illic ſedem aptauit, vbi etiam liberos procreauit.
Ceterum tantum abfuit, vt hac caſtigatione in melius vitam mutauerit, vt peior
etiam ſit factus, ſuis voluptatibus vel cum aliorum iniuria indulgens; & facultates
domeſticas per vim ac rapinas accumulans, accitis vndecunque latrocinorum, & ne-
quitia ſocijs, magiſter illis ad facinoroſam vitam eſt effectus: qua nimirum homi-

nes in ſeruitutem ſpeciatim rapuit; etenim domeſticas inter opes adnume-
d lib. 1. c. 5. rantur etiam ſerui; quod ait in Oeconomicis Ariſtoteles, (d) *Poſſeſſionum autem prima quidem, ac maxime neceſſaria eſt illa, quæ optima, & principaliſſima: id autem eſt homo: quapropter oportet primo ſeruos parare ſtudioſos. Seruorum autem ſpecies duæ, Curator, & Opifex*. D. Ambroſius in propoſito, (e) Caini dominium
e 2. de Cai. & Abel. c. 10. erga gentes aſſeruit, vel notatu (f) Pererij, *Abel per ſummam iniuriam & crudelitatem a fratre ſuo is interfectus eſt. Tam atrocis autem facinoris auctor Cain, homo impius & ſceleſtiſſimus longiſſimam vitam exegit, vxorem duxit, filios procreauit, numeroſam & diuturnam vidit poſteritatem, vrbes condidit, multorumque princeps ac dominus plures annos impune vixit*. Verum ab initio tria fuere ſeruorum genera, a morum varietate ducta dictaque: nam duas illas ab officijs ſpecies primas deduxit Ariſtoteles, curatorem, & opificem: aſt a moribus, vni quidem ſerui nequam fuere fugitiui, quos neceſſum erat catenis compedibusque vinctos detinere; quæ vincula fugam impedientia, ſecum ſemper, carcerem veluti portatilem, geſtarent, etiam pergentes extra domum ad heri ſeruitia peragenda: cuiuſmodi nunc etiam Genuæ degunt, & alibi capti-
f l. 7. Gen. v. 26.

g init. ui Turcæ, alijque damnati ad triremes: de hiſce pulchre Plautus in (g) Ca-
h cap. 1. ptiuis, vt (h) antea vidimus. Alij vero ſerui ſunt fideles, ac proinde digni quibus Heri fidem habeant de bona ſeruitute præſtanda: hos olim non catenis, neque compedibus ferreis vinctos domini cuſtodiebant; ſed abſque vinculis permittebant libere progredi ad officia communia peragenda: ne tamen carerent omnino ſigno ſeruitutis, pro catenis, & compedibus, ſuccedaneum geſtabant anulum digito ferreum, vel æreum, ſine lapillo, ſine funda ſignatoria, prorſus & alithum, & apirum, ſimilem penitus anulis catenarum ſimpliciſſimis, a quibus magnitudine ſola vix differebant, non figura. Qua de re præclarum itidem exemplum vidimus apud eundem Plautum in
i cap. 1. (i) Truculento. Tertij denique ſerui digniſſimi fuerunt, quibus Heri nedum fidem habebant de perſeuerantia in ſeruitute, verum etiam propriarum rerum cuſtodiam & curam permittebant aſſignabantque (quos Ariſtoteles Curatores appellat) adeoque ſignatorium anulum cum funda, ferreum, vel æreum; quum Dominis idem ad ſignandum aureus in vſu foret;
k l. 8. ep. 6. vti conſtat ex iuniore (k) Plinio: De quo quidem ſeruorum genere memo-
l 10. metam. rabile teſtimonium habemus (l) Apuleij, apud quem Medicus arguit ſeruum ære fidiſſimum ex proprio ſerui anulo ſignatorio; qua de re latius in-
m in Truculent. fra ſuo loco. Quin & ille Stratilax (m) Plautinus hero fidiſſimus ad hoc tertium genus forte redigi poterit, quod geminos haberet anulos æneos, alterum apirum, teſſeram ſeruitutis; alterum cum funda ſignatoria, ſymbolum fidelitatis erga Dominum circa rerum herilium curam. Verum enim
n Gen. 14. vero licet hi ſerui tertij generis antiquiſſimi ſint; etenim (n) *Abram numerauit expeditos vernaculos ſuos trecentos decem & octo*. & mox, (o) *Dixitque*
o Gene. 15. *Abram, Domine Deus, quid dabis mihi? Ego vadam abſque liberis: & filius procuratoris domus mea iſte Damaſcus Eliezer. Addiditque Abram, mihi autem non dediſti ſemen: & ecce vernaculus meus hæres meus erit*. Non tamen eiuſcemodi
p Epit. Iur. Ciu. ſerui fuerunt ab initio; ſed ſolum illi tum violentia belli manucapti, mancipia (p) propterea dicti, quos catenis vincire neceſſe fuit; tum etiam ve-

nun-

nundati, quorum fides per aliquod tempus exploranda fuit, prius quam illis daretur herilium rerum cuſtodia, procuratiove domus, atque libertas incedendi ſine catenarum vinculis. Quamobrem exiſtimauerim, primos omnium fuiſſe catenarum anulos, a Tubalchaimo fabrefactos: ſecundos ab eodem fortaſſis effectos, illis conſimiles, alithos & apiros, digitis fidelium ſeruorum circumpoſitos, indicia bonæ ſeruitutis: tertios deinceps non apiros, ſed alithos, nempe cum pala ſignatoria, ſed ſine lapide; quorum prima inſtitutio non ita liquet: prima quidem mentio fit eius, quem dedit nurui, (*q*) Thamari Iudas, & Ioſepho Rex (*r*) Aegypti; ante quos alios id generis fuiſſe, veriſimile ſatis eſt. Omnium poſtremi fuerunt anuli gemmati; de quibus etiam perantiquis prima mentio legitur in ſacra (*ſ*) pagina, vbi mulieres Hebræorum proprios anulos gemmasque contuliſſe dicuntur, dedicaſſeque in conſtitutionem Sanctuarij: *Quicquid ad cultum & veſtes Sanctuarij neceſſarium erat: Viri cum mulieribus præbuerunt, armillas, & inaures, anulos, & dextralia, omne vas aureum in donaria Domini ſeparatum eſt*. & alibi (*t*) *Ob hanc cauſam offerimus in donarijs Domini ſinguli, quod in præda auri potuimus inuenire, periſcelides, & armillas, anulos, & dextralia, ac muranulas, vt depreceris pro nobis Dominum*. & in primordijs Vrbis Romæ Liuius (*u*) teſtatur anulos gemmatos fuiſſe in Sabinorum digitis. Hæc de primæua anulorum origine dicta ſint.

q Gen. 38.
r Gen. 41.
ſ Exod. 35.
t Num. 31.
u lib. 1.

De Anulorum materiali cauſa multiplici: vbi digreſſio de magnetis vi tractiua ferri, conuerſione ad polum; deque natura Succini. Cap. III.

POſt originem anulorum, par eſt omnes atque ſingulas eorum cauſas, affectiones differentiasque rimari. Sed inter cauſas, materialis omnium notiſſima, primum ſe nobis offert inſpicienda. Profecto multiplicis generis anulorum materiam apud antiquos inuenio. Metalla, lapides, oſſa, vngues, cornua, roſtra, ligna, vitrum, corium, & omnis fere dura ſubſtantia. Inter metallicos vti primi fuerunt anuli ferrei, ærei, & mox aurei; ſic poſtea facti ſunt argentei, ſtannei, plumbei: vtque primi ſimplices extiterunt, vno metallo ſingulari conſtructi: ſic exinde plura metalla in vnum anulum compingendum compoſita fuere: deinceps metallo lapides iuncti. Fuiſſe ferreum anulum, aut æneum, qui vetuſtiſſimis temporibus a Iuda ſocero datus fuit loco pignoris pro hædo promiſſo (*a*) nurui Thamari, recte conijcit inclytus (*b*) Petraſancta, quod anulum cum baculo, & armilla pro hædo datum arrhabonem pretij concubitus creditæ meretrici, non niſi ferreum, aut æneum fuiſſe, veriſimile ſit; ac eo magis, quod Iudas de ſcorto quæſtus non eſt, quod non expectato hædo ſecum abſtulerit anulum ſimul & armillam cum baculo. Plato quoque meminit in Ione ſcribens, *Diuina vis eſt, quæ te mouet, ſicut in lapide, quem Magnetem Euripides nominauit, nonnulli Heracleum vocant, qui lapis non ſolum ferreos anulos trahit, ſed vim etiam anulis ipſis infundit, qua hoc idem efficere poſſint, ac perinde vt lapis alios anulos trahere: vnde*

a Gen. 38.
b ſymb. Her. lib. 3.

longa plerunque contatenatio ferri, & anulorum inuicem pendet, & omnibus his ex illo lapide vis attrahitur. Cuius admirandæ virtutis adeo cita communicatio non aliunde pendet, quam ex maxima cognatione ferri cum magnete; ſiquidem, vt *(c)* Ariſtoteli, quæcunque cognationem habent ad inuicem elementa, facilius & citius inter ſe tranſmutantur; quæ vero cognatione carent, difficilius, ac tardius: vtque conſtat experimento, ſummam ob naturæ ſimilitudinem puluerem pyrium ab ignis exilima fauilla verti ſubito in ignem, qui ſtatim ſplendet, aſcendit, & vrit, perinde atque fauilla: non alia ratione vel ſolo contactu magnes anulis ferreis naturam & vim magneticam impertit, anulosque ferreos in naturam magneticam vtcunque conuertit, quam conſequitur vis attractrix propinqui ferri. Neque vero putes, vim a magnete ſolitariam in ferrum tranſire; quod natura non patitur accidentis vllius tranſmigrationem de vno ſubiecto in alterum: ſed exiſtimes, eam vim a magnete nixam vaporoſa quapiam ſubſtantia tenuiſſima, corpuſculisve cæcis atomorum in ferrum migrare: vnde magnes neque pondere ſenſibili minuitur, neque virtute ad pluſculos dies aſſiduo multiplicique variorum anulorum contactu, iugique communicatione ſuæ vaporoſæ corporeæque ſubſtantiæ: quum tamen magnes poſt multos anulos ferreos vi magnetica donatos, tractu temporis tandem effœtus, veluti ſenio tabeſcens, vt ponderis, ita ſubſtantiæ, virtutisque propriæ iacturam perpetiatur. Conſimile quid obſerues in veſicula moſchi, & in odorato pomo; e quibus effluentes halitus cum odoris qualitate, res quas attingunt, odoratas itidem reddunt, abſque ſuæ virtutis aut ſubſtantiæ ſenſibili detrimento, nonniſi poſt longam temporis intercapedinem, & in ea multam halituum corporeorum euaporationem ac diſſolutionem. Quin & illud exiſtimandum, a magnete ferrum, ob naturæ maximam cognationem, ſolo contactu confrictuque citiſſime ſic alterari, vt rudimentum quoddam naturæ magneticæ ſuſcipiat, & induat, quam naturam in ferro quoquo pacto genitam conſequatur alterius ferri proximi vis attractoria. Ceterum quia leuis eſt illa mutatio, nec altas radices in ferro iecit natura recens & rudis illa magnetica; propterea breui tempore fatiſcit, ac extinguitur in ferro, quod ad priſtinam ſui naturam redit, omni virtute tractoria caſſam. Ita concauo ſpeculo radij Solis congregati mutant aeris attriti ſubſtantiam in igneam naturam vrentem, quæ mutatio fit illico, propter magnam aeris cum igne cognationem; quæ tamen virtus & ignea natura breui tractu temporis extinguitur, aere priſtinam ad conditionem redeunte radijs amotis. Ita lapis Bononienſis ſolo contactu aeris illuminati, ab eo quomodocunque claro lucem concipit illico, quam paulisper ſibi conſeruat in meris tenebris; quod late diſcuſſimus in Litheoſphoro noſtro: quare magnetis contactu ferrum ſtatim concipere poteſt naturam & vim magneticam, eamque ſibi paululum conſeruare. Ita ferrum ab igne rudem quandam naturam ignis induit, & vrendi lucendique vim, quam diutule ſibi retinet procul ab igne, ob denſitatem ſubſtantiæ ſuę, viſciditatemque propriam aqueorum, cuiuſmodi ſunt omnia metalla; ob quam etiam ferrum naturam & vim magneticam, ſibi nuper a magnete comparatam, non ita cito deperdit; ſed eo diutius procul

Digreſſio de magnetica vi ferreis anulis communicata.

c 2. de gen. t. 25.

cul

cui a magnete conſeruat quam naturam & vim igneam ab igne conquiſitam, quo magnetica natura multo familiarior & cognatior eſt ferro quam ignea; quæ propterea facilius in ferro fatiſcit & extinguitur, cui contraria potius eſt quam cognata: contrariorum enim eſt, debilius a valentiore (*d*) corrumpi. Quod autem de tractione dictum eſt, intelligas etiam de *d* 1. phyſ.
conuerſione ad polum, quam magnes etiam ferro cum qualicunque natura t. 81.
ſua communicat. Verum enim vero, ſi libere philoſophari liceat, quod alibi (*e*) fecimus, magnes ferrum non ad ſe trahit, ſed potius ferrum ad ma- *e* 1. de ſpōt.
gnetem accurrit, a quo perficitur; quod ſatis innuit, & euidentiſſime po- viu. ort.
ſuit (*f*) Lucretius agens de magnete ſic, cap. 116.

,, Exultare etiam Samothracia ferrea vidi. *f* lib. 6.

nimirum admonet, experimento vidiſſe ſe multos anulos ferreos ad præſentiam magnetis (quos nomine Samothracium a regione, in qua fieri primum cæpiſſe putarunt, appellabant antiqui) ſponte ſua ad magnetem accurrere, attollique, ac velut exultare coniungi cum eo, a quo perfectionem quandam ſibi comparant; vt late probauimus (*g*) alio in loco. Niſi verius etiam di- *g* 1. de ſpōt.
cendum ſit, tum a magnete ferrum trahi, a quo magnes vim ſuam experitur viu. ort.
efficaciorem validioremque reddi; ſicuti certis experimentis, vel a magno cap. 116.
Gilberto notatis, aperte conſtat, magnetem armatum ferro vi robuſtiori 117.
pollere, languidiorem illam ſpectari ſemper in ſolitario & inermi magnete: Quo nomine pulchra metaphora Claudianus ait magnetem a ferro nutrimentum, & vitam ſortiri: dum ait de magnete,

,, Ex ferro meruit vitam, ferrique rigore
,, Veſcitur, has dulces epulas, hæc pabula nouit:
,, Hinc proprias renouat vires, hinc fuſa per artus
,, Aſpera ſecretum ſeruant alimenta vigorem.
,, Hoc abſente perit, triſti morientia torpent
,, Membra fame, venasque ſitis con ſumit apertas.

tum viciſſim ferrum accurrere ad magnetem, a quo perficitur, non ſolum quia vim etiam alterius ferri tractricem a magnete ſortitur, vt obſeruabat Plato; & conuerſionem ad polum, vt cuique conſtat in pixide nautica, & horologijs ſolaribus quibuſdam; ſed etiam quia liberatur a periculo rubiginis: Accurrit autem ferrum & ad purum magnetem, & ad ferrum aliud, quomodocunque naturam & vim magneticam adeptum. Sed iam redeamus ad anulorum materiam. Poſt anulum ſeu ferreum, ſeu æneum Iudæ Patriarchæ memorat (*h*) Moſes anulum aureum, quem Aegypti Rex de- *h* Gen. 41.
dit Ioſepho Proregi, quemque anulum Ioſephus hiſtoricus ait fuiſſe ſigna- *i* 2. ant. Iud.
torium. Ariſtoteles item apud Græcos ponit anulos ſigillaricios alios fer- cap. 3.
reos, alios aureos, alios æneos, abſque lapide, dum ait (*k*) ſenſum recipere *k* 2. de an.
formas ſenſibilium obiectorum ſine materia, ſicuti cera recipit imaginem t. 121.
anuli, ſine receptione materiæ ferri, auri, & æris. Plinius itidem infit,

(l) Lacedæmones vti anulo ferreo; ſpectari quoque ferreum in ſtatuis Numæ, Ser- *l* l. 33. c. 1.
uijque Tullij; longoque tempore ne Senatum quidem Romanum habuiſſe aureos; at anulos aureos publice dari conſueuiſſe Legatis ad exteras gentes ituris. Et quum in Triumphis corona ex auro Etruſca ſuſtineretur a tergo, anulus tamen in digito

ferreus

ferreus erat, a que triumphantis & ſerui fortaſſe coronam ſuſtinentis: ſic triumphauit de Iugurtha C. Marius: aureumque non ante tertium Conſulatum ſumpſiſſe traditur. Hi quoque, qui ob legationem acceperant aureos, in publico tantum vtebantur eis, intra domos vero ferreis. Quo argumento etiam nunc ſponſa anulus ferreus mittitur, isque ſine gemma. Ex notis ad Cl. Panciroluin de rebus memorabili-
m tit. de Legat. bus, (*m*) *Conſtat ſeruos non ferreo tantum, ſed & aureo, cui ferreum ineſſet capulum,* anulo *fuiſſe vſos: idque anulorum genus Samothracium nuncupabant: ſic enim Lucretius de magnete ferrum alliciente differens ait,*

„ Exultare etiam Samothracia ferrea vidi.

Samothracia dicebantur a loco. In Samothrace enim id genus inuentum, quo ferrum cingitur auro, vt ferrum loco gemma eſſet. At vero vidimus [*TO*] *exultare* non eſſe allici ferreos anulos a magnete, ſed ad magnetem accurrere: idque vo-
n l.33.c.1. luiſſe Lucretium. Bene vero Plinium poſtea citat; cui, (*n*) *Necnon & ſeruitia iam ferrum auro cingunt; alia per ſeſe mero auro decorant; cuius licentia origo nomine ipſo in Samothrace id inſtitutum eſſe declarat.* E mero autem ferro Samothra-
o 20. adu. cap. 20. cia quoque fuiſſe Turnebus (*o*) oſtendit ex allato Lucretij verſiculo. Petrus Arlenſis agens de ſympathia & antipathia, proponit anulos antiquitus cum appropriatis gemmis fieri conſueuiſſe perutiles ex omni metallo, nimirum ex plumbo cum Turcheſia, e ſtamno cum Corneolo, ex ferro cum Smaragdo, ex auro cum Adamante, ex cupro cum Amethiſto, ex argento cum cryſtallo, addit ex argento viuo cum magnete: ſed quomodo Mercurium ille firmauerit & conſolidauerit in anulum, non edocet: ſat habuit fortaſſis eum fixare, citra violentiam ignis & mallei, ad torni tolerantiam. Apud Petro-
p cap. 72. nium lego (*p*) de Trimalcione, *Habebat autem in minimo digito anulum grandem ſubauratum; extremo vero articulo digiti ſequentis minorem, ſed plane ferreis veluti ſtellis ferruminatum.* Vt iam omne metalli genus conceſſerit antiquis
q l.13.c.9. in anulorum materiam. Ligneos anulos proponit Plinius (*q*) ex arboris Perſicæ ligno, ſcribit enim de tali arbore, *Lignum intus grandis, firmaque duritia; ex quo velares detornant anulos*: quibus nempe nauigiorum vela, rudentibus per eos anulos traiectis, extolluntur ad nutum & deprimuntur. Lapides item anulorum materiam fuiſſe, non ſolum iunctos cum metallis, vt cuique patet, verum etiam ſolitarios, non eſt difficile probatu; namque
r l.33.c.1. Plinius, (*r*) *Alias deinde gemmas violari nefas putauit; ac ne quis ſignandi cauſam in anulis eſſe intelligeret, ſolidas induit. Quaſdam vero neque ab ea parte, qua digito occultatur, auro cluſit: aurumque millibus lapillorum vilius fecit.* Elegantiſſimus quoque Grotius in carmine de anulo ponit, ex gemma ſola factum anulum ſe vidiſſe,

„ Anule, qui miſtis etiam ſpectare metallis,
„ Vnaque quem totum gemma cauata facit.

ſ pag. 3. Gorlæus Cl. in Dactyliotheca dicit, (*ſ*) *Ex integris etiam gemmis neglecto metallo fieri ſolitos, is quem penes me pulcherrimum ex Sarda habeo, argumento eſt*: proponit attamen n. 101. anulum ex Sarda integra cum pala aurea, & circulo argenteo. L. Pignorius noſter in epiſt. ad P. Aicardium ſcribit, gemmeos totos anulos viſos. P. Petra-ſancta fatetur in ſymbolis heroicis, anulum, quo D. Maria Virgo deſponſata fuit D. Ioſepho, Peruſiæ nunc aſſeruari,

ri, factum non ex metallo, ſed ex gemma onychina, vel amethyſto: qua de re poſtea. Suidas itidem memorat anulos e Succino factos electroque: Succinum autem Iſidorus in (*t*) Originibus refert inter gemmas; quam *t* l. 16. c. 8. ſententiam comprobat Cl. P. Cæſius, agens de (*u*) mineralibus; & Camil- *Digreſſio de* lus Leonardus tractans de (*x*) lapidibus, Succinum eſſe dicit e Gagatis *Succini na-* ſpecie. Nec obeſt naturæ lapideæ Succini, quod Plinius aſſeruerit, Ele- *tura.* ctrum a Græcis appellatum, *(y) a Latinis Succinum, a Germanis Gleſſum, na-* *u* l. 3. c. 8. *ſci defluente medulla pinei generis arboribus, vt gummi in ceraſis, reſina in pineis:* ſe. 3. *erumpereque humoris abundantia: denſarique rigore vel tepore autumnali; quum* *x* lib. 2. *intumeſcens æſtus rapuit ex inſulis, certe in littore expelli, ita volubile, vt pendere* *y* l. 37. c. 3. *videatur, atque conſidere in vado; quod arboris ſuccum eſſe priſci noſtri credidere, ob id Succinum appellantes.* Nam & Plinius ipſe reponit eo libro Succinum inter gemmas: & id Succino ab aqua contingere dicendum eſt, quod accidit ab aere plantæ Corallij; ſi namque Corallium ſub aquis eſt planta mollis atque flexibilis; & ex aquis educta in aerem, ſubito lapideſcit; cur viceuerſa Succinum etſi gummi ſuccusque defluat ex arboribus in vndas, in aquis ab earum natiuo frigore denſari durarique non poterit in lapideam conſiſtentiam? Ceterum neque negauerim, electrum eſſe genus lapidis, ortum habens ex indurato, dixerimque petrificato, puriori bitumine; quoniam, (*z*) Imperati teſtimonio, *Rondeletius medicus inſignis habet fruſtum Suc-* *z* l. 14. c. 5. *cini effoſſum e montibus Pyreneis, quod ab vna parte Succinum eſt, ab alia lapis Gagates*: vt inde coniectari liceat, Electrum eſſe vel ſpeciem lapidis Gagatis, vel materiam proximam, ſeu quoddam rudimentum, ac (vt ita loquar) inchoamentum eiuſdem gemmæ. Valdeque probabile videtur, Succinum eſſe bitumen terræ, quod ab aquæ frigore condenſatum fuerit, atque congelatum in ſubſtantiam lapideam, vt innuit Imperatus. In priorem ſententiam collineare videntur, quæ ponit Cam. Leonardus, inquiens, *(a) Gagates licet* *a* 2. de lapid. *gummi ſit, vt a multis habetur, inter lapides tamen connumeratur. A loco ſuæ inuentionis nomen accepit. Duæ eius ſunt ſpecies, Citrinus, qui Succinum dicitur; alter niger, & a multis Ambra nigra appellatur; & hic proprie eſt Gagates.* Inſuper ſi aqua diuturnitate temporis intra terræ viſcera frigore conglaciatur in lapidem cryſtalli a monte cognominati; quid ni ſuccus arboris glutinoſus, aut etiam terræ bitumen, diuturno frigore vel inter aquas concreſcere valeat in Succinum, qui vere ſit lapis? itaque facti e Succino antiquitus anuli, de quibus in [ΗΛΕΚΤΡΟ] Suidas, e lapide facti, ac e gemma ſine vlla rei alterius miſtione dicendi. Ceterum opinionem eruditiſſimi literatorum omnium patroni Peireſcij facile collaudauero, qui relatu Cl. (*) Gaſſendi cen- * 2. de vit. Peir. ſuit, *Succinum rem foſſilem eſſe; quippe in Sicilia quoque effodi, & torrentium impetu detegi, deferrique ad mare vſque, & repellente maris aqua, in littoribus ſæpe inueniri. Probabile proinde eſſe, vt quod expiſcantur ad Balthicum mare, vi aquarum erutum, tranſlatumque eo fuerit (maxime vero quum eodem modo plerumque contineat concluſas muſcas, ceteraque id genus animalcula. Quare, & fabuloſum eſſe, quod aliqui narrant, arbores fragrandeis eſſe in Noruegia, ex quibus id Succinum, quaſi gummi quoddam decidat, concreſcat, atque induretur.* Sed ſi contendas electrum non eſſe lapidem, at e genere ſuccorum concretorum, non repu-

gno; multiplicandus erit numerus materierum anulis conficiendis aptarum. Ex vna gemma ſine metalli, aliusve rei miſtione conflatus colitur Peruſiæ pronubus anulus ille, quo pridem Virgo Dei Mater deſponſata fuit Patriarchæ Ioſepho: ſed quænam gemma ſit illa nondum agnoſcitur; ambigitur enim an ſit amethyſtus, an onychina gemma. Memini me vidiſſe Venetijs olim anulum in digito Turcæ mercatoris factum ex Iaſpide. Sed antiquitus ex oſſibus etiam factos anulos habemus: etenim Suidas meminit de anulis eburneis; ebur autem eſt os (*b*) ex elephantinis dentibus. Apud rerum Indicarũ ſcriptores legimus, (*c*) Dentes equorum fluuiatilium, quos Hippopotamos appellant, a Nigris magnifieri, quod ex eis anulos confectos geſtent ad multa morborum genera. Quin & a Cl. Veſlingio moneor, ex oſſibus Hippopotami concinnatos anulos vario in vſu nunc etiam Aegyptijs eſſe, apud quos ipſe pridem Medicum egit Illuſtriſſimo Conſuli Veneto. Verum & ex Dentibus Equi marini nuncupati, quin & Phocarum, & Roſmarium anulos effici certum eſt, multiplici priſcorum teſtimonio. Ab oſſium natura non valde diſtare videntur auium roſtra, quadrupedum vngues, & cornua; ex quorum ſingulis anulos fieri conſueuiſſe nouimus; nam ex vngue Magnæ-Belluæ nuncupatæ, quam Alcen dicunt Septentrionales, anulos fieri conſtat Epilepticis valde ſalubres. Anulos quoque legi factos olim ex vngula *Zamor*, ideſt Aſini ſilueſtris. E cornibus item omnigenis anuli fiunt etiam noſtra tempeſtate tum apud Turcas ad ſagittas ex arcu mittendas, tum apud noſtrates oppidi Regij ad ornatum. Inſuper vir egregius Lucas Nellius Eques Sancti Sepulchri, qui diu vixerat in Aegypto, mihi faſſus eſt, habuiſſe ſe pulcherrimum anulum ad arcus ex auis cuiuſdam roſtro bicolori faberrime confectum. Ex vitro præterea factos anulos plurimos olim habemus ab autore priſco vitæ Sancti Erminoldi, cui *Mulier quædam Leucardis, quum quodam die vitreis anulis more luderet puellari* &c. Sed & nunc etiam vitreos anulos complures vna geſtari varicolores a feminis Aethiopicis, Arabibus, & Aegyptijs Mahumeticæ ſectæ, mihi ſe ſe præbuit oculatum teſtem Cl. Veſlingius. A quo pariter accipio, paſſim apud Germanos milites haberi medicinales anulos ex antimonio in vitrum fuſo. Deinceps ex Corio ſuos anulos habent non ſolum ad ſtipandas nauigiorum rimas artifices, qui fatiſcentia nauigia reſarciunt intruſa ſtuppa ſcalpris ad actis malleo ligno; ſed etiam ad pelles conſuendas Coriarij. Denique vidi plurimos anulos ex equinis ſetis artificioſiſſime compactos; quin & e ſerico filo: Vt iam ex omni propemodum materia dura compingantur anuli, e metallis, lapidibus, oſſibus, vnguibus, cornibus, roſtris, lignis, corio, ſetis, & id generis.

b in E.

c vol. 1. nauig. p. 116. C.

De cauſa formali, ſiue figura Anulorum. Cap. IV.

Viſa iam Anulorum materiali cauſa, formalem adeamus. Etſi priſcorum anulorum formę, ſiue figurę multiplices habeantur; tribus tamen,

aut

aut quatuor diuiſionibus comprehendi poſſe videntur. Prima quidem diuiſio eſt anulorum, quod alij ſint vtrinque peruij, vt catenarum anuli; & alij ſint vnica tantum ex parte peruij, qua digitum admittunt; ſed in oppoſita parte clauſi: & horum alij digitum vnicum medium recipiunt, cuiuſmodi ſunt plurimi, quibus ad ſuendum plerumque mulieres vtuntur; quales etiam antiquitus in vſu fuiſſe veriſimile ſatis eſt; quum ab omni fere ſeculo mulieres artem conſuendi ſemper exercuerint, & ea indumentorum ornamenta conficere, quorum conſtructioni neceſſarium fuit digitis aciculam ferream impellere: num vero primi parentes anulo fuerint vſi, quando (*a*) conſuerunt folia ficus, & fecerunt ſibi perizomata ad nuditatem pudendorum ſibi contegendam, mihi non conſtat: arbitror anulis vſos; licet id certo non auſim affirmare; quoniam Adamus habuit infuſam ſcientiam, & perfectam rerum omnium cognitionem, qua ſi conuenientia rebus omnibus nomina primitus impoſuit; quid vetat, ipſum nouiſſe ſicuti ſutoriam artem, ita præcipuum eius artis inſtrumentum anulum ſutorium? Alij vero anuli ad artes binos veſtiunt digitos, minimum ſcilicet illi proximum; quos anulos inuicem connexos vſurpare ſolent in ſiniſtra manu, qui nauigiorum rimas implere ſtuppa conſueuerunt ex arte, Magiſtri *Calafatti* ab Italis nuncupati: quos inter digitos anulo ſcalpellum ferreum excipiunt, ſtuppam in rimas impingens. eſt autem anulus iſte biceps apicibus digitorum inſertus coriaceus; cuiuſmodi & alter geminus pollici & indici manus eiuſdem ſiniſtræ inſertus, ne motu ſcalpelli ferrei conterantur. Secunda vero diuiſio eſt anulorum vtrimque perforatorum, qui referri poſſunt ad tria ſumma genera; quæ ſunt anulus Apiros, & Alithos, abſque pala pariter & abſque gemma; infinitus ideo dictus, quod exactæ ſphæricitatis æmulatur anulos catenarum; quem anulum Veneti vulgo nuncupant, *vna Vera*, & vtuntur ad ſponſalia: de quo quidem anulo tractauit non ſolum Iulius Pollux in Onomaſtico ſcribens, (*b*) *Anulum autem circularem, & gemma carentem, infinitum & indeterminatum vocitant*. Sed etiam Ariſtoteles in Phyſicis (*c*) aiens, [*KAI GAR TOYS DAKTYLIOYS APEIROYS PHASI, TOYS MEN ECHONTAS OPHENDONYN*,] id eſt, *etenim anulos infinitos dicunt, non habentes palam*. Secundum genus eſt, anulus habens quidem palam, quam etiam fundam nominant; adeoque non eſt perfectæ rotunditatis, vt circulus catenæ; ſed tamen eſt abſque gemma; qui propterea nominatur *Alithus*; in quo quidem anulorum genere duas video ſpecies apud antiquos, alteram quidem frequentiorem & nobiliorem, in qua anulus eſt fundam obtinens ſignatoriam; & de hac anuli ſpecie, ſigilli figuram habente in funda ſine lapillo, tractat Ariſtoteles (*d*) inquiens, *Oportet autem vniuerſaliter de omni ſenſu accipere, quod ſenſus eſt id, quod eſt ſuſceptiuum formarum ſine materia; vt cera anuli, ſine ferro & auro, recipit ſignum: accipit autem aureum, aut æneum ſignum, ſed non inquantum aurum aut æs*; quare proponit hic anulos, quibus imago ſigilli ſculpta eſt in funda materiæ metallicæ conſtituentis anulum, non in lapillo, ſiue gemma vlla: de quo Plinius etiam ita, (*e*) *Multi nullas admittunt gemmas, auroque ſignant*, Alteram vero non ita frequentem, ac non ita dignam, in qua ponitur anulus habens fundam punctim excauatam ad aciculæ ſutoriæ baſim

a Gen. 3.

b l. 7. c. 33. nu. 7.

c 3. phyſ. t. 62.

d 2. de an. t. 121.

e l. 33. c. 1.

E ſim

ſini excipiendam; cuius exiſtentis antiquiſſimi Romæ in Muſæo Illuſtriſſimi Caſſiani a Puteo pulcherrimam ✠ iconem infra ſubijciam. Quæ quidem ✠ duo prima genera apiri, & alithi non bene confundit Rhodiginus, dum
f l 6 c. 12. mendum corrigit in codice Pollucis, aſſerens, (*f*) *Sed gemma carentem anulum* [*APEIRONA*] *vocari comperio, quaſi tu dicas omni carentem fine. Qua in parte commonendi ſumus, emaculandum eſſe Pollucis codicem, vbi ſcribitur modo, Apiron vocari* [*LITHON DAKTYLION,*] *tu repone* [*ALITHON DAKTYLION,*] *vt anulum intelligas citra gemmam concinnatum: cui ſint diuerſi apud Liuium in Sabinorum hiſtoria gemmati anuli.* & mox, *Scribitur autem Græce* [*APEIROS,*] *quaſi ſine fine. Apiros vero anulus recte intelligitur velut infinitus, quia ſit rotunditatis abſolutæ, nec appareat vnde initium ſumas.* Nam anulus apirus, de quo
g 3. phy 62 priore loco tractauit (*g*) Ariſtoteles eſt etiam plurimum alithus, hoc eſt ſine
h 2. de an. lapillo: ſed tamen anulus alithus, de quo (*h*) ſecundo loco peregit, non eſt
t. 121. apirus; quum palam obtineat, illi detrahentem de perfecta rotunditate; quin & habentem rationem principij ex vno latere, atque finis ex alio: quare anulus apirus fere eſt æque ſine funda, & ſine gemma, ſimpliciſſimus, & exacte rotundus, perſimilis anulo catenarum; aut ſaltem intrinſecus planus, qua digitum tangit, qualem ad me miſit olim Cl. Moreau: anulus autem alithus eſt quidem ſine gemma, ſed non neceſſario ſine pala, neque perfecte rotundus, vt apirus. Præterea vero nec illud abſolute recipimus a Cœlio, anulum apirum eſſe neceſſario ſine gemma; nam ex gemma ſola, ſine metalli ſocietate, fieri poteſt anulus apirus, infinitus, perfectæ rotunditatis, abſque funda; qualem nobis propoſuit ex vna gemma cauata Grotius eleganti verſiculo. Quin & ex auro plerunque vidi perfectæ rotunditatis anulos, quibus adamantes exigui, alijque lapilli, ſphæricitatem non perturbantes, auro incluſi per vniuerſam orbiculi peripheriam emicarent, veluti ſtellulæ; cuiuſ-
i cap. 32. modi quoque nobis deſcribit Petronius (*i*) Arbiter in Trimalcionis digito, ſed loco lapillorum, ferri particulas auro includentem; ait enim, *Habebat etiam in minimo digito ſiniſtræ manus anulum grandem ſubauratum: extremo vero articulo digiti ſequentis minorem, vt mihi videbatur, totum aureum, ſed plane ferreis velut ſtellis ferruminatum.* Vt iam plane conſtet, anulos apiros non eſſe neceſſario alithos, at eſſe valere cum gemma, dum hæc exactam anuli ſphæricitatem non vitiet; ſiue fiat anulus apirus ex ſola gemma excauata, de quo Grotius; ſiue gemmæ plures per totum anulum includantur auro ſic, vt aſtra cœlo, quæ rotunditatem aplanes minime turbant. Vnde ſcribere potuit etiam vere Pollux, apiron vocari quoque [*LITHON DAKTYLION,*] gemmeum, ſiue gemmatum anulum. Illud tamen obſeruo fundam habentium anulorum, frequentiſſimos vnica pala donari; ſed & aliquos fuiſſe duplici funda, cuiuſmodi viſitur æneus antiquitate ſemiroſus in gazophylacio Clariſs. Viri Hieronymi de Gualdo Vicetini. Tertij generis anulum in hac ſe- ɪ
cunda diuiſione non pono gemmatum, dum differentias formæ recenſeo; quia gemmatus ab alitho, ſiue non gemmato, materia diſſidet, non autem forma: ſed in tertio genere ponendus eſt anulus, qui loco palæ ſigilli, vel gemmæ, clauem ad rerum cuſtodiam obtinuit antiquitus; cuiuſmodi depictum vnum habet in ſua Dactyliotheca Gorlæus, qui nullum præter a cla- a

uem exertam obtinet ad clauis radices onychinam, temone inter duas triti- v. P. ſanct.
ci ſpicas locato, ſignatam: indicio, triticum mari aduectum in horreo cuſto- l 3. c. 10.
1 dieſum. In cuius manubrio ſi crux aſpicitur, vt notauit Cl. (*) Petra-ſancta, *3. d. ſymb.
id non eſſe ſignum ſalutare Christianorum arbitror, ſed priſcos illos indica- c 19.
re voluiſſe, manere crucis ſupplicium fures, qui ſignatum in horreo frumen-
tum mari aduectum manu furaci abſtuliſſent. De hoc anuli genere icones
3 3. 4. tum ad me dedit Illuſtriſſimus Caſſianus a Puteo; tum in ſuis notis ad k 2. annal.
4 (k) Tacitum poſuit I. Lipſius inquiens, *Anulos eiuſmodi ſignatorios (ferreos ta-* init.
*men, vt appareat ſeruorum fuiſſe, aut vulgarium militum) complures erutos ipſi vi-
dimus in Batauis, cum adiecta claui, ad duplicem ſcilicet vſum, ſignandi, aperiendi-*
5 *queteecrumque hac* 5. 6. *forma, magnitudine minimiſſimi digiti*: nempe figuram
6 apponit anulatæ clauis, quæ loco manubrij gerebat anulum, quo digitus in-
7 dueretur: Conſimiles duo, 7. 8. ſed adhuc minores, & rudiores, vetuſtiſſi-
8 mi ſeruantur ærei in antiquaria ſupellectili Cl. V. Io: Galuani I.C. Patauini.
De huiuſcemodi anulis aperte meminit Plinius, negans eos Iliacis tempori-
bus extitiſſe, (l) *Nec Iliacis temporibus vllos fuiſſe anulos video: nuſquam certe Ho-* l lib. 33.
merus dicit, quum & codicillos miſſitatos epiſtolarum gratia indicet, & conditas arcis c. 1.
veſtes; ac vaſa aurea argenteaque, & ea colligata nodi, non anuli nota. Sed hac de re
latius infra commodiori loco. Ceterum quemadmodum gemmatorum anu-
lorum in tertia diuiſione duæ differentiæ ſunt; etenim alij fuere cum gemma
9 ſtabili, alij cum mobili; quod agnouit & Grotius, cui apud 9 Gorlaum,

„ Anule ſigillum cui mobile dextera mollis
„ Ventilat, & gemmam vertit in orbe ſuo.

Ita prorſus aliorum palam habentium, & gemmam ſtabilem variæ mul-
tiplicesque ſunt ium figuræ rotundæ, ellipticæ, trigonæ, quadratæ, ac id ge-
neris plurimæ; nam Lucianus in Dorcade meminit anuli multanguli: tum
imagines inſculptæ penitus innumeræ, quas inter habentur aliquot potiſſi-
mum memorabiles; vna, quam ita Plinius celebrat, (m) *Poſt hunc anulum* m l. 37. c. 1.
*regia fama eſt gemma Pyrrhi illius, qui aduerſus Romanos bellum geſſit; nanque
habuiſſe traditur Achaten, in qua nouem Muſæ, & Apollo citharam tenens ſpecta-
rentur, non arte, ſed ſponte natura ita diſcurrentibus maculis, vt muſis quoque ſin-
gulis ſua redderentur inſignia*. Secundam affert Maiolus, in ſuis diebus Ca-
nicularibus, (n) aſſerens, Carolum V. Imperatorem habuiſſe anulum, in n colloq. de
cuius pala contineretur horologium cum rotis horas in die ſingulas deſi- memorab.
gnans, & notans ſabertime, campanulæ incluſæ deſtinatis ad numerum
ictibus: at Cl. Petra-ſancta ſecus hunc anulum deſcribens ait, (o) *Anulus* o 3. d. ſymb.
Caroli V. dignus fama temporum, quia in manu ſapientiſſimi Principis tempora dies her. c. 3.
*noctisque abſque errore diſpenſabat. Erat enim in funda, ſeu pala eius Horologium
paruis libramentis & machinulis actum; nec foris modo ſingulas horas indiculo ſi-
gnificabat, ſed intus præterea ſecretiore obſequio digitum toties perſtringebat quoties
ad vnam quamlibet horam perſtrepunt ictu malleoli cetera horologia. Sic admonebat
temporis acti, exigebatque num menſuram eius benefactis Princeps magnus imple-
uiſſet. Vt nobis etiam præſto ſit officina temporum, adijciam anulos duos magis pa-
10 rabiles, hoc eſt ſatis inſtructos horologio ſolari: alterius* 10. *funda, ſecta in partes
binas, intus habeat horarum characteres; & in eius medio ſit canicula, cum acu ma-*

gnetica: hac acus agmine tremulo & ſollicito ſuum quaerit ſidus, horam vero indica-
bit vmbra ſtaminis, quod in clauſtri oſtiolo tendetur. Claudetur etiam anulus, vt
foris in eo etiam gemma fulgeat. Alter 11. *anulus ita in ſe horologium habet, vt* 11
ſubſidio magnetis non egeat: neque enim ei cum ſiderum alio, quam cum Sole negotium
intercedit. Porro deſcribitur hac arte. Primo, elementa priora, hinc eorum men-
ſium qui ad ſolſtitium a bruma intercurrunt, nempe Ianuarij, Februarij, Martij,
Aprilis, Maij, & Iunij: illinc menſium aliorum, qui ad brumam a ſolſtitio eunt, vi-
delicet, Iulij, Auguſti, Septembris, Octobris, Nouembris, & Decembris, deſcribun-
tur ordine ſuo, ſupra hemicyclum anuli conuexum. In hemicyclo dein concauo e re-
gione ſint horarum characteres, & hinc quidem progrediendo, 4.5.6.7.8.9.10.11.12.
illinc autem regrediendo, ſed infra vltimam notulam, 1.2.3.4.5.6.7.8. Praeterea
pars conuexa fiſſionem tenuem habeat, eaque ducatur inter menſium vtramque ſeriem.
Huic vero circulus alius exilis, ac ductilis ita circumponatur, vt in illo etiam ſit
foramen quaſi ocellus. Tunc ſi ocellus hic conſtituetur iuxta characterem menſis
qui in anno agitur, ex Sole aduerſo radiolum, quaſi punctum lucis, per fiſſionem vi-
brabit in concauum hemicyclum, quem opacant vmbra hemicycli conuexi; fietque
certa horae ſignificatio. Quum hic autem circulus horas, menſes, annum contineat,
poſſet enimvero ex quadam honoris praerogatiua, & veluti iure proprio, annulus, qua-
ſi paruus annus nominari. Certe annulum, & annum ſortiri originem vocabuli
communem, exiſtimare malim, quam aſſentiri Abrahamo Gorlaeo, qui ignobilem, nec
honeſtam ei deriuationem dedit. Sed forcaſſis habuit Imperator varijs tempo-
p cap. 1. ribus duo haec horologia. Verum hac de re nos (*p*) antea ſatis. Addit in-
q l. 6. c. 10. ſuper de anulo Fabij cunctatoris, (*q*) *Repertum in Onyche gemma equinum ca-*
put cum hominis vultu & barba in pectus promiſſa, cum pedibus Gruis, cum cauda
Galli gallinacei, & cum adſcriptis ternis characteribus F A B. ſchema fuit Fabij
Cunctatoris; vt virtutes vnius perfecti Ducis eo monſtro exprimerentur; hoc eſt,
equi capite, praefectura, & principatus in bello; vultu, barba, & pectore hominis, pru-
dentia; Cunctatio, & Vigilantia, pedibus gruis; & cauda Galli gallinacei demum,
victoria. Quam explicationem ingenue fatetur ex Valeriano ſe decerpſiſſe,
* l. 4. cuius eadem fere verba leguntur: (*) *In lapillo Onyce argumentum multiplex*
vidi artificioſe admodum ſcalptum: Equino enim capite eſt, humana facie in pectus
barbata, gruinis pedibus, cauda gallinacei: literae ſunt, F A B. Ex quo quidem fig-
mento virtutes eas facile coniectes, quibus Fabius Contator inſignis fuit: nam prin-
cipatum in bello ex equino capite, prudentiam ex humano pectore barbato, prouiden-
tiam, & contationem atque ſpeculationem ex pedibus gruinis, victoriam ex pulli gal-
linacei cauda interpretamur: quorum omnium cauſa in ſuis quaeque Commentarijs
ſunt explicata. cuius anuli figuram poſuit Gorlaeus ad n. 186. ſed cum oleae
ramo prominente ex equi labris; vt indicaret bellum gerendum eſſe pacis 12
gratia, qua finis eſſe debeant omnium bellorum. Ceterum inter anulos
cum gemma mobili, praeter notatum ſuperius ſub n. 9. quem Gorlaeus po-
ſuit ſub n. 104. argentum inauratum cum ſigillo verſatili ab vna parte ex-
ciſo, & ab altera inciſo cum icone Romani Imperatoris, & circumducti linea-
tis Zodiaci ſignis: ab eodem poſitur tum n. 103. ferreus cum ſigillo argen- 13
teo verſatili, pariter exciſo, & inciſo cum icone Romani Imperatoris & ſeu
Caeſaris electi, ſeu dilectae coniugis tum n. 111. aureus, qui ſigillo hinc inde 14
ver-

verſatili, ab vno latere gemma Sarda inciſa, ab aduerſo vero Neronis, & Agrippinæ effigiem auro inciſam præſeferente: quum in Sarda ſit imago Marſiæ ad arborem vincti, & Apollinis liram ſiniſtra geſtantis, dextera cultrum a genuflexo puero ſuſcipientis; nam obſeruatu Cl. Petra-ſanctæ, *Nero Marſiæ effigiem ſuperati ab Apolline, & ab eo ad arborem excoriati, congrue in anulo habuit; etenim lanienam ſimilem in Principatu exercebat.* licet ego crediderim, Neronem indicare voluiſſe, ceteros poetas a ſe ſuperatos non minus quam ab Apolline Marſiam. Addendus eſt in hoc genere vetuſtiſſimus anulus Gygis; quem ita fuiſſe verſatilem teſtari videtur aperte Tzetzes in Chiliadibus (ſ) inquiens, ſ Chil. 1. hiſt. 3.

„ Verſatilem circa digitum anulum geſtabat:

„ Hunc igitur anulum ille accipiens Gyges. & cætera (*) poſt afferenda. * cap. 22.

Certeque verſatilis eſſe debuit anuli gemma, quales vidimus apud Gorlæum; tum quia ſecus omnis anulus verſatilis eſt: tum quia veriſimile non eſt, ab ignaro rei Gyge verſam fuiſſe cum funda ſtabilem gemmam; quæ ſuapte forma verſatilis, eo inſcio, caſu verti potuit, & admirabiliter geſtantem præſentibus occulere pariter ac prodere. His omnibus adiungere liceat, quem ego pridem vidi Patris anulum: hunc ille ad nutum facile reſoluebat in ſphæram aſtrologicam circulos omnes cæleſtes vulgatos obtinentem: quorum complicatione rurſus anuli formam effingebat, in quem apte digitus insereretur. Sed antiquorum anulorum formæ ſunt innumeræ; Gorlæus vnus apud ſe habet in ſua Dactyliotheca graphice delineatas fere ducentas. Illud tamen obſeruatum volo, veteres pleruinque propriam imaginem in anulo ſculptam habuiſſe, ſicuti conſtat ex (t) Plauto, atque (u) Terentio. Iſta iam deſcripſeram, quum duos anulos antiquos valde memorabiles mihi videndos obtulerunt inclyti viri Dani, Io: Rodius, & Bartholus Bartholinus: ſane Rodianus anulus magnitudine vulgari palam habebat veluti Roſæ flore formatam, vnde duo protuberabant quaſi cornicula recta referentia in apice perforata; per quæ foramina cenſeo ſtilum olim traiectum fuiſſe: non quidem quo margarita, vel lapillus pretioſus aliquis transfixus contineretur; nam anulus æreus minimi pretij pretioſo lapillo, nec vnioni coaptatus erat: ſed forte volubilis inter eos apices erat globulus, vel teſſera pariter ænea cubica, vel duarum facierum, plures obtinens imagines ad ſignandum, quibus pro varietate rerum ſignandarum diuerſis occaſionibus vteretur, vt arbitror, ſeruus anulum gerens, qui forte domus erat procurator. At Bartholinus anulus item æreus eſt cum funda valde magna, ſi circulo comparetur; quæ quadrangula multum ſuperabat & excedebat orbiculi molem; quum longitudine ternos digitos impleret, & latitudine pollicem, in qua quidem funda legebantur maiuſculæ literæ Romanis characteribus effigiatæ in hanc formam,

t Curc. act. 3.
Pſeud. act. 4.
u Adel. act. 3. ſc. 2.

M. ASINI.
RVFI.

aderant in fundæ lateribus vtrimque duo foraminula, non ex ordine oppoſita, quæ forte vetuſtatis vitia fuere. Sed præcipuæ veterum anulorum icones hæ ſunt, quibus amicorum, aut eorum quos venerabantur, vultus repræſentaretur.

De Anuli cauſa effectrice; ſpeciatimque num præter Artem, Natura faciat anulos, quos, quomodo, & vbi. Cap. V.

EFfectricem anuli cauſam eſſe Artem, nemini dubium eſt; quæ vt nunc maxime ſpectatur apud Aurifices, aurea & argentea tum vaſa, tum ornamenta fabricantes, qui a pretioſiore metallo denominantur Aurifices: Quin & vnuſquiſque artifex ex propria materia paſſim conficit anulos, ex ferro faber ferrarius, ex ligno faber lignarius, & id generis: attamen apud Antiquos Ars propria fuit anulorum effectrix, quæ nihil aliud efficeret,
a cap. 2. quam anulos; de qua Ciceronem vidimus (a) afferentem, (b) *Quos ſi in*
b 4. Acad. *eiuſmodi cera centum ſigilla hoc anulo impreſſero, ecqua poterit in agnoſcendo eſſe diſtinctio? An tibi erit quærendus Anularius aliquis; quoniam Gallinarium inueniſti Deliacum, qui oua cognoſceret?* Vt enim apud Romanos olim fuere Medici, alij quidem ocularij, qui ſolum oculorum affectibus mederentur; alij certas alias morborum ſpecies curabant; vnde peculiarem denominationem
c ad Thraſ. c. 24. adipiſcebantur: qua de re fuſe (c) Galenus: ita mechanicas inter artes vna fuit olim Anularia, quæ nihil præter anulos efficeret. Qua de re Cœlius ita,
6. aph. co. 31. de part. art. mod. c. 2. (*) Romæ iuxta forum fuiſſe locum, quem Scalas vocabant anularias: quas eruditiores pro ingeniorum captu ita nuncupatas augurantur ab anularijs officinis, vel a propendentibus anulis. Aliorum coniectatio eſt, ſic eas dici, quæ in cocleæ formam effingantur, & orbiculata figura rotundentur: quod genus Coclium dicitur: cuius commeminit etiam Strabo. Sed
*6. ant lec. c. 12. † l. 9. ab officinis anularijs eas dictas fuiſſe, plane conſtat ex (†) Liuio, cui, *Tabernæ circa forum clauſæ, lati claui, anuli aurei poſiti*, ſcilicet in luctu, & calamitatibus Reipublicæ: cur enim ſolum tabernæ clauſæ circa forum, & non in vrbe tota, ſi non fuerunt illæ ſpeciatim anulariæ? Illud autem animaduerſione dignum, vtrum Natura poſſit anulos efformare, vel quandoque formauerit. Naturam anulos efformare poſſe non minus quam alia pleraque, quorum Ars effectrix eſt, mihi plane probabile videtur; quum enim Natura in inſula Cuba gignat globulos lapideos rotundiſſimos ad bellica fulmina; & apud nos in Europa multis in locis, ac potiſſimum in agro Bononienſi ſculpat in lapidibus varias tum animalium, tum rerum artificialium formas; cur non & anulos effigiare poterit? Ceterum illud non me latet, rerum habentium naturam lapideam, quibus figura ineſt inſtrumentorum, & aliorum operum artificialium, pleraſque non omnino genitas a Natura, ſed primam originem ab arte duxiſſe vel ex ligno, vel ex quapiam alia materia; quum poſtea naturali frigore riguerint in lapidem: quod euenit, etiam aliquando rebus naturalibus; vt ex Ariſtotele conſtat in Admirandis Auditio-
d cap. 50. nibus afferente, (d) *In Lydia metalla apud Pergamum exiſtentia, quæ antea Crœ-*

ſus

ſus confecerat, bello quodam exorto, Artifices confugiſſe, qui obſtructo illius loci oſtio ſuffocati ſunt: poſteaque longo temporis interuallo metallis adapertis, vaſa, quibus pro manibus abluendis opportunitate vtebantur, in lapides conuerſa inuenta fuiſſe, ac quæuis liquore (ceu amphora) repleta fuiſſent, pari modo ipſum in lapidem conuerſum fuiſſe; necnon ſimili ratione oſſa hominum in lapides conuerſa vulgo proditur. Quum tamen, & hoc mihi compertum ſit (quod etiam notauimus in (e) Litheoſphoro) in agro Felſineo paſſim oriri lapides inſtrumentorum artificialium, & aliorum operum ab arte factorum imaginem fabertime delineatam repræſentantes, mallei nempe, ſerræ, ſecuris, ollæ, ſellæ, ac id generis; quarum rerum exigua moles, & inepta prorſus vſibus humanis, ad quos conditas eſſe ſingulas & omnes artes optime notat (f) Ariſtoteles, aperte prodit originem ijs non ab arte, ſed a natura penitus eſſe. Quomodo vero natura tam affabre tribuat figuram rerum artificioſarum materiei lapideæ, non ita facile ſit explicare. Porro propoſitum conſideranti mihi nonnunquam in mentem venit, horum originem ad caſum referre; nimirum temere contingere, atque per accidens, vt innumerabilium rerum, quæ fiunt a natura ſub varijs imaginibus, aliqua ſortiantur figuram rerum artificioſarum, quemadmodum in aere quandoque nubes, & igniti halitus effigiantur modo in trabes, modo in capras ſaltantes, modo in hiatus, modo in lanceas, modo in equitum, peditumve turmas inter ſe belligerantes; quod etiam obſeruat (g) Ariſtoteles: Ab iſta tamen ſententia diſcedere me ratio coegit, qua didici, quæ caſu te nereque fiunt, (h) raro fieri; nec habere locum determinatum originis propriæ; quum experimento conſtet aſſidue gigni lapides figuram rerum artificialium habentes in eodem loco Bononienſis agri, globos exactiſſimæ ſphæricitatis in inſula Cuba, qui vt ait (i) Cardanus, naturæ ſolius beneficio abundant. Sunt qui confugiant ad influxus ætheris & aſtrorum, quos aiunt habere vim peculiarem communicandi determinatam figuram illi materiæ, quam cauſa naturalis in lapidem conuertit, & hac ratione a natura communi, ſiue a cælo, quatenus eſt agens phyſicum, generari in ortu lapidum varias animalium, hominum, & artificialium rerum imagines, virtute determinatorum influxuum a certis cæli partibus, in quibus earundem rerum imagines habentur, vt in Zodiaco arietis tauri cancri leonis virginis geminorum libræ ſcorpionis ſagittarij capricorni aquarij piſcium, & extra Zodiacum nauis altaris cathedræ ſerpentis falcis cinguli clauæ gladij & id generis complurium. Cui tamen opinioni ſubſcribere nequeo, tum quia non ita facile recipio, cælum in hæc noſtratia, præterquam per motum, & lumen, agere per occultas quaſdam influentias, conſimilibus vtcunque ſignaturis innixas, ob rationes olim allatas in opere (k) de Vita; quas non eſt vt in præſentia reperam: tum quia cælum eſt cauſa (l) communis, atque remota rerum omnium noſtratium, adeoque indeterminata, & æquiuoca, quæ determinari debet ad certos effectus ab agente proprio & proximo: ſic in fœtibus humanis rerum a matre grauida concupitarum diuerſi generis imagines efformantur, non a cæleſti corpore, in quo conſimiles figuræ quomodocunque comperiuntur, ſed a maternæ phantaſiæ ſpiritibus ad vterum confluentibus, & inſtrumenti rationem haben-

e cap.50.

f 2.phy.24.

Digreſſio de rebus artificioſis a natura genitis.

1.opinio.

g 1.meteo. ſu.2.c.1.& ſeqq.

h 2.phyſ.t. 48.& ſeqq.

i 6. de ſubtil.

11 *op. Alb. Mag.*

k lib. 2. c.39.

l 1.meteor. ſu. 1. c. 2. & ſeqq.

tibus erga facultatem formatricem, quæ viget in humano ſemine tam femi-
m cap. 93. neo, quam maſculeo, ſicut olim latius oſtendimus in opere de (m) perfe-
cta conſtitutione hominis in vtero. Ceterum Auicennas ab Alberto Magno
n 1. de mineral. c. vlt. citatur, & laudatur in hæc verba, (n) *Admirabile omnibus videtur, quod ali-
quando lapides inueniuntur intra & extra habentes effigies animalium; extra enim
habent lineamenta, & quando franguntur, inueniuntur in eis figuræ inteſtinorum.
Et huius cauſam dicit Auicenna eſſe quod animalia ſecundum ſe tota aliquando mu-
tantur in lapides, & præcipue in lapides ſalſos. Dicit enim, quod ſicut terra, & aqua
ſunt materia lapidum; ita etiam materia lapidum ſunt animalia; quæ quum in locis,
in quibus vis ſpirat lapidificatiua, tranſeunt ad elementa, & apprehenduntur a qua-
litatum proprietatibus, quæ ſunt in illis locis; & mutantur elementa, quæ ſunt in
corporibus talium animalium in dominans elementum terreſtre; videlicet commiſtum
cum aqueo, & tunc virtus mineralis conuertit ipſum in lapidem: & retinent figu-
ras ſuas membra intus, & extra, ſicut prius. Sunt autem huiuſmodi lapides ſalſi, &
non duri frequenter; quia oportet virtutem eſſe fortem, quæ ſic tranſmutat corpora
animalium; & hoc comburit aliquantulum terreſtre in humido; & ſic generat ſalis
ſaporem. Hoc autem teſtatur fabula Gorgonis, quæ ad ſe reſpicientes dicitur conuer-
tiſſe in lapides. Gorgon virtutem fortem mineralium vocauerunt, reſpectum autem
ad eam vocant diſpoſitionem humorum corporum ad virtutem lapidificatiuam.*
IV. *opinio probatur.* Quamobrem ego potius retulerim eiuſmodi figurarum cauſam proximam
in certam diſpoſitionem materiæ lapideſcentis ad imagines itiuſmodi pro-
o 2. de an. t. 24. cliuem, atque maxime propenſam; etenim ex Ariſtotele noui, (o) quod *vi-
detur in patiente & diſpoſito actiuorum ineſſe actus*: & mox, (p) *vniuſcuiuſque
p tex. 26. enim actus in eo, quod potentia exiſtit, & in propria cuiuſque materia aptus natura
eſt fieri*. Quoniam vero contingit, vt materia lapideſcens ex illis terræ ra-
mentis coaleſcat, quæ prius fuerant portiones qua rerum artificioſarum,
qua viuentium; illę potuerunt vtcunque retinere priſtinæ figuræ partem, &
ad eam conſeruare propenſionem; ob quam a virtute lapidifica, nullam ex
ſe determinate figuram lapidi conciliare valente, illam orienti ſaxo commu-
nicat, ad quam ea materies maiorem habet propenſionem. Si enim, vt la-
q l. 2. c. 36. & ſeqq. & l. 3. per tot. te probaui tractans De (q) Spontaneo viuentium ortu, ex ramentis cadaue-
rum tam plantarum, quam animalium, retinentibus in ſe, quamuis labe-
factatam, formam & eſſentialem, & accidentalem, ea forma potis eſt in
enaſcente ſpontaneo conſimilem formam producere, vel potius ſe ſe in pri-
ſtinum ſtatum reuocare, ac denuo in conſpectum dare: pari ratione labefa-
ctatæ figuræ portio, ac ratio quomodocunque ſeruata in ramentis rerum ar-
tificioſarum, & naturalium lapideſcentibus, poteſt vel ſemetipſam in aſpe-
ctum prodere, vel aliam ſibi conſimilem in materia lapidis producere. Quod
r 7. meta. t. 30. ex Ariſtotelis non vno loco probatur; vnus quidem eſt, vbi ſcribit, (r) *Ma-
nifeſtum autem eſt ex his, quæ dicta ſunt, & quod quodammodo omnia fiunt ex vni-
uoco, quemadmodum quæ natura ſunt, aut ex parte vniuoca, vt domus ex domo;
aut ab intellectu; ars enim forma eſt; aut ex parte, aut habente aliquam partem, ſi
non per accidens fiant*. Quibus apparet, ea quæ fieri dicuntur ex vniuoco,
ſiue ab arte, ſiue a natura, multiplicia eſſe; tum ex domo potentia domus
actu, hoc eſt ex materia proxime diſpoſita ad formam domus induendam

vel

vel ab artifice non ita perito & architectonico; tum ab intellectu peritioris artificis ideam artis ac formam domus in ſe gerente: tum ex materia partem aliquam ac rudimentum rei formæque gignendæ continentis in ſe ſe; tum ab opifice partem formæ faciendæ in intellectu obtinente: nam rudiores artifices etiam opera faciunt, quo integram ideam in ſe non habent. Itaque ſi forma domus in mente artificis potis eſt formam realem domus in materia producere, cum qua forma materiali non materialis ipſa valde tenuem habet vniuocationem: ſique forma domus, quæ poteſtate reperitur in materia diſpoſita domus, poteſt vtcunque rudem artificem euehere ad producendum ſibi ſimilem formam in eadem materia; procul dubio non ſolum forma rudis rei artificioſæ, quæ reſidet non omnino poteſtate, ſed aliqua ex parte actu in materia lapideſcente, poterit naturam lapidis genitricem attollere ad procreandum figuram completam rei artificioſæ conſimilis in lapide, quem generat. Alter locus eſt, quo mox addit Ariſtoteles, (ſ) *Sic etiam generationes, ſimiliter ſe habent & quæ natura conſtituta ſunt; ſemen namque facit ſicut ea, quæ ab arte ſunt; habet enim poteſtate formam, & a quo ſemen eſt, quodammodo vniuocum (non enim omnia ita oportet quærere, ſicuti ex homine homo; etenim mulier ex viro: vnde mulus non ex mulo) ſed non ſi læſura fuerit. Quæcunque vero quorum materia poteſt & a ſeipſa moueri eo motu, quo ſemen mouet, ſponte, ſicut ibi, fiunt; quorum autem non, hæc impoſſibiliter ſunt aliter fieri, quam ex ipſis.* Quorum ſenſus apertus eſt, eorum quæ natura fiunt, alia fieri ab efficiente vniuoco diſtincto & a materia, in quam operatur, & numero ab eo, quod generatur: alia fieri ab agente deliteſcente in materia, quæ a ſemetipſa poteſt eo motu moueri, quo ſemen mouet; ac rudimentum formæ, quam obtinet in potentia proxima, induere actu in formam perfectam generatione ſpontanea nuncupata. Porro quemadmodum in ortu viuentium ſpontaneo forma deliteſcens in materia putri, poſt materiæ propriæ præparationem ab externo calore concoquente, ſe ſe prodit ac exerit in animam viuificantem animatum, quod ſponte gignitur, & in eo corpore conuenientem ſuæ ſpeciei figuram partium, & aptam organizationem architectatur; quod fuſe probatum a nobis eſt in opere De (t) Spontaneo viuentium ortu: ſic omnino in ortu lapidum, ſi forma ſubſtantialis ab vniuoco agente, nimirum a præexiſtente lapide materiam idoneam contingente, producitur eſſentialis forma ſpecifica lapidis; quum tamen accidentalis forma figuræ non conſequatur vllo modo ſubſtantialem lapidis formam, vt pote quæ nullam determinatam figuram a natura ſibi præſcriptam obtinet, ad animantium differentiam, quibus vniuerſis, ac ſingulis certa determinataque figura & imago, ſuæ cuiuſque ſpeciei conſentanea præſcripta eſt a natura; materia lapideſcens eam figuram nonnunquam a ſemetipſa induit, cuius habet in ſe partem quampiam, ac rudimentum priſtinæ figuræ conſimilis, quam olim perfectam & integram acquiſiuerat ab arte: Vt illa figura artificialis, quantumuis labefactata, remanens in materia lapideſcente, non ſolum potis ſit conſimilem ſibi figuram aut producere, aut induere, qualis ineſſe videtur in eiuſmodi lapidibus non ita perfecta, vt quæ prius ab arte facta fuerat, ſed rudis & adumbrata, cuiuſmodi nobis apparent imagines animantium & re-

ſ tex. 31.

t l. 2. c. 36. & ſeqq.

rum artificialium in nubibus, & ignitis, apparentibusque meteoris; nam & haſce figuras in lapidibus, vt exactius exprimant id, quod indicare videntur, ſæpe ſolent artifices arte perficere. Verum etiam ob entitatem realem, qua donatur illud rudimentum figuræ ab arte prius efficta, naturæ quampiam rationem habet, qua poteſt aut ſibi ſimilem in apprime diſpoſita materia producere, aut ſemetipſam diſpoſitiſſimæ ſuæ materiæ in figuram apertam perfectioremque communicare; nam omnis forma tam ſubſtantialis quam accidentalis conſimiles ſibi producit in apparata materia, & adoleſcit atque perficitur ad ſubiectæ ſibi materiæ mutationes ſecundum maiorem diſpoſitionem: ita calor calorem gignit ſibi ſimilem in apparata materia proxima; & idem calor ad materiæ ſibi ſubſtratæ condenſationem adoleſcit in viuidiorem. Vt huc maximopere reſpiciant, quæ ſcribit Ariſtoteles, inquiens, (u) *Vt agitur, ſic aptum natura eſt; & vt aptum natura eſt, ſic agitur vnumquodque, niſi quid impediat: agitur autem propter aliquid; & aptum itaque natura eſt huius gratia; vt, ſi domus eorum, quæ natura fiunt, eſſet, ſic vtique facta eſſet, vt nunc ab arte; ſi autem quæ natura, non ſolum natura, ſed & arte fierent, ſimiliter vtique fierent, vt apta natura ſunt.* Ita ergo lapidum, animantium & inſtrumentorum artificialium figuram & imaginem habentium, origo non eſt a Caſu temeraria, non ab influxibus cæleſtibus, & a ſignaturis appellatis: verum partim a natura particulari petrificante, vt ita loquar, animantia & artificialia inſtrumenta; partim ex ſumma diſpoſitione talis materiæ ad tales imagines; partim ab imaginum illarum rudimentis relictis, ac deliteſcentibus in materia lapideſcente, in quam abierint organa, & animantia priſtina; partim denique vere figuram earum rerum, quas repræſentare videntur, non obtineant, ſed quid illi conſimile, quod plerumque ſortitum ſit aliquam elaborationem ab arte. Quarum cauſarum etiam aliqua potuit habere locum in anulorum origine, ſi quos contigerit inueniri non ab arte factos, verum a natura. Ceterum de generatione lapidum, admirabiles figuras habentium a natura late tractauimus in (x) Litheoſphoro. Verumenimvero natura in humano corpore, citra miniſterium artis efformauit anulum ſimillimum. Turcico ad ſagittandum vſurpatum, & alios complures, de quibus non ita pridem ad me Cl. Veslingius, *Inter naturæ opera ſi dactylia deſunt, vir Cl. non eſt tamen cur anos, circulosque requirat. Et ne longius Te per metalla, & vegetabilium claſſes traham, in animantium productione quid illa rerum omnium magiſtra moliatur, vide. Efformatura ſub oui membranis fœtum, varijs primum circulis rudem materiam circumfundit; inter quos obſeruatione dignior eſt, qui lineam purpureí coloris ſubtiliſſimam, artificis penicillo rotatam exprimit, vmbilicalium vaſorum, vel* [*APOSKIASMA*] *quoddam, vel fundamentum. Iam in perfectis corporibus, illi palpebrarum, labrorum, gulæ, veſicæ, extremique inteſtini conſtrictorij muſculi, quidni anulos potius vocemus, quam ſphinctéres? Aurium inſpice labyrinthum, & remeantes in idem penetrale tot circulos: tum in nonimeſtri fœtu, adiunctum tympani oris oſſeum anulum, externa eiuſdem membranæ firmamento tum maxime neceſſarium. Inter cartilagines item laryngis Cricoiden, cui vix in figura deeſt, quod in anulo ſuo Turcæ ſagittantes deſiderent. Vt, quod olim de Deo philoſophus, hic quoque non diſpari ſenſu fatea-*

u 2. phyſ. t. 78.

x cap. 54.

ſateamur, rerum Naturam [GEOMETREIN.] At multo prius de hoc
25 anulo Veſalius ita, (*y*) *Huic cartilagini nullum nomen eſt inditum; ac idcirco peculiari quodammodo nomine, Innominata vocari poteſt. Si quis tamen ſedulo eius effigiem inſpexerit, atque alicuius rei forma illam conferre, tandemque hic nomen indere voluerit, vix aliam ipſi conformiorem adinueniet; illo Turcarum anulo, quem ſagittantes dextro imponunt pollici, vt eius anuli beneficio arcus neruum robuſtius trahant: is enim anulus illa parte, qua pollicis interiora reſpicit, anteriori ſecunda cartilaginis ſedi ſimilis viſitur; qua vero externam pollicis ſedem tegit, poſteriori ſecunda cartilaginis regioni vtcumque conuenit.* Verum enim vero nedum in paruo mundo, ſed & in magno mundo Natura fabrefecit anulum, oceanum ſcilicet Anulum terræ: de quo ſapienter Homerus, dum in Achillis clypeo Mundum efformans, terram oceano circumfluo velut Anulo redimitam poſuit, inquiens, *y 1. de arat. cap. 38.* *r Iliad. 18. f.*

„ In eo etiam poſuit fluminis magnum robur Oceani,
„ Ora in extrema ſcuti affabre facti.

& multo (*ſ*) prius, *ſ Il. 14.*

„ Vado enim viſura multa nutrientis fines terræ,
„ Oceanumque Deorum genitorem, & matrem Tethim.

Vbi Strabo, (*u*) *Terminum cunctis aſſuetum obſeruari dedit Oceanum, nouiſſima vero ambitus circumcingit, & in fabricandis Achillis armis, & clypeo, circa eius oras ponit Oceanum.* & mox. *Quod autem habitabilis terra ſit inſula, primum a ſenſu atque experientia capiendum eſt. Nam quocumque accedere mortalibus ad terræ nouiſſima poſſibile factum eſt, mare obuenit, quod Oceanum appellamus; vbi vero ſenſu percipere non obtigit, ratio ipſa demonſtrat: latus namque ab oriente, quod ad Indos pertinet, & ab occaſu, quod ad Hiſpanos, & Mauritanos, et plurimum ab auſtrali parte, ac boreali nauigationibus ambitur. Reliquum ad hanc vſque tempeſtatem nobis eam ob rationem innauigabile, quia qui circumnauigent, & inter ſe obuiam commiſceantur, nulli admodum ſunt.* Manilius in eamdem (*x*) ſententiam, *u l. 1.* *x 4. aſtr.*

„ Ipſa natat Tellus Pelagi luſtrata corona
„ Cingentis medium liquidis amplexibus orbem.

& Afer ille Dionyſius librum ſuum de ſitu Orbis aggreſſus infit,

„ Incipiens terræ tractus, pontique meatus,
„ Et fluuios canere, atque orbes, populosque per orbem
„ Diſcretos, late refluum memorare parabo
„ Oceanum, tellus quo cingitur æquore tota,
„ Inſula ceu ſe ſe diffundens littore vaſto.

Et Seneca Tragœdus in Oedipo,

„ Lucida dum current annoſi ſidera mundi,
„ Oceanus clauſum cum fluctibus ambiet Orbem.

De hac re Cl. P. (*y*) Pineda. Similis eſt autem Oceanus anulo maximo, e cuius funda magna tellus emineat ad inſtar gemmæ, ſed in circuitu multos veluti lapillos extuberantes gerat innumeras inſulas. Quare ſcite multi nuncupant Oceanum terræ coronam, & anulum, alij baltheum, faſciam complexum, circulum ambientem; quæ ſingula recte refert vna mecum ad magnum anulum a Natura factum eruditus meus Seb. Baldus. Ita ergo *y Com. in Eccleſ. c. 1.*

F 2 ne-

nedum Ars, verum etiam natura quodammodo eſt anulorum cauſa procreatrix, & in paruo, & in magno mundo. Conſimilem anulum lucis in Luna ponit ab æthere ambiente Cl. Galileus mecum diſputans in Epiſtola de
z nu. 104. Candore Lunæ ſcribens, (z) *E quì è bene che io tocchi certo particolare degno di eſſere auuertito, & inteſo. Circonda perpetuamente l'etere, diciamo addenſato, il globo della Luna intorno alla quale ſi eleua ſino a vna certa altezza; ſtà la Luna eſpoſta ai raggi del Sole, i quali illuſtrano l'Emisferio lunare inſieme con l'Emisferio addenſato, e potente ad illuminare vna parte dell' Emisferio lunare non tocco dai raggi del Sole: e tal parte illuminata circonderà, a guiſa di vn'anello, vna ſtriſcia della ſuperficie lunare, che confina con l'Emisferio illuminato dai raggi ſolari; e queſto anello apporterebbe il lume crepuſculino nella Luna, e da noi ſi ſcorgerebbe quando vn'altro lume molto maggiore non ce l'offuſcaſſe.* &c. Sed de hoc anulo lucis in Luna latius
a l. 1. ad nu. 104. egi tractans cum viro Cl. de (a) ſubobſcura Lunæ luce prope coniunctiones & in eclipſibus obſeruata. At vero cauſa propria effectrix anulorum, de quibus agimus in hoc opere, non natura, ſed eſt Ars antiquitus Anularia nuncupata; nunc in multas diſperſa, pro varietate materiei, ex qua fiunt anuli; nam Aurifices efformant anulos aureos, & argenteos, fabri ferrarij ferreos, lignarij ligneos, & ita ſinguli propemodum ex propria materia.

De Cauſa finali Anulorum, & primum de ſeruitutis indicio. Cap. V I.

ANulorum finis fuit antiquitus multiplex illorum vſus: & quidem primus vſus extitit, meo iudicio, ad ſeruitutem indicandam; etenim
a cap. 2. quum olim tria fuerint ſeruorum genera, vt antea quoque (a) notaui; nam
b 1. polit. alij violēter ab hoſte potentiore in bello (b) manucapti ſeruabantur in vita;
c. 4. qui, quod manucapti forent, (c) mancipia dicebātur; quod vero non interfi-
c epit. Iur. cerentur, ſed viui ſeruarentur, ſerui (d) nuncupabantur: ſeruabantur au-
Ciu. tem vel ad venum, vel ad commutationem, vel ad famulitium. Horum ne-
d L. 4. de quiores, ne fugerent, catenis vincti cuſtodiebantur, vt (e) vidimus apud
ſtat. hom. Plautum in (f) Captiuis: Qui vero non ita fugitiui, bonam vtcunque ſer-
e cap. 1. f. uitutem hero ſeruiebant, vt ſerui noſcerentur, ſi manuale miniſteriū Domi-
f init. no præſtare debebant, non digitis anulum teſſeram ſeruitutis induebant, ſed aut pedibus, aut alijs partibus: huiuſcemodi ſeruos notat non ſolum
g 9. metam. Apuleius inquiens, (g) *Dij boni? quales illi homunculi vibicibus liuedinis totam cutem depicti, dorſumque plagoſum ſciſſili centunculo magis inumbrati quam obtecti: nonnulli exiguo tegili tantummodo pubem iniecti; cuncti tamen ſic tunicati, vt eſſent per pannulos manifeſti; frontes literati, capillum ſemiraſi, & pedes anulati, cum lu-*
h lib. 6. *rore deformi*: ſed etiam Athenæus aſſerens, (h) *Seruorum quidem Atticorum tot myriades vinctis pedibus in metallorum fodinis exercebantur*. Quin, vt vidimus,
i lib. 2. ep. & (i) Martialis in Zoilum,
23. „ Has cum gemina compede dedicat catenas,
„ Saturne, tibi Zoilus anulos priores.

Eiuſcemodi anulos ad crura perferunt etiam nunc Turcæ captiui, cum alijs damna-

damnatis ad triremes Genuæ. Qui vero manuale ſimul & pedeſtre ſeruitium heris exhibere tenebantur, horum neque digitos, neque pedes anulus indicium ſeruitutis occupabat, ſed vel collum, vel aures: de anulo colli nunc etiam Genuæ captiuos, emptosve ſeruos Turcas ferre teſſeram ſeruitutis aperte conſtat; de anulo aurium, vidimus in Pœnulo Plautum dicentem,

„ *M.* Seruos quidem ædepol veteres antiquosque habet.
„ *A.* Qui ſcis? *M.* Video homines ſarcinatos conſequi:
„ Atque, vt opinor, digitos in manibus non habent.
„ *A.* Quid iam? *M.* Quia incedunt cum anulatis auribus.

ſed & multo ante legitur in Exodo, (*) *Si emeris ſeruum Hebræum, ſex annis ſeruiet tibi; in ſeptimo egredietur liber gratis. Cum quali veſte intrauerit, cum tali exeat: ſi habens vxorem, & vxor egredietur ſimul. Sin autem Dominus dederit illi vxorem, & pepererit filios, & filias: mulier, & liberi eius erunt Domini ſui, ipſe vero exibit cum veſtitu ſuo. Quod ſi dixerit ſeruus, diligo Dominum meum, & vxorem ac liberos, non egrediar liber: offerat eum Dominus: & applicabitur ad oſtium & poſtes: perforabitque aurem eius fibula: & erit ei ſeruus in ſeculum.* Quare ſunt antiquiſſimi anuli ſeruorum ad aures. Quod & inde colligo, quoniam (*) *Iſmaelitæ inaures aureas habere conſueuerant*: eo quod eſſent e genere ſeruorum; vt pote genus ducentes ab Iſmaele, filio Agaris (†) ancillæ Abrahami. Alij vero ſerui fuerunt, qui Iure ciuili, pretij participandi gratia ſemetipſos vendebant ad ſeruitutem, parentesve, aut filios: vel domi naſcebantur ex ancillis; etenim Marcellini relatu, quum fames vniuerſam Europam vexaret anno 587. Italici homines filios, & parentes vendiderunt (vt ſcilicet empti nutrirentur ab heris & vendentes accepto pretio ſemetipſos alere poſſent) quum poſtea venundatos illos Placidius (*k*) Valentinianus redimi præcepit ſub quintæ adiectione. Quibus tamen Optimorum Imperatorum ſanctionibus male huic mercaturæ obuiam penitus itum non eſt; quum in Lucanis, (*l*) Caſſiodoro teſte, Conuentu Leucotheæ, natali D. Cipriani a parentibus liberi paſſim diſtraherentur. Qua de re (*m*) ſuperius attuli pulcherrimam (*n*) Mercurialis obſeruationem a vetuſtiſſimis vſque temporibus de venditione cuiuſuis generis hominum in ſeruitutem. Quod habemus etiam in hiſtoria (*) ſacra, *Si quis vendiderit filiam ſuam in famulam: non egredietur ſicut ancillæ exire conſueuerunt.* His porro ſeruis, non catenarum, non compedum vincula circumpoſita fuiſſe, quibus a fuga cuſtodirentur, veriſimile prorſus eſt; aſt anulum digito datum ex ferro ſolidum aſitum, & apirum, ſimilem omnino catenarum anulis, indicium purum putum ſeruilis conditionis. Quo factum fuit, vt anulum antiqui nuncupauerint nomine Vinculi, non geſtaminis, vt ait Plinius, (*o*) *Primo tamen ferreum anulum dedit antiquitas, vinculumque id, non geſtamen intelligi voluit.* Quod autem anulus ſit ſeruitutis hieroglyphicum (*p*) Pierio Pythagoræ ſymbolum exponit, quo nos arctum anulum geſtare vetat; quod ex D. Hieronymi interpretatione, non eſſe anxie viuendum admonet; quippe cauendum, ne nos in eam ſeruitutem coniiciamus, quæ dura ſit & incommoda. Niſi quoque dicamus, Pythagoram nobis præcipere, ne ſeruilem conditio-

* cap. 21.
* Iudic. 8.
† Geneſ. 16
k Nouell. 11. Valēt.
l l. 10. Variar.
m cap. 2.
n l. 2. var. lect. c. 1.
* exod. 21.
o l. 33. c. 1.
p lib. 36.

ditio-

ditionem adeamus, omnique conatu ſeruitutem fugiamus, quod ſerui peſ-
q lib. 6. ſime ſemper audirent apud antiquos, vt ex Athenæo conſtat, cui (q) *Nihil probum ac ſanum eſt in animis ſeruorum, nec huic generi hominum, ſi mens conſtet, fidendum eſt; quod noſtrorum omnium poetarum ſapientiſſimus ita pronuntiauit.*

„ Altiſonus mentis priuauit Iupiter omnes

„ Dimidio, quotquot fatum ſeruire coegit.

Ceterum anulus, qui vinculum eſt, ac olim fuit indicium ſeruitutis, non aureus, argenteusve, ſed ferreus erat, vel æneus: non vacuus, & leuis, at ſolidus, quales anuli ſunt catenarum; & nullam habuit gemmam, aut fundam, ſculpturamve, ſed alithus, & apirus fuit exactæ rotunditatis, atque
r l. 19. c. 32 ſimplex omnino. Quod Iſidorus etiam affirmat in Originibus (r) ita, *Apud Romanos anuli de publico dabantur, & non ſine diſcrimine; nam dignitate præcipuis viris gemmati dabantur; ceteris ſolidi. Anulum aureum neque ſeruus, neque libertinus geſtabat, aut in publico: ſed anulo aureo liberi vtebantur, liberti argenteo; ſerui ferreo vtebantur.* Flamen Dialis etiam, quem nefas erat habere ſymbolum ſeruitutis, anulo ſolido prorſus interdicebatur: etenim A. Gel-
ſ 10. Noct. lius de Flamine Diali dicit, (ſ) *Anulo vti, niſi peruio caſſoque, fas non eſt.* qua
Att. c. 15. de re latius infra. Sic ergo ſerui primitus anulum ferreum, vel æreum, ſolidum, ſimplicem, alithum pariter & apirum, nempe ſine gemma, & abſque funda geſtabant, ſeruitutis teſſeram meram; nequam illi quidem nuncupati fugitiui; ſeu empti, ſeu manucapti, catenarum & compedum maioribus
t 19. orig. anulis preſſi collo, vel cruribus, vel brachijs diſtinebantur, vt innuit (t) Iſi-
c. 32. dorus in Originibus, apertius explicat Plautus in Captiuis, & Apuleius in aſino ſuo; at ſerui frugi digitos anulatos, vel aures itidem minoribus orbi-
u cap. 1. culis anulatas geſtabant; vt (u) nouimus ex Plauto, non ſolum in Truculento, ſed etiam in Pœnulo. Non omittendum cenſeo, dum de ſeruis agi-
x lib. 6. mus, (x) Athenæum ex Timæo Tauromenite non recte vitio vertere Ariſtoteli, quod Locris dederit ſeruos: ait enim, *Timæus Tauromenites lib. IX. hiſt. teſtatur, Græcis olim patrio more nullos fuiſſe emptitios ſeruos. Prorſus inquit, Ariſtotelem reprehendebant, ac erraſſe contendebant in explicandis Locrorum inſtitutis; non enim Locris ſeruos ancillasve poſſidere legibus permittitur, nec Phocenſibus; præterquam vltimis, & proximis temporibus primaque omnium vxori Philomeli, qui Delphos occupauit, comites fuere duæ pediſſequæ. Similiter quoque Mnaſonem Ariſtotelis familiarem & amicum a Phocenſibus accuſatum fuiſſe, quod centum haberet mancipia, quorum cibatus alimenti ciuibus neceſſarij tantum detraheret; priſco enim more in domeſticis negotijs ſenioribus iuuenes miniſtraſſe.* Nos tamen ob hæc Ariſtotelem non eſſe reprehendendum arbitramur; qui ſi Locris extitiſſe ſeruos aſſeruit, non de emptitijs ciuibus, lege prohibitis; at de manucaptis
y 1. polit. in bello, deque barbaris emptis egit; quos lege permitti (y) notauit. Sicque
cap. 4. Mnaſo fuit accuſatus, non quod ſeruos haberet aut mancipia, ſed quod centum haberet, adeoque plures quam vrbis annona, ciuiumque victus ſuſtinere poſſet. Olim quidem iuuenes miniſtrabant ſenioribus domi, ſed in ne-
z cap. 2. gotijs non ita ſordidis; in illiberali miniſterio ſerui adhibebantur. Quin
a Geneſ. 9. ante Locros atque Phocenſes, Aegyptij ſeruos habuerunt & Hebræi; vt
& ſeqq. (z) antea nouimus e ſacra (a) pagina. Neque putandum eſt, Locris atque Pho-

Phocenſibus eandem legem ſeruos interdixiſſe, quæ Græcis abſolute ſeruos ex bello (*b*) tribuit. Taprobani barbari ſunt, quorum nemini ſeruum ſeruire notat (*c*) Plinius, non Græci. Sed redeamus ad anulos, quos primum inuentos nouimus in teſſeram ſeruitutis, ac vinculi; quo geſtamine ferreo vel æneo, ſiue ad pedes, ſiue ad collum, ſiue ad digitos, ſiue ad aures, internoſcerentur ſerui ab ingenuis liberiſque prorſus hominibus; qui non vinciebantur anulo ferreo vel æreo ſimplici alitho & apiro, vt ſerui.

b 1. polit. c. 4.
c l. 6. c. 22.

De ſecundo fine Anuli ad matrimonium, ſeu de Anulo pronubo ſponſæ. Cap. VII.

AFfinis huic ſeruitutis eſt alter finis, cuius gratia veteres vtebantur anulo, nimirum vt indicarent, mulieres eſſe deſponſatas, & ſub viri poteſtate quadam conſtitutas, veluti ſub ingenui cuiuſdam dominij iugo. De quo quidem vſu ſicuti pridem inſtitutum, & ad noſtra tempora continuatum habemus morem myſticum apud Venetos Adriaticum anulo ſingulis annis ſibi deſponſandi; quam hiſtoriam pulchre deſcribit Cl. P. Delrius in ſuis Magicis Diſquiſitionibus inquiens, (*) *Princeps Venetorum Anulo in mare iacto quotannis Adriaticum ſibi deſpondet. Dominationis hoc indicium, non magia argumentum eſt. Fit hoc in memoriam naualis victoriæ qua duce Sebaſtiano Ziano vicere filium Federici Ahenobarbi Othonem, captumque obtulere Alexandro Tertio Pontifici, qui Venetias profugerat. Tum enim Ziano Pontifex Anulum de manu ſuo detractum obtulit, dicens: Autoritate mea hoc Anulo fretus Oceanum tibi ſubijcies; & quotannis tibi poſteriſque eo die, quo hanc victoriam, pro Eccleſia defenſione obtinuiſti, deſpondebis mare: vti ſciant omnes, maris tibi dominium conceſſum, quia Sedis Apoſtolicæ tuendæ curam & ſtudium fideliter ſuſcepiſti. Sit hoc tibi quaſi pignus benedictionis, & ſecundæ ſortis in futurum. Narrat ita Villamontius lib. 1. Peregrinat. cap. 34. prior illo Sabellicus Decad. 1. lib. 7.* Ita plane Plinium (*a*) vidimus aſſerentem multo prius, *Etiam nunc ſponſæ anulus ferreus mittitur, iſque ſine gemma.* Talem anulum gemma carentem, quem *Vera* nuncupant Veneti, Patauinis virginibus geſtare fas non eſt; quod index connubij ſit, & a ſponſo detur coniugi ſuæ: ſicuti nec innuptis iiſdem virginibus ad collum vniones habere licet, antiqua conſuetudine, tum quod Margaritæ quoquo pacto ſint oſtreorum ſiue ſemen, ſiue oua, vt ait (*b*) Ariſtoteles; cui ſemen eſt excrementum vtile vltimi alimenti (*c*) mutati; videlicet alimenti redundantia vtilis generandæ ſoboli: tum maxime quod conchæ margaritiferæ ponantur grauidæ ab (*d*) Ariſtotele, ſcribente, *Teſtæ enim intectæ tunc optimæ ſunt, quum grauidæ*: virgines autem innuptæ generationem promouere nequeunt, nec eſſe grauidæ: verum ad virginitatis indicium collo circundare ſolent ex coralliorum ſphærulis monilia; quod corallium herba ſit, non ſemine, ſed ſponte naſcens infecunda, vt oſtendimus in opere de (*e*) Spontaneo viuentium ortu; proindeque ſymbolum aptum infecunditatis, atque ſterilitatis, adeoque virginitatis: & eo forſan etiam alludere volunt virginibus rubra corallia dantes, nuptis albas margaritas; quod hæ ſemen album

2. an. finis.
* l. 4. c. 2. q. 6. ſe. 3.
a l. 33. c. 1.
b 4. hiſt. 11. 8. hiſt. 30.
3. de gen. an. c. 3. & 11.
c 1. de gen. an. c. 18.
d 8. hiſt. c. 30.
e l. 3. c. 15.

bum emittant, illæ rubri ſanguinis florem. Atvero colores hi ſignificatum
* Can. 30. aliud habere videntur in ſponſis apud L. (*) Canonicam, vbi ſponſi *eadem*
q. 5. c. fæ- *vitta candido purpureoque colore vinciuntur; quod candor ad munditiam vitæ, pur-*
minæ. *pura ad ſanguinis poſteritatem adhibetur, vt hoc ſigno & continentiæ lex tenenda ab*
vtriſque ad tempus admoneatur, & poſt hac reddendum debitum non negetur. Ce-
terum anulus pronubus non ita priſcis temporibus ex auro mitti conſueuit:
& non ſemper alithus, & apirus, abſque gemma, & abſque pala; ſed cum
funda geſtari paſſim etiam a viris coniugibus in vſu fuit; in cuius quidem
pala nihil effigiatum erat aptum ad ſignandum, verum duæ manus inuicem
ſe ſe complectentes, in ſymbolum fidei maritalis vtrique coniugi ſeruandæ;
quapropter & id genus anulorum vulgo nuncupatum eſt *Fides*. Qua de re
pulchre Pignorius noſter ad Eminentiſſimum Cardinalem Cobellutium,
f epiſt. 19. *Querebas, (f)* ait, *de anulo pronubo, cuius figura eſſet, cuius materia; & num olim*
fuerit (vti nunc) precibus ad Deum fuſis conſecratus. Figura videtur illa, quæ me
puero frequens fuit, & nunc apud nos obſoleuit, iunctarum videlicet manuum dex-
terarum, cuiuſmodi in antiquis nummis cernitur non raro, ijſque aureis, argenteis,
g l. 1. & 11. *& æreis. Dexeras abſolute appellat (g) Tacitus: miſſitatos ad exercitus non ſemel.*
Apud nos obtinuerat Fidei nomen (vna Fede) *neque profecte ſine exemplo antiqui-*
tatis: quando in monetis Vitellij, Titi, Domitiani, Pupieni dextra huiuſmodi Fidei
inſcriptionem præſeferunt. Accedit his omnibus teſtimonium ſcriptoris, quem tu me-
h l. 1. c. 11. *rito magnifacis, Ioannis Nider, qui ſcribit in (h) Formicario, de Virgine ruſtica,*
quæ optabat reperire anulum materialem in ſignum Chriſtiferæ deſponſationis, repe-
riſſe anulum coloris albi argento mundo ſimilem; & in clauſura, vbi iungebatur in
circulum, duas manus artificioſe inſculptas extitiſſe, cancellatim ſibi mutuo fidem
porrigentes, & ſe ſe arcte conſtringentes. Moris etiam erat olim, vt anulus, & coro-
na conſecraretur oratione Sacerdotis: cuius quidem orationis in veteribus liturgijs
„ *hęc erat formula: Bene ✠ dic Domine anulum iſtum, & coronam iſtam: vt ſicut*
„ *anulus circundat digitum hominis & corona caput, ita gratia Spiritus-Sancti circun-*
„ *det ſponſum & ſponſam: vt videant filios & filias vſque ad tertiam & quartam gene-*
„ *rationem, qui collaudent nomen viuentis atque regnantis in ſecula ſeculorum. Amen.*
De corona vero fruſtra eſt vt te moneam: non enim dubito quin obſeruaueris locum
i cap. 61. „ *Iſaiæ, (i) Et indumento Iuſtitiæ circundedit me, quaſi ſponſum decoratum corona:*
& verba D. Agnetis omnibus in promptu ſunt. Ceterum anulum pronubum,
vetuſtiorem Chriſtiano coniugio, non habuiſſe typum dexterarum in Fidei
maritalis teſſeram, probabile ſatis eſt ex Plinio, qui nulla facta mentione
k l. 33. c. 1. dexterarum, ait, (k) *Etiam nunc ſponſæ anulus ferreus mittitur, iſque ſine gem-*
ma: ſi nanque iunctas inuicem dextras habuiſſet anulus ille pronubus, loco
gemmæ; næ rei huius meminiſſet diligentiſſimus veterum morum ſcriptor.
Id ipſum Eminentiſſimus Baronius atteſtatur, memorans anulos pronubos
cum dextris iunctis in ſignum Fidei, tom. 1. ſub anno Chriſti L V I I. Quin
l 3. d. ſymb. & hac de re P. Petra-Sancta luculentiſſime, (l) *Peruſia*, ait, *nobili Vmbriæ*
her. c. 4. & *Ciuitate, colitur religioſiſſime anulus, quo* M A R I A *ſanctiſſima Virgo ſtirpis re-*
ſeqq. *gia nuptui data eſt Ioſepho viro congeneri, ac beato: qui manſit in connubio cum ea*
cælebs corpore, ſed affectu, curaque, & toto penitus animo maritus. De hoc anulo,
Cluſij olim Porſenæ Regia Vrbe diu in honoribus magnis habito, ac Peruſium tranſlato

cum

cum gloria & cultu maiori, edidit non ita pridem, ſtylo eleganti, eruditos commentarios Io: Baptiſta Laurus. Peculiariter vero ait, ſublucere in dorſo eius notæ alicuius veſtigium, quam ſenſim ætas abederit, & quæ multis videtur flos erumpens e calyce iam repando: alijs refert binos flores ſemiclauſos, binosve oculos, vel caput ſerto redimitum; fortaſſe Dauidis Regis, qui fuit vnus ex magnis auis huius Sponſæ regiæ. Sed enim quia ſæpe fit, vt alat coniecturas & opiniones ipſa rei vetuſtas & veneratio, exiſtimo ſimplicem & cum læuore orbem eſſe, nec vlla cælatura operis prominuli eum exaſperari. In qua me ſententia confirmauit Io: Baptiſta de Ninis, Iuris Pont. ac Cæſ. peritia, meritiſque ſinceræ amicitiæ mihi præcipuus; nec enim alia ſpecie, quam teretis ab omni parte circuli, eum ſacrum anulum, Peruſię in patria ſua ab ſe viſum, affirmauit. Hic idem anulus ex metallo non eſt, ſed ex gemma onychina, vel amethyſto: & potuiſſet ex ſmaragdo fieri, gemma illis ſolis nuptijs apta, in quibus nullus interceſſit matrimonij vſus: alioqui frangitur ſmaragdus, ac ſentire videtur iacturam virginitatis; quod aliquando eueniſſe anulo ſmaragdino vnius Reginæ Hungariæ prima nocte nuptiarum, apud (m) ſcriptores non ignobiles legi. De hoc anulo pronubo B. M. Virginis aurea carmina proſtant Muſæ Barberinæ,

m Al. Mag. & Auell. l. 2. de gem.

,, Imbriferis Arcus fulgens in nubibus orbem
,, Efferа Diluuij damna timere vetat.
,, Sic Deus omnipotens voluit: decus, anule, maius
,, Eſt tibi, quem ſupplex vrbs Peruſina colit.
,, Es gemino conſtans arcu felicior index:
,, Nam peragit Virgo Nupta ſalutis opus.
,, Virgineo terræ coniungens fædere cælum,
,, Hac duce non pelagi, non Stygis vnda nocet.

Circulum etiam nullo inſerto lapillo dari conſueuiſſe puellis Hebręis, quando nubebant, opinatur Laurus, velut æquabilis connubij teſſeram. In regionibus pariter oræ ſeptentrionariæ datur alicubi nouis nuptis anulus aureus expers gemmæ; & congrue figura ea æterna exprimi amoris in coniugio perennitatem. Verum illud etiam obſeruo, morem illum antiquum coronandi ſponſum & ſponſam, apud nos obſoleuiſſe in matrimonijs ad prolem corpoream inſtitutis: retineri tamen adhuc coniugio ſpirituali ſacrarum virginum monialium Chriſto Domino nubentium, quæ per manum Epiſcopi donantur anulo pronubo, & corona ſponſali, ſicut ego vidi Patauij. Sed & Hugo a S. Victore, *Anulus autem Epiſcopo traditur in digitum tanquam ſponſæ Chriſti in typo Eccleſiæ, cuius ipſe eſt caput.* Itidem Polydorus (n) Virgilius ait, *Anulus in Epiſcopi digito pronubus eſt, quod habeatur vt pignus copulationis Chriſti & Eccleſiæ, quam refert Epiſcopus, &c.* Poſterioribus autem temporibus in ſignum fidei maritalis anulo pronubo cæperunt inſculpi dexteræ ſimul iunctæ, quod ſignum ad noſtra vſque tempora perdurauit: fuit autem peruetuſtum; namque Nicolaus Papa epiſtola ad Bulgaros 3. ait, *Et poſtquam arrhis ſponſam ſibi ſponſus per digitum Fidei-anulo inſignitum deſponderit.* Verum & illæ dextræ, de quibus in Hiſtorijs Tacitus, tum aſſerens dexteras miſſas a Ciuitatibus exercitui, hoſpitij inſigne, (o) *Miſerat Ciuitas Langonum, vetere inſtituto, dona legionibus, dextras hoſpitij inſigne*: tum inquiens, dextras Concordiæ inſignia Syriaci exercitus nomine ad Prætoria.

n l. 4. de inuent. c. 7.

o 1. hiſt. c. 54.

p lib.2.c.8. rianos latas, (p) *Centurionem que Siſennam dextras, concordiæ inſignia, Syriaci exercitus nomine ad Prætorianos ferentem, varijs artibus aggreſſus eſt.*; vtrum inquam iſtæ dextræ, a Tacito recenſitæ, fuerint anuli, quales depingit nobis Cl. Gorlæus quadrageſimum tertium argenteum, in quo gemma onyx inciſa concordiæ pacis, & abundantiæ typo, e iunctis dextris exilientibus oleæ ramo, & duabus hinc inde tritici ſpicis: nonageſimum quartum argenteum, in quo gemma onyx inciſa refert iunctas dexteras, e quibus emergit inter binas item frumenti ſpicas ramulus cum fructu pomi granati: atque centeſimum nonum argenteum, in quo gemma Cyanea inciſa typo iunctarum dexterarum, e quibus extollitur Caduceus Mercurij duas inter cornucopiæ figuras: an potius abſque anulo fuerit numus, vel gemma inciſa, qualem nobis etiam depinxit Gorlæus ſeptuageſimam ſextam, Sardam nempe, in qua intra coronam lauream e iunctis dextris exurgit caducei ſignum inter geminas tritici ſpicas: & centeſimam decimam, onycem inciſam dextris intra ſertum laureum, e quibus veluti pullulat pomi granati ramulus inter ſpicas conſimiles: incompertum habeo. Sed meo periculo præferas numos anu-
q 36. Hierogl. lis & gemmis. Pierius de anulo pronubo (q) ſcribit, *Hic porro digitus anulo inſignis, coniugij eſt hieroglyphicum; eaque de cauſa ſunt, qui eum pronubum ap-*
r 4. Aneid. *pellent. Hinc (r) Maro vincla iugalia poſuit pro connubio,*

„ Si mihi non animo fixum immotumque ſederet,
„ Né cui me vinclo vellem ſociare iugali.

& mox,

„ Iunoni ante omnes, cui vincla iugalia curæ.

Et in diuinis literis inditum ſponſalitijs anulum arrhabonis iudicium nuptiarum cauſa legimus: eumque morem, & inſtitutum omnes Chriſtianorum conuentus ſemper obtinuerunt. Vnde Septimius Florens digitum hunc & pronubum appellauit, & anulum quoque pronubum, eo loco: nam & mulieres parciſſima patrum ſobrietate aurum minime nouerant, vno excepto digito, quem anulo ſponſus oppigneraſſet. Quem
ſ l.6.c.17. Septimij locum de anulo pronubo (ſ) Rhodiginus etiam attulit. In eandem
t l.19.c.32. rem Iſidorus ait, (t) *Feminæ non vſæ ſunt anulis, niſi quos virgini ſponſus miſerat: neque amplius quam binos aureos in digitis habere ſolebant: at nunc præ auro nullum feminis leue eſt, atque immune membrum*: ſcilicet quia circulis aureis & pluribus, & magnis aures perforant, collum cingunt, digitos onerant, pectus circumambiunt, brachia induunt, nec fronti, papillis, femorique parcunt; nam
u c.33. eidem Iſidoro, (u) *Strophium eſt cingulum aureum cum gemmis, de quo ait Cinna,*

„ Strophio lactentes cincta papillas.

Sed & Grotio dicitur anulus

„ Legitimi ſacrum pignus & arrha thori.

Quod vero ſponſis duo anuli mitterentur ſecundis temporibus, id arbitror fuiſſe ad duo matrimonij officia ſignificanda, nempe alterum extitiſſe ſine gemma & apirum, ad indicandam ſpeciem quandam ſeruitutis, qua mulier viro ſubdita eſſe debet, diuina lege ab initio mundi contra primam omnium
x Gen.3. matrem promulgata, *Multiplicabo ærumnas, & conceptus tuos: in dolore paries filios; & ſub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui.* Quem anulum ſolum primitus nuptis a ſponſo mittebatur. Quibus etiam haſta velitari, quam celiba-

liba-

libarem etiam vocant, ſponſi ſoliti ſunt comam in fronte digerere ac diſcriminare, vel argumento quod ſponſas maritorum imperio ſubditas conueniat; vel augurio felici, quod fortes ſtrenuosque bellatores parituræ ſint; vt obſeruat (*) Alexander ab Alexandro. Deinde ſecundus mitti conſueuit eiſdem cum inſculptis duabus dextris ad fidem matrimonij denotandam, quæ ſeruari deberet inuiolabilis. Inſerebatur autem vterque pronubus hic anulus digito quarto a pollice, ſiue in vna manu, ſiue in vtriſque. Iſta de re tum (y) Tertullianus, *Aurum nulla norat præter vno digito, quem ſponſus oppignerasſet pronubo anulo.* tum Iſidorus, (z) *Feminæ non vſæ ſunt anulis, niſi quos virgini ſponſus miſerat; neque amplius quam binos aureos in digitis habere ſolebant.* Etſi contradicat his in Hecyra Terentius proferens virginem anulatam ante deſponſationem, dum (*) ait; * l.2.c.5. y l.de cultu fem.in. z l.20.orig. * act.4.ſc.1.f.

„ Hoc mihi vnum ex plurimis miſerijs reliquum fuerat malum,
„ Si, puerum vt tollam, cogit, cuius nos qui ſit neſcimus pater:
„ Nam quum compreſſa eſt gnata, forma in tenebris noſci non quita eſt.
„ Neque detractum ei tum quicquam eſt, qui poſt poſſit noſcier qui ſiet:
„ Ipſe eripuit vi, in digito quem habuit, virgini abiens anulum.

& (*) mox. * ſc.3.

„ Hic adeo his rebus anulus fuit initium inueniendis.
„ Nam memini, ab hinc menſes decem fere ad me nocte prima
„ Confugere anhelantem domum, ſine comite, vini plenum
„ Cum hoc anulo: extimui illico: mi Pamphile, inquam amabo,
„ Quid exanimatus es obſecro? aut vnde anulum iſtum nactus?
„ Dic mihi: ille alias res agere ſe ſimulare. poſtquam id video,
„ Neſcio quid ſuſpicarier magis cœpi: inſtare vt dicat.
„ Homo ſe fatetur vi in via virginem neſcio quam compreſſiſſe:
„ Dixitque ſe ſe illi anulum, dum luctat, detraxiſſe. &c.

Sed fortaſſis Iſidorus, ac Tertullianus de virginibus multo vetuſtioris temporis egerunt, quam illud in quo vixere Terentianæ; vel Terentij locum non animaduerterunt. Sed idem Tertullianus alibi dicit, (a) *Quod in primis nuptijs anulus a ſponſo ſponſæ datur, fit nimirum vel propter mutuæ dilectionis ſignum, vel propter id magis, vt eodem pignore eorum corda iungantur; vnde & quarto anulus digito inſeritur, ideo quia in eo vena quadam fertur ſanguinis ad cor vſque perueniens.* & reuera mihi probabile ſatis eſt, anulum mitti ſolitum a marito ſponſæ teſſeram matrimonij, quod coniugium maxime ſitum eſt in mutuo coniugum amore indiſſolubili perpetuoque, ſupra dilectionem etiam parentum; ſic enim Deus iubet, (b) *Quamobrem relinquet homo patrem ſuum, & matrem ſuam, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna.* & alibi, (c) *Itaque iam non ſunt duo, ſed vna caro: quod ergo Deus coniunxit, homo non ſeparet.* At vero cor antiquitus ponebatur propria ſedes amoris; etenim cenſebatur eſſe domicilium & fons voluntatis, vt ex Homero, & poetis alijs tam Græcis, quam Latinis accepiſſe ſe, monet (d) Valerianus: voluntas autem eſt amoris ſedes ſeu parens omnibus tam Philoſophis, quam Theologis, quin & poetis; qui propterea nuncupant Amorem nomine Cupidinis; definiuntque pulchri deſiderium, quod eſt vnius voluntatis affectus: a 2.de diu. off. c.15. b Geneſ.2. c Marc.10. d Hierogl. 18.

Quapropter anuli vinculo circundans vir ſponſæ digitum minimo proximum, a quo vena Saluatella nuncupata, veteribus ad cor aſcendere recta putabatur, amore cordiali perpetuoque, cuiuſmodi matrimonio debetur, ſe cum ea iungi ſignificabat. Sed pulcherrimum ſymbolum amoris coniugalis habetur in anulo aureo, de quo ſic ad me nuper Illuſtriſſimus Caſſianus a Puteo ſcripſit, *Il ſeſto, che non è figurato era d'oro, con vna gioia, granata credo, e l'ha l'Eminentiſſimo Padrone nella ſua Dactiliotheca, era vn ſimbolo d'amore, vn Cupido legato, con non sò che farfalletti attorno, e nel cerchietto dell'anello, che era finiſſimamente lauorato di ſtraforo, eranui queſte due parole, mei amores.* Profecto dicitur hic anulus non figuratus mihi, non autem in ſe; qui Vir Eruditiſſimus in illa epiſtola tranſmiſerat ad me quinque figuras aliorum anulorum veterum, ſed huius ſexti non figuram, ſed allatam ſolum deſcriptionem miſit. In gemma Cupido vinctus apte fingitur, quia coniugum alteruter vinctus eſt eodem amoris iugo; ſed circa vinctum amorem recte ponuntur papiliones, qui ſunt ſymbolum filiorum, qui circa parentes veluti volitant circumcurſitantes; qui ponuntur etiam in circuitu menſæ parentis Deo dilecti a Pſalmographo; & quia vir coniugem alio amoris genere proſequitur, & alio prolem; vxor identidem non vnico diligit amore maritum & ſobolem; proinde ſcite ſub numero multitudinis legebatur in anulo *mei amores*: ſiue fuerit anulus ille mariti, ſiue dilectæ coniugis. Porro ſigillum anuli pignus eſſe amoris eximij conſtat ex eo, quod apud veteres [SFRAGIZEIN] eſt pi-

* part. alt. c.8. gnus amoris conferre, vel Cl. Heinſij notatu in * Ariſtarcho ſacro. Nec omittendum quod Agnes virgo & martyr apud D. Ambroſium ait in propoſito, *Anulo ſuo ſubarrauit me Dominus meus Ieſus Chriſtus*. Et quum anuli pronubi fuiſſent primitus apiri, alithi, & ferrei; poſtea tamen & argentei, &

e Sat.7. aurei formati ſunt, atque gemmati; nam *(e)* Iuuenali,

„ ——— deinde adamas notiſſimus: & Berenices
„ In digito factus pretioſior: hunc dedit olim
„ Barbarus inceſtæ: dedit hunc Agrippa ſorori.

f Sat.6. & abſolute de anulo pronubo paulo ante *f* dixerat,

„ Conuentum tamen, & pactum, & ſponſalia noſtra
„ Tempeſtate paras, iamque a tonſore magiſtro
„ Pecteris, & digito pignus fortaſſe dediſti.

Hæc exaraueram, quum ad manus venit eximij viri de literis pariter ac literatis omnibus optime meriti Nicolai Claudij Peireſcij Vita, Cl. Petri Gaſ-

g l.4.p.230 1629. ſendi politiſſimo ſtilo vulgata, quæ me *(g)* commonuit, *Arelate quum rediret, reperit ibi, acquiſiuitque anulum quendam Pronubum, ſeu Arrham genialem, de qua plura per literas cum eruditis differuit, occaſione inſcriptionis*, TECLA VIVAT DEO CVM MARITO SEO. His attexenda videtur etiam tantum non

h p.2. ſum. hiſt. t.16. c.7. horribilis hiſtoria, quam narrat ex Vincentio Bellacenſi *(h)* D. Antoninus, & *(i)* Kornmannus ex his vtriſque, *Romæ*, inquit, *temporibus Henrici III. Imp. fuiſſe iuuenem quendam locupletem, & nobilem, qui recens vxorem duxerat, & ſoda-*

i de tripl. anu.p.209 *les ſuos opiparo conuiuio nuptiali exceperat. Exiuere in campum a prandio luſuri pila. Sponſus ludi dux, pilam poſuit, & ne excideret anulus ſponſalitius, inſeruit eum digito ſtatuæ Veneris æreæ, quæ in proximo erat: omnes vnum petebant; ſic ipſo defati-*

gatus

gatus ipſe a ludo ſeceſſit, & ad ſtatuam rediјt, anulum recepturus: Ecce videt digitum ſtatuę vſque ad volam manus recuruatum, & quantumuis conatus anulum recuperare, nec digitum inflectere, nec anulum valuit extrahere. Redit ad ſodales, nec illis ea de re quicquam indicauit. Nocte intempeſta cum famulo ad ſtatuam reuertitur, & extenſum vt initio digitum reperit, ſed ſine anulo: iactura diſſimulata, domum ſe confert ad nouam nuptam. Quumque thorum genialem ingreſſus ſponſę ſe iungere vellet, ſenſit impediri ſe ſe, & quoddam nebuloſum ac denſum inter ſuum, coniugiſque corpus volutari: ſentiebat id tactu, videre tamen nequibat: hoc obſtaculo ab amplexu prohibetur: audiebat etiam vocem dicentem: Mecum concumbe, quia hodie me deſponſaſti: Ego ſum Venus, cui digito anulum inſeruiſti, nec reddam. Territus ille tanto prodigio, nihil referre auſus eſt, vel potuit: inſomnem duxit noctem illam, multum ſecum deliberans. Sic factum eſt per multum tempus, vt quacumque hora cum ſponſa concumbere vellet, illud idem ſentiret & audiret. Erat ſane alias valens, & domi aptus, & militię. Tandem vxoris querelis commonitus rem parentibus detulit. Illi habito conſilio, Palumbo cuidam, presbytero ſuburbano, rem pandunt. Is autem erat Necromanticus, & in maleficiјs potens: illectus ergo promiſſis multis, compoſitam epiſtolam dedit iuueni dicens: Vade illa hora noctis ad compitum, vbi quatuor vię conueniunt, & ſtans tacite conſidera. Tranſient ibi figurę hominum vtriuſque ſexus, omniſque ętatis & conditionis, equites & pedites: quidam lęti, & quidam triſtes: quicquid audiueris, non loqueris. ſequitur illam turbam quidam ſtatura procerior, forma corpulentior, curru ſedens: Huic tacitus epiſtolam trades legendam, ſtatimque fiet quod poſtulas. Ille autem iuuenis totum impleuit, prout edoctus erat. Viditque inter ceteros ibi mulierem in habitu meretricio, mulum inequitantem crine ſoluto per humeros iactato, vitta aurea ſuperius conſtricta, auream virgam gerentem in manibus qua mulum regebat: prę tenuitate veſtium pene nuda apparebat, geſtus exſequens impudicos. Vltimus dominus turbę terribiles in iuuenem oculos exacuens, ab axe ſuperbo Smaragdis & vnionibus compoſito, cauſas vię ab eo exquirebat. Nihil ille contra, ſed protenſa manu epiſtolam ei porrigit. Dęmon notum ſigillum non audens contemnere, legit ſcriptum: mox que brachijs in cęlum eleuatis: Deus, inquit, omnipotens, quandiu patieris nequitias Palumbi presbyteri? Nec mora, ſatellites ſuos a latere mittit, qui anulum extorquerent a Venere. Illa multum tergiuerſata, vix tandem reddidit. Ita iuuenis voti compos ſine obſtaculo potitus eſt diu ſuſpiratis amoribus. Palumbus autem vbi Dęmonis clamorem ad Deum audiuit de ſe, intellexit ſibi pręſignari finem dierum. Quocirca omnibus membris vltro truncatis miſerabili pęna defunctus eſt, confeſſus coram populo Romano inaudita flagitia. Porro mitior iſte Dæmon Veneris fuiſſe videtur, quam ille qui ſponſos Rachelis prima nocte concumbere volentes occidebat, prohibitus ab Angelo Raphaele, ne Tobiam interimeret; vt habetur in ſacra pagina. Sed illorum interfectionem permiſit Deus, quos libido trahebat ad coitum, Tobiam nulla ſum voluit, orationi vacantem prius ac potius quam voluptati, ſeu quam coniugio geniali. Iuuenem alium permiſit a Dęmone diu ludificari, qui ſtatuæ Veneris anulum pronubum inconſideratus ſeruandum commiſit.

De

De Anulo Diuortij, ſeu Cœlibatus, & Caſtitatis. Cap. VIII.

3. an. finis. a pag. 574 Vnicum exemplum apud veteres inuenire potui de anulo Diuortij: celebre illud eſt apud Photium, in cuius (a) Bibliotheca Theoſebus Philoſophus inducitur hæc dicens vxori ſuæ, *Olim quidem tibi dedi anulum pignus coniuctus ad prolem: nunc autem hunc do tibi temperantia*: & abſtinuit impoſterum ſemper eius conſuetudine. vertit autem hunc locum Cl. Schottus vberius ita, *Theoſebius caſtitatis anulum quem accedens vilis quiſpiam dedit, adornans vxori dedit, dicens: Olim tibi anulum dedi coniunctionis filiorum procreandorum, nunc tibi do temperantia, qui tibi ad caſtam domus cuſtodiam adiumento futurus eſt. Illa vero libenter accepit, & reliquo tempore cum viro caſte vixit. Hoc munimento non in vxore ſolum, ſed etiam in ſe magnitudinem animi teſtari ſolebat: Etenim iuuenis quum eſſet, teſtatus eſt etiam ipſe, eruditionis certamen habuiſſe ſe cum hoſtibus, qui generationem procurarent, tam extrinſecus imminentes, quam intus proditionem molientes; reclamans autem omnibus ſenſibus, maxime tactui reclamabat: hunc enim eſſe reuera terreſtrem, rebellem, trahentem animam ad perennem fontem generationis.* Ad hoc genus anulorum caſtitatis, ſeu virginitatis, ac diuortij corporalis inter coniuges reduci commode poteſt anulus pronubus Mariæ Virginis Matris Christi Domini, de quo ſuperius.

De Anulo amaſijs pueris ab amantibus viris tributo. Cap. IX.

4. an. finis. Conſueuiſſe viros, qui Socraticum vel Platonicum amorem celebrant & profitentur, amaſijs ſuis anulos dare, teſſeras amoris conſtat ex Niſa, qui ab amatore Mopſo, & ex Hyla, qui donatus olim fuit anulo amoris pignore a Lygdo: qua de re pulcherrimum epigramma pepigit A. Querengus,

„ Quem fulgore tibi rutilum viridante Smaragdum,
„ Parua nouum mitto munera ad hoſpitium:
„ Hunc, ne ingrata tui ſubeant obliuia Lygdi,
„ Pulcher Hyla, digitis inſere marmoreis:
„ Et quoties oculis flexi teres incidet auri,
„ Incluſo radians circulus in lapide,
„ Dic tecum: Quo Lygdus Hylam bonus ardet amore,
„ Nullum aurum, nulla eſt lucida gemma magis.

Quum autem Smaragdus inter gemmas adeo virginitatis amans ſit, vt vel aduerſetur licitæ coniunctioni mariti cum vxore virgine, quandoquidem (a) Hungariæ Regina digito gerens anulum Smaragdina gemma pretioſum, qua nocte virginitatem viro ſuo dedit, effringi cum clauſtro pudoris gemmam ſibi ſenſit in digito: quare Lygdus apte ſymbolum amoris pudici miſit Hylæ puero pulchro Smaragdi gemmam in aureo circulo digitis ge-

a Alb. mag. Ruu. de gem.

ſtandam. Vnus tamen omnium ſceleſtiſſimus Princeps anulum, in quo Pro-
ſerpinæ raptus erat inſculptus, geſtaſſe dicitur; nam (b) Gorlæi Petræſan- *b* dactyl. p. 12.
ctæ (c) notatu, *Neroni Principum flagitioſiſſimo Sporus Eunuchus, in ſignum ne-*
fandi coniugij, more inaudito inter ipſos contracti, dono dedit anulum in quo Proſer- *c* 3. d ſymb. heroi. c. 6.
pina raptus calatus erat.

De Anulo ad arram & pignus rerum ferme omnium. *Cap. X.*

NEque vero tantum ad arram coniugij, & amoris, aſt ad omnes omnino *ſ. an. finis.*
ſponſiones, & ad pignus promiſcue quaruncunque rerum, ſeu vendita-
rum, ſeu promiſſarum, ſeu mutuatarum, veteres anulo paſſim vtebantur:
ſic antiquiſſimo tempore (a) Iudas Thamari nurui ſuæ, quam opertam ſub *a* Gen. 38.
veſte ſcorti compreſſit, anulum dedit pignus pro hædo in pretium concubi-
tus promiſſo: fuit autem anulus ille forte cum imagine vel nomine Iudæ,
qui poſſeſſorem ſuum prodere potuit: fuitque ferreus, vel æreus, qui ſimul
cum armilla, & baculo tam facile datus eſt mulieri pro arra & pignore hedi;
Nunciatumque eſt Thamar quod ſocer illius aſcenderet in Thamnas ad tondendas
oues: quæ depoſitis viduitatis veſtibus, aſſumpſit teriſtrum, & mutato habitu ſedit
in biuio itineris, quod ducit in Thamnam: eo quod creuiſſet Sela, & non eum accepiſ-
ſet maritum. Quam quum vidiſſet Iudas, ſuſpicatus eſt eſſe meretricem: operuerat
enim vultum ſuum ne agnoſceretur: ingrediensque ad eam ait, Dimitte me, vt coeam
tecum: neſciebat enim quod nurus ſua eſſet. Qua reſpondente, quid dabis mihi, vt
fruaris concubitu meo? dixit mittam tibi hedum de gregibus. Rurſumque illa di-
cente, patiar quod vis, ſi dederis mihi arrabonem donec mittas quod polliceris: ait Iu-
das, quid tibi vis pro arrabone dari; reſpondit anulum tuum, & armillam, & bacu-
lum, quem manu tenes. Ad vnum igitur coitum mulier concepit. Et ſurgens abijt.
Depoſitoque habitu, quem ſumpſerat, induta eſt viduitatis veſtibus. Miſit autem
Iudas hedum per paſtorem ſuum Odolamitem, vt reciperet pignus, quod dederat mu-
lieri; qui quum non inueniſſet eam, interrogauit homines loci illius, vbi eſt mulier quæ
ſedebat in biuio? reſpondentibus cunctis; non fuit in loco iſto meretrix, reuerſus eſt ad
Iudam, & dixit ei: non inueni eam: ſed & homines loci illius dixerunt mihi nun-
quam ſediſſe ibi ſcortum. ait Iudas, habeat ſibi: certe mendacij arguere me non po-
terit: ego miſi hedum, quem promiſeram: & tu non inueniſti eam. Ecce autem poſt
tres menſes nunciauerunt Iudæ dicentes, Fornicata eſt Thamar nurus tua: & vide-
tur vterus illius intumeſcere. Dixitque Iudas, producite eam, vt comburatur.
Quæ quum duceretur ad pœnam, miſit ad ſocerum ſuum dicens; de viro cuius hæc
ſunt, concepi; cognoſce cuius ſit anulus & armilla, & baculus. Qui agnitis mune-
ribus, ait, Iuſtior me eſt: quia non tradidi eam Selæ filio meo: attamen vltra non co-
gnouit eam. Vilis etiam pretij fuiſſe probes anulum illum, quia Iudas con-
queſtus non eſt de illius amiſſione. Plinio conſimiliter, (b) *Celebratior qui-* *b* l. 33. c. 1.
dem vſus anuli *cum fœnore cepiſſe debet: Argumento eſt conſuetudo vulgi, ad ſpon-*
ſiones etiam num anulo exſiliente, ab eo tempore, quo nondum erat arra velocior. vt
plane affirmare poſſimus, numos ante apud nos, mox cepiſſe anulos: etſi abſolute
apud

apud mortales anuli fuerint in vſu ante numorum inuentionem: vt late ſuperius oſtendi tractans de prima anulorum origine. Sed ad arræ vſum quod
c l 6. form. attinet, addit Briſſonius, (c) *Interdum autem ante pretij ſolutionem arra dabantur: arra vero nomine quandoque certa ſumma, quandoque anulus dabatur L. cuicunque, §. Item ſi inſtitor, ff. de inſtitoria. Vbi inſtitor, qui oleum vendiderat, anulum arra nomine acceperat.*

De Anulo ad indicium rei peragendæ.
Cap. X I.

6. an. finis. CONſueuerunt etiam veteres anulum habere ſignum rei peragendæ, cuius figuram in cera impreſſam mitterent procul abſentibus, vt agerent quidpiam, de quo inter ipſos conuenerat; hic autem anulus plurimum habebat inſculptam imaginem vultus heri ſui: quod aperte nobis liquet ex Plauto, apud quem miles lenoni puellam reliquerat, ad ſe remittendam per eum, qui literas afferret obſignatas anulo militis effigiem imprimente ceris; ita ſiquidem legitur in Pſeudolo,

„ Et cauſa miles hic reliquit ſymbolum
„ Expreſſam in cera ex anulo ſuam imaginem,
„ Vt qui huc afferret huius ſimilem ſymbolum,
„ Cum eo ſimul me mitteret ———

& poſtea,

„ Eccum in tabellas porrectum: in cera cubat.

a epigr. Græc. Plato (a) quoque Iunior in Amethyſto ſculpens Bacchum indicauit vſum vini temperatum & innoxium, Cl. Petra-ſanctæ (b) notatu.
b 3. d ſymb. Her. c. 7

De Anulo ad experimentorum notam.
Cap. X I I.

7. an. finis. ANtiquior multo Democritus, ea, quæ eſſet expertus homini eſſe ſalutaria, ſignauit cera minio infecta, cui ſignum anulo eſſet impreſſum; idque feciſſe, vt quorum periculum non feciſſet, internoſcerentur; & data occaſione experiretur: aut ſi hoc agere non poſſet ipſe; haberent, qui lecturi erant eius commentarium, quæ ſequerentur ab ipſo facta experimenta minio notata; ſimul & haberent non notata, de quibus non liqueret. Meminit
a l. 9. c. 3. huius rei Vitruuius (a) inquiens, *Admiror etiam Democriti de rerum natura volumina, & eius commentarium, quod inſcribitur* [CHEIROTONHTON,] *in quo etiam vtebatur anulo, ſignans cera ex miltho, qua eſſet expertus.*

De Anuli fine ad reprobationem rei male actæ. *Cap.* X I I I.

EContra vero M. Tullius anuli ſigno ceris impreſſo ſignificat olim vti conſueuiſſe ad ea notanda, quæ in ſcriptis minime probarentur; nam ad Atticum ſcribit aliquando, (a) *Noſtrum opus tibi probari lætor; ex quo ante ipſe poſuiſti, quæ mihi florentiora ſunt viſa tuo iudicio: cerulas enim tuas miniatulas illis extimeſcebam*: nimirum Atticus anulo ſuo rubram ceram ſignabat illi placito Ciceronis in commentarijs affixam, quod non probabat; quum ex aduerſo Democritus ea miltho ſignaret experimenta, quæ probauerat; & vterque rectè; nam pauca ſatis erant, quæ tum ſua Democritus probaſſet; tum aliena reprobaſſet Atticus; vnde ceræ minori iactura ſuum vterque belle gerebat officium. Hac de re paulo antea quoque Dolabellæ Cicero ſic, *His literis ſcriptis me ad* [SYNTAXEIS,] *commentationes dedi: quæ quidem vereor ne miniata cerula tua pluribus locis notandæ ſint, ita ſum* [METEOROS,] *animi pendens, & magis cogitationibus impeditus.* Itaque priſcis inter ceteros vſus anuli fuit, ea notare ſignato minio ceræ commiſto, quæ minime probarentur in alienis ſcriptis. 8. *an. finis.* a l. 16.

De Anuli fine ad inſigne fortitudinis, ac omnino ſymbolum bellicæ virtutis. *Cap.* X I V.

SEd & in alium finem antiquos anulum geſtaſſe, præſertim ferreum, ſcilicet in teſſeram militaris artis, bellicæque fortitudinis, patet ex Plinio, cui *Manus, & prorſus ſiniſtra maximam autoritatem conciliauere auro; non quidem Romanæ, quorum more ferreum id erat, & bellicæ virtutis inſigne.* moxque deſcribens triumphum addit, *Vulgoque ſic triumphabant; & quum corona ex auro Etruſca ſuſtineretur à tergo, anulus tamen in digito ferreus erat, æqua fortuna triumphantis, & ſerui coronam ſuſtinentis: ſic triumphauit de Iugurtha C. Marius*: nimirum Imperatori triumphanti corona dabatur aurea, præmium victoriæ beneque geſtæ rei; ſed anulus digito ferreus, teſſera bellicæ fortitudinis, qua manu ferro armata victoriam de hoſtibus reportauit: at ſerui digitus anulo ferreo pariter vinciebatur, non vere æqua fortuna, ſed indicio ſeruitutis, ac proinde nequioris fortunæ. Niſi Plinius indicare voluerit etiam fortunam ſeruilem in triumphante, qui bellum geſſit, Reipublicæ ſeruiens nobiliori ſeruitute. Subiungit etiam eo loci Plinius, *E Græcia hic anulorum vſus venit; quanquam etiam nunc Lacedæmones ferreo vtuntur.* nempe gens Græcorum bellicoſiſſima læuæ manus digitum minimo proximum anulo ferreo coronabat, tum quod bellicæ fortitudinis, roborisque fons eſſe cor exiſtimarent, in quo vim iraſcibilem Platonicus Timæus apte collocaret; atque a corde virtus per arteriam venamve Saluatellam appellatam, ad eum digitum veteribus recta ferri crederetur, vt vidimus; tum quod militaris diſci- 9. *an. finis.* a l. 33. c. 1.

plinæ, fortitudinisque momentum Lacones magis ponerent in ſiniſtra, ciuem clypeo defendente patriam, quam in dextera, gladio interficiente hoſtem: vnde non ſolum Lacæna mater ad bellum proficiſcenti filio, non haſtam aut enſem hoſti mortalem, ſed ſcutum porrigens ſibi ſalutare, aut cum hoc, inquit, aut in hoc redeas: verum etiam amittere ſcutum in pugna plerumque erat ignominiæ. Sed & Romani coronam ciuicam dabant ei, qui ciuem periclitantem vel vnum clypeo protegens patriæ ſeruaſſet; nullam autem ei, qui dextera diſtricto mucrone hoſtem intereniſſet. Appianus in hiſtoria Libyca narrat in exercitu Romano Tribunos aureis, reliquos ferreis anulis ornatas geſtauiſſe manus; & eorum diſcrimina ex anulorum forma cognouiſſe Aſdrubalem; a quo vt mortui ſepelirentur per Caduceatorem petierat L. Scipio; immo non per Caduceatorem, ſed per ſolutum a vinculis captiuum. Addere liceat Romanos, qui ſponſis puellis virginibus anulos mittebant, dominij teſſeram, qua ſponſam ſibi oppignerabant; & manus læuæ digito prope minimum exerto, venam cordi continuam habenti dabant inſerendos, indicium cordialis amoris, quo cum illis vinciebantur
b l. 33. c. 1. in vniuerſam vitam; ſic eos ferreos eſſe voluiſſe, notatu (b) Plinij, vt nuptæ monerentur, non tantum ſe ſubditas eſſe debere maritis veluti dominis, eiſque ſeruire ſeruitutem quandam ingenuam oportere; cum ijsque iungi nodo quodam amoris cordialis indiſſolubili; verum etiam ſe nubere maritis bellicoſis militibus, quibus item filios milites, bellicæ fortitudini aſſuefaciendos, vt ita dicam, parere ac educare deberent, ferrea nempe corpora dura, non autem aurea ſeu mollia. Verum enimvero vt in illis anulis ferreis tum ſeruitutem ignobilem mancipiorum, tum ingenuam ſponſarum, tum bellicam fortitudinem militum indicantibus, veriſimile ſatis eſt, aliquod extitiſſe diſcrimen ſenſibile, quo ſeruilis anulus a pronubo, & hoc vtrumq; diſtingueretur a militari; ſic eiuſcemodi differentias diuinare potius valeam, quam explicare certoq; definire. Non ab re forte dixero, ſeruis anulos ex ferro datos fuiſſe teretes, omnino ſimiles catenarum vulgarium anulis; at militibus latiores, qui ſcuti manubrio comprehendendo non officerent; mulieribus autem deſponſatis omnium latiſſimos, qui fere totum internodium digiti contegerent, vt vel a longe noſcerentur oppigneratæ marito conſpicientibus; vel etiam maiore contactu venam cordialem coronarent. Niſi dicendum ſit, geſtantium differentiam ſatis eſſe ad anuli ſignificatum & vſum exprimendum, quod ſerui penitus abdicarentur a militia, milites autem ſago, vel alio ſigno diſtincti a ſeruis internoſcerentur; & habitu ſexuque muliebri ſponſæ per ſe ſatis innoteſcerent a militibus, & a ſeruis. Illud tamen aperte conijcere me poſſe videor, anulos illos ferreos militares prius apud Lacones fuiſſe, qui bellica fortitudine maxime claruerunt inter Græcos, quam apud Romanos, qui morem hunc illorum ſunt imitati,
c l. 33. c. 1. (c) Pliniano teſtimonio. Cl. Gorlæi (d) notatu, non tantum Spartani, ſed
d Dactil. etiam Macedones, gens æque bellicoſa, ferreis anulis vſi fuere. Sed addit
p. 3. ex Appiano, Seleucum Regem habuiſſe ferreum annulum a matre, quem
e de Iſid. & quum iuxta Euphratem caſu amiſiſſet, ijſdem in locis poſtea, vt matri prædictum fuerat, rerum potitus eſt. Ceterum, vt ait (e) Plutarchus, *Virorum*
Oſirid.

mili-

militarium ſcarabæus anulo, quo ſignabant, inſculptus fuit: neque enim eſt ſcarabæus fœmina, ſed mares omnes: pariunt ſemen globi in modum, non vt incunabulorum totius materiam, quam natali locum parent.

De vſu Anuli ad Principatus, & Magiſtratus indicium. *Cap. X V.*

POſt apiros anulos, omnium primos, ob materiæ ſimplicitatem, atque 10.an.finis.
formæ ruditatem catenarum anulis ſimillimos, fieri cœperunt olim arti-
ficioſiores anuli cum pala, quam & fundam nominant; in qua ſimulacrum
rei cuiuſpiam inſculpebatur; qui quidem anuli a Principibus, & a Magiſtra-
tum gerentibus geſtabantur: hique fuerunt anuli potiſſimum ex auro: cuiuſ-
modi ſane fuit, quo temporibus antiquiſſimis ab Aegypti Rege Pharaone
donatus fuit Ioſeph Patriarcha, dum Prorex, & Procurator Aegypti totius
conſtitutus eſt, vt Moſes ait; (a) *Dixitque rurſus Pharao ad Ioſeph: Ecce, con-* a Gen. 41.
*ſtitui te ſuper vniuerſam terram Aegypti: tulitque anulum de manu ſua, & dedit
eum in manu eius: veſtiuitque eum ſtola byſſina, & collo torquem aureum circum-
poſuit: Fecitque eum aſcendere ſuper currum ſuum ſecundum, clamante præcone, vt
omnes coram eo genuflecterent, & Præpoſitum eſſe ſcirent vniuerſæ terræ Aegypti.
Dixit quoque Rex Aegypti: Ego ſum Pharao, abſque tuo imperio non mouebit quiſ-
quam manum, aut pedem in omni terra Aegypti.* Philo Iudæus in Vita Ioſephi a
ſe deſcripta hæc explicans infit, *Figuratum eſt & quod in ſecundum a Regio cur-
ru aſcendere dicitur, ob cauſam hanc, Qui Rempublicam tractat, ſecundus a Rege
habetur; quum nec priuatus ſit, nec Rex, ſitus in amborum confinio, priuato ciue
potior, Regia poteſtate inferior, ſubiectus tanquam Regi populo, cui per omnia vult
gratificari bona fide, ac ſedulo. Fertur autem ſublimis ſeu ſella curuli, tum a Rege-
ſtis, tum a multitudine in altum elatus, præſertim quum parua magnaque ſuccedunt
ex ſententia, nemine reſtante, aut opponente ſe, ſed vt in nauigatione proſpera Deo gu-
bernante omnia ſalutariter. Anulus a Rege datus inſigne eſt fidei Magiſtratum inter
& populum Regem intercedentis*, &c. Ceterum, & hiſtoricus Ioſephus agens de
eodem populari cognominequе ſuo ſcribit, (c) *Qua poteſtate, Ioſephus a* c 2. ant.
Rege auctus, accepto etiam anulo Regis ſignatorio, & iure purpura geſtanda, in ſella Iud.c.41.
curuli ſublimis per Aegyptum circumuectabatur. Sed in explicatione anuli Io-
ſepho dati ab Aegypti Rege Ven. Beda videtur innuere fuiſſe ſignum Cru-
cis, inquiens, (d) *Nam & Ioſus accepit quoque anulum, quo credentium ſalutis* d in Gen.
ſigno ſignantur animæ, & in frontibus, & in cordibus noſtris per figuram Crucis, fi- 41.
gura æterni Regis exprimitur. Et reuera ſi fuit in anulo dato Ioſepho a Pha-
raone ſignum Crucis, vt Rex Aegypti de ſe nil aliud eo ſigno voluit indica-
re, quam ſe tradere Ioſepho plenam poteſtatem necis in omnes Aegyptios,
qui eius mandatis non obtemperaſſent; quod Crux eo tempore patibulum
erat vltimi ſupplicij: ſic vel inſcio Rege myſtice prænotare potuit ſalutare
ſignum Chriſtianorum; ac proinde vocauerit Ioſephum Saluatorem mun-
di, cui cruce ſignatum anulum dederat, diuina diſpenſatione ſic præfigurans
in Ioſepho Chriſtum Dominum, qui vere Mundi Saluator fuit per ſignum

Crucis. Porro veteribus anulum fuiſſe Principatus, ac Magiſtratus inſi-
e 3. de ciu. gne, non ſolum conſtat ex D. Auguſtino, dicente (e) *Anulum, & bullam eſſe*
c. 19. *miſerabilia dignitatis inſignia*: & ex Conſtantino Porphyrogeneta, ſcribente,
f de admin. (f) *Anulos de manibus ablatos duobus Scribis dederant; quod ſignum eſt Principa-*
Imper. *tus apud Agarenos*: verum etiam ex Trigautio notante (g) de Sinarum Di-
g l. 1. c. 8. naſtis, *Magiſtratus omnes proprium habent ſui muneris ſigillum, ab Hunnuno Rege*
illis traditum: Quæcunque iuridice ſcribunt, obſignant colore rubro dumtaxat:
Hoc ſigillum ſummo ſtudio conſeruant; ſi enim illud perdiderint, non ſolum Magi-
ſtratu excidunt; ſed etiam acerrime puniuntur; & ideo quoties domo egrediuntur,
ſecum illud deferunt in ſcrinium, clauis, & alterius ſigilli fide munitum; illudque a
ſuo conſpectu nunquam remouent; domi vero dicuntur nocturnis horis ſub ipſo ceruic-
ali aſſeruare. moris autem eſt hoc apud Sinas antiquiſſimi, penes quos nul-
li nouæ conſuetudini locus eſt, at inſtituta priſca religioſiſſime ſeruant.
Apud aliquas gentes hæc olim inualuit conſuetudo, Cl. Nouarini notatu,
vt quem primum ex ſubditis Imperator, aut Iudex ad reddendam rationem
aduocarent, id per ſolam ſigilli miſſionem efficerent: Hungarorum ſignate
h l. 1. c. 42. hic mos fuit. Apud D. Ladiſlaum libro de (h) ſpretu ſigilli regij aut iudi-
cis hæc leguntur, *Si quis autem Regis ſigillum ſuper aliquem proijciens, & ipſum*
Curiam venire neglexerit, rationem pendat, & quinque penſas perſoluat. Idem
i l. 2. c. 25. habetur (i) inferius. Immo vero Numæ, Seruijque Tullij, qui Reges an-
tiquiſſimi pacificis potius inſtitutis, ac legibus, quam armis, & bellica vir-
tute rem Romanam tenuere, ſtatuas anulo aureo, Principatus, & dominij
ſymbolo donauere priſci, non item Romuli, qui militia claruit & bellica
k l. 31. c. 1. fortitudine; nam Plinius ita, (k) *Manus, & prorſus ſiniſtræ maximam aucto-*
ritatem conciliauere auro, non quidem Romanæ, quarum mere ferreum id erat, &
bellicæ virtutis inſigne: De Regibus Romanis non facile dixerim; nullum habet Ro-
muli in Capitolio ſtatua, nec præter Numæ Seruijque Tullij alia, ac ne L. quidem Bru-
ti. Hoc in Tarquinijs maxime miror, quorum e Græcia fuit origo, vnde hic anulo-
rum vſus venit: quanquam etiam nunc Lacedæmones ferreo vtantur. Sed a Priſco
Tarquinio omnium primo filium, quum in prætexta annis occidiſſet hoſtem, bulla au-
rea donatum conſtat: vnde mos bullæ durauit, vt eorum qui equo meruiſſent filij,
inſigne id haberent; ceteri lorum: & ideo miror Tarquinij eius ſtatuam ſine anulo
eſſe. Mirum autem mihi non eſt, ſtatuas Regum, qui militia potius Rem-
publicam auxerunt Imperij finibus dilatatis, quam eorum qui Iure Ciuili
Regnum in placida tranquillaque pace gubernauerunt, anulo aureo non de-
coratas; quod anulus aureus primo non bellicæ fortitudinis, at maieſtatis
& Principatus Magiſtratusque ponebatur inſigne. Quin & quum Legati
ad exteras gentes Magiſtratus quandam ſpeciem obtinerant, propterea do-
nari aureo anulo conſueuerunt. Poſt quos etiam Senatores, qui ſine dubio
Magiſtratum gerunt, aureum anulum ſumpſerunt, confirmante Plinio, cui
l ibid. (l) *Longo certe tempore, ne Senatum quidem Romanum habuiſſe aureos, manifeſtum*
eſt; ſiquidem his tantum, qui Legati ad exteras gentes ituri eſſent, anuli publice da-
bantur: credo quoniam ita exterorum honoratiſſimi intelligebantur: ego vero po-
tius crediderim, quia Magiſtratum gerere, ac Principis mittentis vicem ſu-
ſtinere noſcebantur; licet honoratiſſimi quoque putarentur qui Magiſtra-

tum gerebant, & Principis vicem ſuſtinebant, quod anulos aureos ge-
ſtarent non tantum apud exteros, verum etiam apud conciues in patria;
ſicuti ſtatim admonet Plinius, addens, *Neque alijs vti mos fuit, quam qui ea ex
cauſa publice accepiſſent*. & mox, *Hi quoque, qui ob Legationem acceperant aureos,
in publico tantum vtebantur eis; intra domos vero ferreis*: in publico quidem
aureis, vt oſtenderent alijs ſe ad Magiſtratum Legationis electos; intra
domos autem ferreis, vt meminiſſent ſe milites eſſe, bellicamque colere for-
titudinem; & ne domeſticorum exercitiorum manualium vſu aurei anuli
atterentur, quod ob mollitudinem attritu conſumptuque faciles eſſent;
id enim decebat Romanorum vetuſtiorum parcam frugalitatem. Iſmenias
Thebanus, Legatus ad Regem Perſarum miſſus, quum ſciret ex conſuetudi-
ne gentis, nihil ab ipſo Rege impetrari poſſe, niſi prius quis adorans pro-
cumberet; vbi in eius fuit conſpectu, anulum de induſtria ad pedes cadere
permiſit, vt in eo colligendo reclinatus videretur adoraſſe Regem. Huiuſ-
modi certe fuit anulus ſignatorius, quo Magiſtratus & Principes reſcripta
ſignabant; legimus enim Auguſtum Sphingis notam inter initia Imperij
anulo ſignatorio ſculptam habuiſſe, donec lepide reſcripta & edicta eius
ænigmata vocarentur; vnde relicta Sphinge ſignare capii imagine Magni
Alexandri. Mecænas, qui ranæ figura ſignabat proprias epiſtolas, publicas
res anulo Regio firmabat; putatur enim fuiſſe Cancellarius Auguſti; quod
innuit familiaris ipſius (*m*) Horatius, a frequente amico rogatus, vt apud m 2. ſerm.
Mecænatem ſibi ſuffragaretur; ſat. 6.

„ Imprimat his, cura Mecænas, ſigna tabellis.
„ Dixeris, experiar, ſi vis, potes, addit, & inſtat.

Dio Caſſius addit, (*n*) Auguſtum promiſcue ſigillum præcipuum credidiſ- n l. 51.
ſe Mecænati & Agrippæ; & tantum tribuiſſe ambobus, vt literas ad Sena-
tum ſcriptas, vel alio, impune relegerent, & immutarent. Porro Mecæna-
te mortuo, conſtat (*o*) Auguſtum ægrotantem in XI. Conſulatu, deplorata o Xiphil. in
ſalute, vt credebat, poſtquam de Republica multa grauiter diſſeruiſſet, Cal- Aug.
purnio Piſoni Conſuli Collegæ libellum dediſſe, in quo ſcriptæ erant copiæ
& redditus ciuitatis, tradito Agrippæ anulo, tanquam ipſi obſignandorum
reſcriptorum & libellorum curam iniungeret, & Iuſtitiæ ſollicitum præ ce-
teris iudicaret. Adeo magni habebatur Regium cuſtodire anulum, vt ab
antiquiſſimo tempore, id cenſeretur poſt Principem in publica gubernatio-
ne præſtare ceteris; nam & anuli traditione Rex Aegypti Proregem (*p*) in- p Gen. 41.
ſtituit Ioſephum; & Aſſuerus Rex inſenſus Amano Principi, ademit ipſi
regium (*q*) anulum, quem dedit Mardochæo, Eſtherris coniugis ſuæ pa- q Eſther. c.
trueli. De Cancellariatu autem, quo Magiſtratu Mecænatem & Agrippam 3. & 8.
functum fuiſſe vidimus, honore ſummo & dignitatis excellentia, Ste- 2. Reg. 21.
phanus Forcatulus agens de (*r*) Galliarum Imperatoribus & Philoſo- & Dan. 6.
phis: & Trogus Pompeius (*ſ*) gloriatur patrem ſuum anuli curam habuiſ- r l. 7.
ſe. Sed & Principes ipſi gerebant anulum, inſigne Dominij, & Principa- ſ lib. 43.
tus; vnde in ſacra pagina legitur (*t*) Antiochus Rex *vocauit Philippum, vnum* t 1. Maca.
de amicis ſuis, & præpoſuit eum ſuper vniuerſum regnum ſuum: & dedit ei diadema, c. 6.
& ſtolam ſuam, & anulum; vt adduceret Antiochum filium ſuum, & nutriret eum,

& re-

& regnaret. Idem fecit Alexander moriens, dum anuli ſui traditione Per-
u l.10.c.5.6. diccam inſtituit Regem; vt ait Q. (u) Curtius. De Anulo, Magiſtratus indicio Cl. Grotius ita,

„ Anule, Legati ſacra, quem Iudicis æqua,
„ Quem ſcutata manus Centurionis habet.

Ceterum quia inter Principes Eccleſiæ poſt Summum Pontificem, Eminentiſſimi Cardinales ſupremum obtinent locum, dignitatis tantæ ſymbolum habuere ſemper anulum Cardinalitium pretioſiore gemma; de quo vt olim Scardeonius teſtimonium perhibuit in ſuis Antiquitatibus Patauinis; ita quoque nobile legatum inſtituit in ſuo teſtamento Eminentiſſimus Cardinalis Io: Franciſcus de Comitibus Guidijs a Balneo, mihi ſemper venerandæ memoriæ; quorum hiſtorias (x) infra commodiori loco ponemus.
x cap.48.56.

De Anulo ad ſignandum ſacculos, ſiue marſupia. *Cap. XVI.*

11.an.finis. VEtuſtiſſimus etiam mos fuit anulo ſignare numorum ſacculos, ne minuerentur, abraderentur, adulterarentur; qua de re nobile teſtimonium habemus non ſolum apud Apuleium de matrona quadam improba dicens,
a l.10. metam. (a) *Et aſſumpto ſtatim nequiſſimo, & ad omne facinus emancipato quodam dotali ſeruulo, perfidia ſua conſilia communicat: nec quidquam melius videtur, quam vita miſerum priuare iuuenem. Ergo miſſus continuo furcifer venenum præſentaneum comparat a Medico: qui max ait ad Iudices; Ergo vt res eſt, de me cognoſcite: Furcifer iſte venenum præſentaneum comparare ſollicitus, centumque aureos ſolidos offerens pretium, meum dudum commenerat, quod ægroto cuidam dicebat neceſſarium, quod morbi inextricabilis veterno vehementer implicatus, vitæ ſe cruciatui ſubtrahere geſtiret. At ego perſpiciens malum iſtum verberonem blaterantem, atque inconcinne cauſificantem, certuſque aliquod moliri flagitium, potionem quidem dedi, ſed futuræ quæſtioni præcauens, non ſtatim pretium, quod offerebatur, accepi: ſed, ne forte aliquis, inquam, iſtorum, quos affers, aureorum nequam, vel adulter reperiatur, in hoc ipſo ſacculo conditos eos anulo tuo prænota, donec altera die numulario præſente comprobentur; ſic inductus, ſignauit pecuniam: quam exinde, vt iſte repræſentatus eſt iudicio, iuſſi de meis aliquem curriculo tabernæ promptum afferre* (Medici namque priſci ſimul erant pharmacopolæ, vendentes remedia quibus vtebantur) *& en ecce, prolatam coram exhibeo, videat, & ſuum ſigillum recognoſcat; nam quemadmodum eius veneni frater inſimulari poteſt, quod iſte comparauerit? Ingens exinde verberonem corripit trepidatio; & in vicem humani coloris ſuccedit pallor infernus, perque vniuerſa membra frigidus ſudor emanabat: tum pedes incertis alternationibus commouere: modo hanc modo illam partem ſcalpere capitis: & ore ſemiclauſe balbutiens neſcioquas affanias effutire, vt eum nemo prorſus a culpa vacuum merito crederet. Sed reualeſcente rurſus aſtutia, conſtantiſſime negare, & arceſſere mendacij Medicum non deſinit. Qui præter iudicij religionem, quum fidem ſuam coram lacerari videret; multiplicato ſtudio contendit verberonem illum redarguere: donec iuſſu Magiſtratuum miniſteria publica, contrectatis nequiſſimi ſerui manibus, anulum ſer-*

ferreum deſtruxerunt cum ſigno ſacculi conferunt: quæ comparatio præcedentem roborauit ſuſpicionem &c. Verum etiam & Plutarchus in vita Lyſandri, *At Lyſander, rebus hiſce compoſitis, contendit in Thraciam. Quod reliquum erat pecuniæ, item quæcunque munera & coronas acceperat (donauerant autem ei complures; potentiſſimo nimirum viro, & Græciæ quodam modo Domino) Lacedæmonem per Gylippum, qui dux fuerat in Sicilia, miſit. Is, vt fama eſt, sacculorum ſuturas in fundo ſoluit, ac ſurripuit ex vnoquoque magnam vim argenti, mox conſuit iterum eas neſcius additum in ſingulis libellum, qui numerum indicabat. Ingreſſus Spartam ea, quæ interuerterat, condidit ſub tecto domus ſuæ: ſacculos Ephoris tradidit, & oſtendit ſignatos. Quibus apertis, & initio numero quum diſcreparet ab indicibus argenti ſumma, hæreréntque res Ephoros ſuſpenſos: ſeruus Gylippi ſignificauit iis per ænigma, ſub Ceramico multas cubare noctuas; nam* [ΚΕΡΑΜΟΣ] *tectum, & Ceramicus locus certus Athenis dicitur. Nummi autem id temporis Atheniẽſium gratia erant noctua fere ſignati. Atque Gylippus quidem poſt res geſtas tam inſignes & amplas tam fœdo & pudendo facinore admiſſo ſolum vertit. At Spartiatarum prudentiſſimi eo nomine vel præcipue nummorum exhorreſcentes vim, quæ ciues labefactaſſet non vulgares, & Lyſandrum ſunt inſectati, & teſtato denunciauerunt Ephoris reiiciendum quaſi peſtilentes illecebras aurum & argentum. Hi rem ad Concilium retulerunt. Sciraphidam Theopompus refert, Ephorus Phlogidam fuiſſe, qui non recipiendam in vrbem monetam auream vel argenteam cenſuit, ſed retinendam patriam: Ea ferrea erat, primum aceto tincta adhuc candens, vt neque procudi, neque duci ob tincturam, neque poſſet tractari malleo.* Et Plinius de fulminibus agens, ait, (b) *Aurum, & æs, & argentum liquatur intus, ſacculis ipſis nullo modo ambuſtis, ac ne confuſo quidem ſigno ceræ*; quia ſacculi referti numis conſueuerant anuli ſigillo muniri. Syneſius item, (c) *Auditum tibi omnino eſt, par illud marſupiorum, quæ multo Eumeli equis ſimiliora faciens, in vno quidem æreos obolos, in altero aureos nummos condidit; inde alterum horum oſtendens, alterum occultans, vbi enumerauerunt, vbi appenderunt, vbi denique publico ſigillo aurum obſignauerunt, clam alterum loco illius ſubiicit, & pro aureis obolos miſit. At illi in publicis tabulis conſeſſi erant, penes ſe aurum eſſe, idque quamprimum perlaturos.* D. etiam Gregorius Nyſſenus agens de numis aureis infit, (*) *Numerauit, repoſuit, ſigillo obſignauit; quum ab eo peterentur, negauit; & quum ei fides non haberetur, etiam peierauit.* Et S. Chryſoſtomus item, (d) *Paucos plerumque nummos quum aliquis accipit, & ſollicite reponit in ſacculo, & diligenter obſignat ſigillo.* Et D. Auguſtino, (e) *Pauperrimus homo inuenit ſacculum, cum ſolidis ferme ducentis, memor legis propoſuit pitacium publice; reddendum enim ſciebat, ſed cui redderet ignorabat: propoſuit pitacium publice, Qui ſolidos perdidit, veniat ad locum illum: Ille qui plangens circumquaque vagabatur, inuento & lecto pitacio, venit ad hominem; & ne forte quæreret alienum, quæſiuit ſigna, interrogauit ſacculi qualitatem, ſigillum, ſolidorum etiam numerum,* &c. B. Hieronymus pariter infit, (f) *Dolet ſibi prælatum iuuenem, non quidem comatum, non veſtium ſericarum, ſed tenoſulum, & in veſtibus delicatum, qui ipſe ſacculum ſignet, textrinum teneat, penſa diſtribuat, regat familiam, emat quicquid de publico neceſſarium eſt: diſpenſator, & dominus, & præueniens officia ſeruulorum, quem omnes rogant famuli, & quicquid domina non dederit, illum clamitent ſubtraxiſſe.* Sed & multo antea Chriſtus Dominus iubens,

b l.2.c.31. v.Pyronarch.
c epiſt. 127
* Hom. 4. in Eccleſiaſt.
d Hom. 5. in Matth.
e ſerm. 15. de verb. Ap.
f epi.47.

Fa-

g Luc. 12. *(g) Facite vobis ſacculos, qui non veteraſcunt*, ſic explicatus a D. Chryſologo, h ſerm. 25. *(h) Facite vobis ſacculos: ſacculus cur paratur; quid ibi clauſtra, vbi ipſa cuſtos eſt innocentia? ibi quid ſignaculum, vbi fraudis ſuſpicio non habetur?* aperte demonſtrat peruetuſtum eſſe vſum anulorum ad ſignandos ſacculos præcipue monetarum: ſed etiam res alias incluſas ſacculis anulo ſignari conſueuiſſe a ve- i l.1. to.2. hær.30. teribus oſtendit S. Epiphanius aduerſus Ebionæos aſſerens, *(i) Quum multa cogitarent de gazophylacio, propter concluſionem per ſigillum, Ioſephus clandeſtine auſus id aperuit, & pecunias nullas reperit, verum libros pecunijs præſtantiores; Legens autem inter hos, velut iam dixi, Euangelium ſecundum Ioannem de Græca lingua in Hebraicam tranſlatum, inueniebat etiam Actus Apoſtolorum, quin & Euangelium ſecundum Matthaum, Hebraicam plantam.* Ad hanc rem abſque dubio k i.Georg. facit illud (k) Virgilianum

„ ——— numerum impreſſit aceruis.

Vbi recte Cerda dicit, *aceruos vocari ſaccos plenos frumenti, in quibus ſaccis characteres imprimantur, quibus teſtatum ſit, quot modij in ſingulis ſaccis.* At vero vetuſtiſſimum eſſe finem, ac vſum anuli ad obſignationem ſacculorum, ſiue marſupiorum monetæ numeratæ, luculenter oſtendit nobis pulchra inde deducta metaphora ab antiquiſſimo ſcriptorum omnium Iobo dicente, l cap.14. *(l) Signaſti quaſi in ſacculo delicta mea, ſed curaſti iniquitatem meam*; vbi recte m 3. elect. ſacr. init. pius & eruditus Nouarinus (m) ait, olim ſacculos atque marſupia, quibus numi claudebantur, non ligari tantum conſueuiſſe, ſed ſigillo quoque muniri, anuloque ſignari; vt Iobi ſententia ſit, ſicut numi in ſacculis, atque marſupijs ſigillo muniti ſeruari ſolent, ne quis eos eripiat & furetur, ſic tu Deus peccata mea in iudicij inſtitiæque tuæ theſauris notaſti, ac in quaſi ſigillo anuloque obſignaſti, vt nihil notitiæ tuæ ſubduci poſſit, nihil a tuo tribunali n Deut.32. eximi. Quem ſenſum Dei verba firmant a Moſe relata, *(n) Nonne hæc condita ſunt apud me, & ſignata in theſauris meis?* nam ad ſigilli metaphoram hic reſpici indicant etiam LXX. dum vertunt, [*KAI ESPHRAGISTAI EN TOIS THHSATROIS MOT.*] nam Græcum verbum [*SPHRAGIZO*] eſt ſigillo, anuloque munire; vnde & [*SPHRAGIS*] ſigillum dicitur; ſignata itaque dicuntur, quia probe munita, ſeruata, cuſtodita, vt nec minui poſſint, nec ſurripi: vnde Chaldæus Interpres ita vertit, *Nonne opera eorum manifeſta ſunt coram me, & conſeruata in die iudicij in theſauris meis?* Ita ergo fuit antiquitus vnus e præcipuis anulorum vſus, obſignare pecuniam in ſacculis.

De Anulorum vſu apud fures antiquos.
Cap. XVII.

12. an. finis. a anim. in Athen. l.6. c.18. Memorabilis eſt & alius anulorum vſus ad furta, de quo Caſaubonus ita, *(a) Drimacus ſeruus fugitiuus cum Chijs fœdus iniјt, vt ipſi ſoli ex omnibus fugitiuis fas eſſet ſibi ſuiſque ad victum neceſſaria rapere, hac lege, vt prædam omnem bona fide in pittacio deſcriberet, adiecto pondere & menſura, eoque relicto horreum, vnde ſuſtuliſſet, anulo ſuo obſignaret.* quo ſcilicet aperte conſtaret, remetito frumento, quantum inde ſurripuiſſet. Quam tamen hiſtoriam longe

diuerſam

diuerſam Athenæus ex Theopompo refert, verbis ipſiſſimis, (b) *Chios e Græcis omnium primos emptis ſeruis vſos fuiſſe a Theopompo ſcio proditum lib. 17. hiſtor. his verbis, Poſt Theſſalos & Lacedæmonios omnium Græcorum primi Chij ſeruos in vſu habuerunt, ſed diuerſo ab illis modo: nam Lacedæmonij atque Theſſali ſeruitia Græca inſtituerunt, incolas prius eius regionis quam nunc tenent, Lacedæmonij quidem Achiuos, Theſſali vero Perrhæbos, atque Magneſios: eosque nuncuparunt, in ſeruitutem redactos, Eilotas Lacedæmonij, Theſſali Peneſtas. Chij vero barbaros ſeruos poſſident, numerata præſentique pecunia mercati. A Theopompo hæc ſcilicet memoria ſunt tradita: Ego vero Deos ob id Chijs indignatos ſuccenſuiſſe arbitror; nam aliquot poſt annis ob ſeruos ſuos ij debellati ſunt. Nymphodorus ergo Syracuſius, libro, quem Aſiæ præternauigationem inſcripſit, de Chijs hæc prodidit, Eorum ſeruos fugitiuos in montes ſeceſſiſſe, ac inde, quum iam eſſet numeroſus exercitus, eorum villas irruentes vaſtaſſe. Inſulam enim aſperam illam eſſe, arboribusque denſis obſitam. Parum ante noſtram ætatem Chij narrant, ſeruum quendam profugum in montibus conſediſſe, illicque fuiſſe commoratum, animi quidem virilis hominem, ac bellicoſum, & qui velut exercitus rex, fugitiuorum ductor ac imperator eſſet. Aduerſus illum Chij quum expeditionem ſæpius feciſſent, ac irrito conatu nihil promouiſſent, vt eos perire fruſtra vidit Drimacus, ſic enim fugitiuus ille nominabatur, his verbis ipſos eſt allocutus: Quod negotium vobis, o Chij dominique noſtri, ſerui faceſſunt, nunquam ceſſabit: Quo enim pacto deſinere poſſit, quum oraculo id euenturum Deus prædixerit? At mihi ſi vos obtemperetis, & quieſcere nobis per vos liceat, multorum vobis ego bonorum autor futurus ſum. Fœdus ergo Chij quum iniuiſſent, ac inducias in aliquod tempus eſſent pacti, menſuras, pondera, & ſigilla peculiaria ſibi fabricatus, ea Chijs oſtendit, ac dixit, Quidquid Chij daturi eſſent, eo ſe accepturum pondere, & menſura: acceptis vero quæ ſatis ſint, pretium relicturum notatum impreſſo eo ſigno; de fugitiuis poſtea illorum ſeruis ſe inquiſiturum, ac fugæ cauſam examinaturum: ſi quid atrociſſimum & inexpiabile paſſi fugiſſe videantur, eos ſecum habiturum: ſi iuſtam ſuæ fugæ cauſam non dicant, ad heros ſe remiſſurum. Eas fœderis & pacis leges reliqui ſerui quum viderent Chijs acceptos eſſe, multo minus aufugiebant, illius iudicium metuentes. Eius autem comites fugitiui magis ab eo ſibi timebant, quam a dominis; & quæ ſui muneris eſſent omnia illius, vt imperatoris ſui, iuſſu obedientes exequebantur. proteruos enim & extra ſuum ordinem palantes is puniebat, agrumque populari nemini concedebat, aut ſe nolente iniuſte patrare quidpiam. Diebus vero feſtis ex montibus in agrum deſcendens, vinum, opimasque hoſtias auferebat, & ſi quid aliud domini largirentur: ſi quem autem ſentiret inſidiantem ſibi, aut exitium molientem, ab eo pœnas exigebat. Quum vero Ciuitas per præconem denunciaſſet, magnam ſe pecuniæ vim daturam, ſi quis eum caperet, aut abſciſſum caput eius afferret, Drimacus iam natu grandior amaſium ſuum in ſecretum locum ſeduxit, & ſic affatus eſt: Ego equidem omnium hominum te maxime dilexi; tu porro mihi puer es, filius, & alia omnia: Iam temporis ſatis vixi: tu vero iuuenis es, ætatis eſt iſte vigor, ac flos, quorſum hæc? ſtrenuum eſſe te ac fortem virum oportet; quandoquidem Chiorum ciuitas ſi quis me interficiat, percuſſori plurimam cum libertate pecuniam pollicetur; volo te amputatum mihi caput Chium perferre, receptaque a Ciuitate pecunia, te poſthac beatam vitam degere;*

b l.6.c.18.

Abnuenti negantique id ſe facturum iuueni, mortem ſibi vt gereres tandem perſuaſit: exectum illius caput ad Chios iuuenis defert: Chij quos preco numos promiſerat ſoluunt: corpore fugitiui ſepulto in patriam is remeat. Verum quum ab infeſtis ſeruis Chij adhuc multis iniurijs afficerentur, & diriperentur, memores aquitatis ac lenitatis mortui, in agro ſuo Herοum illi extruxerunt, appellaruntque Herois manſueti, ac beneuoli, cui etiamnum fugitiui decimas omnium, qua depredantur, afferunt: illum quoque aiunt in ſomnis Chiorum multis apparere, & ſignificare quid inſidiarum ſerui machinentur: ac eos quibus noctu viſus eſt, in Heroi locum profectos illi ſacrificare. Hac ſcilicet memoria tradit Nymphodorus. Ceterum ad hunc locum eruditiſſimus Caſaubonus Interpretem Athenæi reprehendit,
c l.6.anim. c.18.ſ. & Græcum textum autoris immutat, inquiens, (c) *In lepidiſſima hiſtoria de fœdere inito a Chijs cum Drimaco fugitiuo ſeruo, ſcribi debet, [OTAN TI PARA TINOS YMON LAMBANO.] & [TAYTH TH SPHRAGIDI TA TAMEIA SPHRAGISAMENOS KATALEIPSO.] non [TA TIMA:] quod recte non eſt interpretari, & refutant doctiſſimi Hoeſchelij Excerpta. Interpretes totam hiſtoriam peruerterunt. Atqui fœderis cum Drimaco iſti hac fuit lex & conditio: vt fas illi ſoli ex omni fugitiuorum numero, neceſſaria ad victum ſibi ſuiſque rapere. Quo autem ſciretur, vt quidque furto perijſſet, Drimacusve id furtum feciſſet an alius: tenebatur ex pacto Drimacus prædam omnem bona fide adnotare, & in pittacio ſingula deſcribere, adiecto pondere & menſura: eoque relicto horreum anulo ſuo obſignare vnde aliquid ſuſtuliſſet. Propterea dicitur [HMI PON HOROS] iſte fugitiuus, propria ſibi pondera, menſuras, & anulum feciſſe, ac Chijs oſtendiſſe. Verte ſic*, parat ſibi proprias menſuras, pondera, & anulum. Atque illa quum oſtendiſſet Chijs, Ego, ait, quando ab aliquo e vobis aliquid capiam, his ponderibus & menſuris capiam: vbi autem cepero quantum erit ſatis, horrea veſtra hoc anulo ſigillata relinquam. *Solitos veteres etiam [TA TAMEIA SPHRAGISASTHAI,] vel illa de Lacyde narratiuncula docent, quæ extat apud Numenium & Diogenem Laertium. Diſtinguenda ſunt ab ijs, qua ſuo quodam iure ad ſe ſuſtentandum & ſuos rapiebat Drimacus, illa qua dono accipiebat a ciuibus, libere per feſtos dies eorum cœtus in agris frequentans. Ea dona erant, vinum, & hoſtia aliqua. Lege [OSA G' OIN AYTOI] DOIHSAN OI KYROII*, quæ quidem ipſi domini darent. *Hac ſunt verba qua interpretes in errorem induxerunt.* Ego quidem multum eruditioni Caſauboni tribuo: ſed tamen multo plus textus integritati; quam non ita facile cum illo mutilare, peruertereque valeo. Mihique veriſimile non eſt, eum qui procul a ciuitate degeret exul, ac profugus in montibus; adeo facile ſecureque potuiſſe noctu ciuitatem ingredi furatum neceſſaria ſibi ſuiſque; qui non pauci fuerunt, quin facile diſpoſitis cuſtodibus publicis à Chijs caperetur. Probabileque ſatis eſt, Drimacum ſibi commercia cum Chijs dominis tuta voluiſſe; quod non fideret cum ijs coram negotiari; ſed poſito pretio mercibus ad certam menſuram, & pondus; quas illi merces reliquiſſent in loco tuto, ijs amotis pretium poſuiſſe notatum in ſchedula ſignata proprio anulo, ne ſuorum quis Chios defraudaret pretio, de quo conuenerant. Etenim & apud Rhamuſium habemus Aethiopum conſimilem hiſtoriam, qui aurum relinquunt pro ſale, refugientes peregrinorum mercatorum col-

loquium. Drimacus quidem diebus feſtis adire poterat ſecurus agros Chiorum & colloqui cum Dominis; quod hi diei feſti religione tenebantur, ne ſeruos fallerent, aut in eos impetum facerent; potiſſimum quum inermes ad feſta conuenirent, adeoque non poſſent vlciſci ſeruos, aut eis armatis iniuriam facere: Sed conſuluit indemnitati vtilitatique ſuæ Drimacus datis pondere, menſura, pretioque ad arbitrium ſuum pro mercibus expoſitis a Chijs; quum interim ipſe pretij nomine, ſi non pecuniam, ſaltem aliquod opus in ijs montibus contextum, confectumve, relinqueret, aut metallum impolitum e fodinis erutum, aut ligna ſiue pariter impolita, ſiue dedolata ad vſum, aut ſaxorum, marmorum, lapidumve materiam, aut aliud quidpiam in montibus parabile, quod ciuibus vſui foret. Sic ergo neque textum mutare, neque inueriſimilia ponere cogimur. An non inueriſimile eſt, Chios pacto conueniſſe cum ſeruo fugitiuo Drimaco, vt ſibi ſoli furari liceat? & rapere ſibi ſuiſque ad victum neceſſaria, qui latronum innumeræ multitudini præerat?

De Anulis antiquorum vim obtinentibus contra Dæmones, & morbos ad mirabilia ſupra naturæ vires perpetranda, & mirabiliter inuentis. *Cap. XVIII.*

NEque vero mirabilis vſus anulorum ſilentio committendus eſt, ad actiones tranſnaturales promouendas. Quum enim teſtimonio Plinij, (a) *qui anguis Aeſculapius Epidauro Romam aduectus eſt, vulgoque paſcitur, & in domibus: ac niſi incendijs ſemina exurerentur, non eſſet fecunditati eorum reſiſtere:* cenſetur vixiſſe vſque ad S. Siluestri Papæ tempora, habitaſſeque in Crypis montis Capitolini, quæ Fauiſſæ dicebantur, vt innuit Card. Baronius: (b) & obſeſſum a cacodæmone paſtu ſimul & peſtifero halitu mortales interficere quotidie conſueuiſſe; qua de re in actis manuſcriptis ab eodem Silueſtro ſeruatis in antiquiſſimo codice ſanctoralis, ſeu Paſſionarij in Eccleſia S. Mariæ ad Martyres, vulgo *Rotonda* nuncupata; nam Calphurnio Romæ Præfecto, & Sacerdotibus gentilibus, coram Conſtantino Magno Imperatore promittentibus, ſe Chriſto nomina daturos, vbi Silueſter per menſem in ſingulis annis inhibuiſſet angui, ne mortales interimeret, *Tunc Silueſter conſtanter agens, dixit: Audi me clementiſſime Princeps, iube hic præſentes adeſſe vniuerſos Pontifices cum Præfecto Calphurnio, vt quod ſolus pollicetur, hic ſimul quoque etiam illi promittant: Quumque altera die adeſſent omnes Pontifices cum Calphurnio, promiſerunt in conſpectu Auguſti omnes Chriſto credituros, ſi Silueſter egiſſet, vt vel vno menſe in toto anno, Draco ab interfectione hominum ceſſaret. Tunc Silueſter abijt ad Apoſtolum Petrum, cum duobus presbyteris ſuis Euſtonio & Conſtantio biduanum ieiunium complens: in oratione vidit tertia nocte Apoſtolum Petrum talia ſibi monita proferentem: Cum his, cum quibus ieiunaſti, & oraſti, cum ipſis tantummodo deſcende, ſolo Sacramento Chriſti refecti. Deſcende, ne timeas, neque trepidum ſit cor tuum, ſed confidens in Deo accede ad Draconem, in quo habitat Sathanas; & dic ei: Ieſus Chriſtus Dominus natus ex Spiritu Sancto & Maria Virgine*

13. an. finis.
a l. 29. c. 4.
b to. 3. ſub an. D. 324.

*crucifixus , & ſepultus , tertia die reſurrexit ; aſcendit in cælos , ſedet nunc ad dexte-
ram Patris ; inde venturus eſt iudicare viuos, & mortuos : Expecta eum fixus in iſto
loco, vſque dum venias . Et quum hæc dixeris, liga os eius de lino canapino torto tri-
plici , quod tecum portabis ; & deſuper ceram pones, & ſignabis anulo ferreo, quod ſi-
gnum Crucis habet ſculptum . Et inde aſcendens , venies ad me , aperta confeſſione
mea inuenies panem a me tibi præparatum ; de ipſo te, & qui tecum ſunt , reficies ; &
omne venenum abijcies , & ſaluum te Chriſtiano Principi ſimul & Populo præſenta-
bis .* & mox. *Sanctus autem Silueſter cum presbyteris ſuis , ſicut ammonitus eſt
ab Apoſtolo , ſine formidine deſcendit ; duas lampades incenſas anteferentes ei : Circa
medium deſcenſum, cæpit ſibilum Draconis iraſcentis audire: cui S. Silueſter ait, Apo-
ſtolus Chriſti Petrus miſit me ad te , & iuſſit mihi , vt ligem os tuum lino , & ſignem
anulo, Crucis ſignaculum habente. Tunc Draco immaniſſimus ſquamas faciens more
ſuo & ſibilationes horrendas, quaſi trabes centenaria, veniebat in furore nimio, ita vt
ignis ex oculis eius , & flamma procederet . Et accedens Sanctus Silueſter , ligauit os*
c Iac. Boſius lib. de cruce. c. 10 *eius, & ſignauit anulo, ſicut ei præceptum fuerat .* Lucianus etiam Boſij (c) te-
ſtimonio etſi rerum diuinarum contemptor, in quodam Dialogo ſuo intro-
ducit Eucratem Philoſophum , qui ferreo anulo quapiam e cruce facto Dæ-
monum apparitiones abigebat; ait enim: *Itane ſolus Ion, inquit Eucrates, iſtiuſ-
modi vidit , ac non alij etiam multi inciderunt in Dæmones , alij noctu, alij etiam in-
terdiu ? Ego profecto non ſemel tantum ; ſed millies iam talia conſpexi : ac primum
quidem turbabar ad ea : iam vero ob conſuetudinem , nihil nouum aut prodigio-
ſum mihi videre videor ; maximeque nunc, ex quo anulum mihi Arabs dedit ex ferro,*
d 6. de dem. Euan. c. 25 *de Cruci quapiam ſumpto factum .* Et Euſebius ait , *(d) Denique poſt omnia hæc;
quis inſpiciens omnes , quicunque in Chriſti fidem venerunt , ſalutari ſigno pro anuli
notæ vtentes , non merito obſtupeſcat , ſi audiat tanto ante ipſum Dominum dixiſſe
e Iſai. 66. (e) Et venient , & videbunt gloriam meam , & relinquam in eis ſignum ?* Verum
& apud Ioſephum Hiſtoricum habemus anulos tum Salomonis , tum Elea-
f 8. ant. Iud. c. 2. zari diuina virtute mirabiliter efficaces contra Dæmones in ea verba, (f) Sa-
lomon *compoſuit etiam libros odarum & carminum quinque ſupra mille, & parabo-
larum ac ſimilitudinum libros termille : cuilibet enim ſpeciei plantarum ſuam adhi-
buit parabolam, ab hyſſopo vſque ad cedrum : idem fecit de pecoribus & cæteris terre-
ſtribus animantibus, natatilibuſque, & quæ per aerem feruntur: nullius enim horum
naturam ignorauit , aut inſcrutatam reliquit : ſed circa omnes philoſophatus eſt , &
ſcientiam proprietatum earum ſummam præ ſe tulit . Quin & eam artem diuinitus
conſecutus eſt ad vtilitatem, & medelam hominum, quæ aduerſus Dæmones eſt efficax.
Incantationes enim compoſuit, quibus morbi pelluntur, & coniurationum modos ſcri-
ptos reliquit , quibus cedentes Dæmones ita fugantur , vt in poſterum nunquam re-
uerti audeant . Atque hoc ſanationis genus nunc vſque plurimum apud noſtrates
pollet . Vidi enim ex popularibus meis quendam Eleazarum , in præſentia Veſpaſiani
& filiorum & tribunorum , reliquorumque militum multos arreptitios percuran-
tem . Modus vero curationis erat hic : admoto naribus Dæmoniaci anulo , ſub cuius
ſigillo incluſa erat radicis ſpecies a Salomone indicata , ad eius olfactum per naſum ex-
trahebatur Dæmonium : & collapſo mox homine , adiurabat id ne amplius rediret :
Salomonis interim mentionem faciens , & incantationes ab illo inuentas recitans .
Volens dein Eleazarus his , qui aderant , oſtendere ſuæ artis efficaciam , non longe ii de-*

pone-

ponebat poculum aut polubrum aqua plenum, imperabatque Dæmonio hominem exeunti vt his ſubuerſis ſignum daret ſpectantibus quod reliquiſſet hominem: quo facto, nemini dubium erat quanta fuiſſet Salomonis ſcientia & ſapientia: Quamobrem libuit hoc quoque narrare, vt omnibus nota ſit eximia Regis huius natura, quamque charus Deo fuerit, & in omni genere virtutum excellentiſſimus. Et re vera de Salomonis exorciſmis, quos Ioſephus incantationes appellat, accipiendum
eſt, quod a D. Thoma dicitur, (g Potuiſſe certam quandam & piam formu- g quæ.6.de
lam eijciendi Dæmones inſtitui a Salomone, ſancto adhuc, quam Deus pe- potentia.
culiari ſua autoritate ad Dæmones fugandos confirmaret: in qua formula ar.10.ad 3.
nihil magicum, nihil ex amicitia & fœdere cum Dæmone. Radix autem illa in anulo incluſa vim non habuit eijciendi Dæmones, ex natura ſua, ſed ex virtute ſupernaturali ſibi diuinitus conceſſa vel ad preces iuſti Salomonis: ita ſane ſerpens æneus in deſerto dudum exaltatus vim obtinuit ſanandi mortales percuſſos ignitis ſerpentibus, non quidem ex natura metalli, ſed
ex diuina virtute ſimulachro illi cælitus conceſſa ad preces Moyſis, (h) *Et* h Num.21.
tædere cœpit populum itineris ac laboris: locutusque contra Deum & Moyſen, ait: cur eduxiſti nos de Aegypto, vt moreremur in ſolitudine? Deeſt panis, non ſunt aquæ: anima noſtra iam nauſeat ſuper cibo iſto leuiſſimo. Quamobrem miſit Dominus in populum ignitos ſerpentes, ad quorum plagas & mortes plurimorum, venerunt ad Moyſen, atque dixerunt: Peccauimus, quia locuti ſumus contra Dominum, & te: ora vt tollat a nobis ſerpentes. Orauitque Moyſes pro populo, & locutus eſt Dominus ad eum: fac ſerpentem æneum, & pone eum pro ſigno: qui percuſſus aſpexerit eum, viuet. Fecit ergo Moyſes ſerpentem æneum, & poſuit eum pro ſigno: quem quum percuſſi aſpicerent, ſanabantur. Non alia ratione radix illa Salomoni propoſita fuit a Deo non pro cauſa potente natura ſua Dæmones ex obſeſſis eijcere, ſed pro ſigno voluntatis diuinæ, virtutiſque diuinæ, rem illam naturalem in anulo clauſam eleuantis ad vim ſupernaturalem fugandi Dæmones: vt miro conſenſu radix in anulo aureo proportione reſpondeat æneo ſerpenti, Dæmones ignitis ſerpentibus, iuſtus adhuc Salomon Moyſi ſancto, ac Deus vtrobique per illa media phyſica mirabilem edat operationem. De libro
vero, qui citatur ſub nomine *Annulus Salomonis,* (*) infra ſuo loco. Nec *cap. 32.
obeſt allatis, Eleazarum illum poſt Chriſti legem non Chriſtianum, eieciſſe Dæmonia per anulum & adiurationes Salomonis, cuius interea mentionem faciebat; nam vtebatur exorciſmis a Salomone conſcriptis, dum erat Deo dilectus, & diuina virtute radici & anulo impetrata cælitus innitebatur eius imperium erga Dæmones; etenim & Chriſti tempore, nonnulli Hebræorum, qui Chriſtum minime colebant, imitantes Apoſtolos & Diſcipulos Domini, quibus Redemptor facultatem dederat vt in nomine ſuo Dæmonia eijcerent, in eodem nomine Sancto vel infideles ipſi Iudæi, Dæmo-
nia eijciebant: nam habemus apud (i) Euangeliſtam, *Conuocatis autem duo-* i Luc.9.
decim Apoſtolis, dedit illis virtutem, & poteſtatem ſuper omnia Dæmonia, & vt languores curarent, & miſit illos prædicare regnum Dei, & ſanare infirmos. & paulo poſt, *Ioannes dixit: Præceptor, vidimus quendam in nomine tuo eijcientem Dæmonia, & prohibuimus eum: quia non ſequitur nobiſcum. Et ait ad illum Ieſus: Nolite prohibere: qui enim non eſt aduerſum vos, pro vobis eſt.* Si ergo Iudæi non credentes

dentes in Ieſum, aſpicientes Apoſtolos in nomine Ieſu Dæmonia eijcere, forte periclitari volentes an in eo nomine tam admirabilis virtus eſſet, permittente Deo ad gloriam nominis filij ſui, Dæmonia eijciebant infideles illi quoque in nomine Ieſu; cur non potuit Eleazarus ille poſt Chriſtum paſſum Dæmonia ſimiliter eijcere virtute Salomoniorum anulorum, & exorciſmorum, à Deo primitus iuſto ſibique charo Salomoni tum ad hominum ſalutem, tum etiam ad ſui gloriam, & dilecti ſibi Regis apud omnes admirationem? An in ore prophano vel ſi placet impij Eleazaris adiurationes & radices, quas olim Deus pio Salomoni dederat efficaces contra Dæmonia, vim ſuam amittere debuerunt, & conſeruare non potuerunt? nihil minus: nam Eccleſiæ decretum eſt, ſi Sacerdos etiam malus, atque conſtitutus in ſcelere peccati capitalis horribili, ſeruatis cæremonijs canonum in ſacroſancto ſacrificio celebrans diuina verba pronunciauerit, nihilominus eum conſecrare, ſupraque naturæ vires panem in verum corpus Chriſti, & vinum in Chriſti ſanguinem admirabiliter tranſubſtantiare. Sic ergo diuina virtute præditos anulos habuere priſci, quibus ſupra naturæ vim omnem Dæmones & ligabant ad nutum in corporibus beſtiarum, & eijciebant e corporibus hominum. Ad quod anulorum genus non ab re quis forte retulerit anulum S. Demetrij, quem valere dicunt aduerſus omnium ſerpentium morſus, etſi poſſit hic habere rationem phyſicam ex materia naturali: Quin & anuli Anglici; nam & Angliæ Reges olim curauere Comitialem morbum datis anulis, quos Epileptici pro amuleto geſtarent. Polydorus item Vergilius in Anglorum hiſtoria ſcribit, anulum Edoardi ſalutarem fuiſſe membris ſtupentibus; hinc Reges Angliæ in die Paraſceues multis cæremonijs ſacrant anulos & in Archiuis Veſtmonaſterij templi Regium anulum cuſtodiri paſſim Annales Anglicani docent. Eam autem anuli virtutem a Ioſepho ab Arimathia Angliæ hoſpite ac Patrono manaſſe ferunt, qui per anulos Cacodæmones fugabat. Immo fortaſſis anulata fuit illa clauis, de qua D. Gregorius ad Theoriſtum & Andream ita ſcribit, (k) *Præterea benedictionem S. Petri Apoſtoli Clauem a ſacratiſſimo eius corpore tranſmiſi: de qua videlicet Claui hoc eſt geſtum, quod narro miraculum. Dum eam quidam Longobardorum ciuitatem ingreſſus in Tranſpadanis partibus inueniſſet: quia S. Petri clauis eſſet deſpiciens, ſed pro eo quod eam auream vidit, facere ſibi ex illa aliquid aliud volens, eduxit cultellum, vt eam incideret: qui mox cultellum, cum quo eam per partes mittere voluit, arreptus per ſpiritum, ſibi in gutture defixit, eademque hora defunctus occidit. Et dum illic Rex Longobardorum Antharith, atque alij multi eius homines adeſſent: & is, qui ſe percuſſerat ſeorſum mortuus; Clauis vero hæc ſeorſum iaceret in terra: factus eſt omnibus vehementiſſimus timor: vt eandem Clauem de terra leuare nullus præſumeret. Tunc quidam Longobardus Catholicus, qui ſciebatur orationi, & eleemoſynis deditus, Minulfus nomine, vocatus eſt, atque ipſe hanc leuauit de terra. Antharith vero pro eodem miraculo aliam Clauem auream fecit, atque cum ea pariter ad ſanctæ memoriæ deceſſorem meum tranſmiſit; indicans quale per eam miraculum contigiſſet. Ipſam ergo veſtræ excellentiæ tranſmittere ſtudui, per quam Omnipotens Deus ſuperbientem & perfidum hominem peremit, vt per eam vos, qui eum timetis & diligitis, & præſentem ſalutem, & æternam habere valeatis.*

k l. 6. epi. 23.

Ce-

Cæterum de Clauibus iſtis infra (*l*) latius. Huc ea quoque facere videntur, quæ D. Auguſtinus affert de anulo mirabiliter inuento, dicens, (*m*) *Erat quidam ſenex Florentius Hipponienſis noſter, homo religioſus, & pauper, qui Sartoris ſe arte paſcebat: caſulam perdiderat, & vnde ſibi emeret, non habebat. Ad viginti martyres, quorum memoria apud nos eſt celeberrima, clara voce, vt veſtiretur, orauit. Audierunt eum adoleſcentes, qui forte aderant, irriſores: eumque diſcedentem exagitantes, proſequebantur: quaſi qui à Martyribus quinquagenos folles, vnde veſtimentum emeret, petiuiſſet. At ille tacitus ambulans, eiectum grandem piſcem palpitantem vidit in litore; eumque illis fauentibus atque adiuuantibus, apprehendit, & cuidam coquo Carchoſo nomine, bene Chriſtiano, ad coquinam conditoriam, indicans quid geſtum ſit, trecentis follibus vendidit, lanam comparare inde diſponens, vt vxor eius quomodo poſſet, ei, quo indueretur, efficeret. Sed coquus conſcindens piſcem, anulum aureum in ventriculo eius inuenit, moxque miſeratione flexus, & religione perterritus, homini eum reddidit, dicens: Ecce quomodo te viginti Martyres veſtierunt.* Sic ergo diuina virtute præditos, aut inuentos anulos habuere veteres, quibus ſupra naturæ vim omnem tum Dæmones, & ligabant ad nutum in corporibus beſtiarum, & eijciebant e corporibus hominum: tum & morbos mirabiliter curabant, & proprijs anguſtijs quibusque medebantur. Sed iam agamus de anulis Phyſicis.

l cap. 39.
m 22. de ciu. c. 8.

De Anulis Antiquorum Phyſicis appellatis: & qua ratione mirabiles ederent operatnes in corpus humanum pariter, & in animum.

Cap. XIX.

ANulorum quandam præterea ſpeciem habuere veteres ad mala tum corporis maxime, tum etiam animi quoquo pacto profliganda; quos phyſicos anulos appellabant, & medicos: phyſicos quidem, quia virtutibus niterentur naturalium rerum ex quibus conficiebantur; medicos autem, quia plerisque morbis mederentur: vt innuit (*a*) Rhodiginus, inquiens, Inuenio in literis Elidamum quendam profeſſione philoſophum, anulos quoſdam ſolitum conficere, quorum vis eſſet mira aduerſus Dæmonia, item ſerpentum morſus, & id genus alia pleraque: inerat ijs quoque contra faſcinationem virtus præclara: cuiuſmodi poteſtatem ab iuuandi præſtantia Græci nuncupant [*ALEXITHRION*.] Hoſce anulos dici phyſicos comperiet, qui Græcorum monumenta adierit quandoque. Id cur ſit ne quem forte Lynceo minutiſſima quæque expendentem torqueat, ex mutis magiſtris ita accepimus: eſſe in anima noſtra [*GNOSTICAS DYNAMEIS*,] ideſt, cognitiuas poteſtates tres: [*NOYN*;] ideſt mentem: [*DIANCIAN*,] cogitationem ſeu diſcurſum: [*DOXAN*;] ideſt opinionem. Rurſum, dum ſe naturæ æmulam anima facit, tria item exinde oriri: [*EPISTHMHN*, *TECHNIO*, *EKPEIRIAN*.] hoc eſt, ſcientiam, artem, experientiam: quæ ſint tribus analoga viribus, menti ſcientia; cogitatrici potentiæ ars, opinioni denique experientia: nam ſicuti citra rationem ſe ſe promit opinio; ita & experientia ſubiectarum ſibi rerum minus rationes tenet. Ex ijs

14. *an. finis.*
a l 6. c. 12.

vero illa conſequuntur, primum eſſe magiam quandam, quæ ſit actiua portio
ſcientiæ naturalis; eam aliud nihil omnino docere, quam naturalium virtu-
tum adminiculo, ex mutua earum & opportuna applicatione, operâ edere
extra omnem admirationis captum: quo genere Aethiopes maxime vtantur
& Indi, vbi herbarum ceterorumque ad id ſpectantium facultas ſupperat in
primis: eſt ſiquidem in rebus naturalibus cognatio quædam, & ſympathia,
ideſt (vt ſic dixerim) compaſſio, aut conſenſus, vel contagio, vt Ciceroni
placet, vel etiam contages, vt alijs: aliorum ad alia, & manifeſtorum ad
vires occultas: eſt & antipathia, ſiue contrapaſſio, & repugnantia. Rerum
periti per mutuam cognationem conducebant in vnum: per repugnantiam
expellebant, purificantes, ſicubi vſu veniebat, ſulphure atque aſphalto aqua
aſpergentes marina: quod expurgandi vim obtineat ſulphur, propter odo-
ris plane acumen; aqua vero marina propter igneam portionem. Ad quam
doctrinam ſane Satyricum illud ſpectare contenderim,

„ Cuperent luſtrari, ſi qua darentur
„ Sulphura cum tædis, & ſi foret humida laurus.

nam quod laurum adiecit, illuc forte tendat, quod eſt magie conſectatori-
bus peruestigatum, ſufficere nonnunquam herbam vnam, vel lapidem vnum
ad diuinum opus: ſufficit enim cnebiſon, ideſt carduus ad ſubitam numinis
alicuius apparitionem, ad cuſtodiam vero laurus. Quod ergo viribus na-
turalium rerum compingerentur anuli, factum puto, vt ſcientiſſimi viri phy-
ſicos nuncupandos cenſuerint, hoc eſt naturales. Legimus tamen eoſdem
pharmacitas item vocitari, credo ab remedij preſtantia, quod pharmaci no-
mine intelligitur. Porro primam anulorum eiuſmodi natur lium, ſiue me-
dicinalium originem plurimi deducunt e Samothracia, vnde nomen acceſ-
b l. 33. c. 1. piſſe dicuntur; Pliniumque referunt, cui (*b*) *Necnon & ſeruitia iam ferrum*
auro cingunt: alia per ſe ſe mero auro decorant: cuius licentia origo nomine ipſo in Sa-
c 20. adu. c. *mothracia id inſtitutum declarat*. At ex profeſſo Turnebus, *Samothracios hos*
20. *anulos* [*ALEXIPHTHONON*] *vim habere credidit antiquitas: vt & Græ-*
corum [*PHYSICOYS DAKTYLIOYS*] *intus peruios, & caſſos, quemad-*
d l. 6. *modum ſcripſit Artemidorus*. Quem audiens Lambinus in eo verſiculo (*d*) Lu-
cretij,

„ Exultare etiam Samothracia ferrea vidi.

e cap. 3. (*e*) ſuperius a nobis explicato, ſcribit, *Ferreos anulos a Samothracia, vbi primum*
fieri cœpti ſunt, dictos; qui erant peruij & caſſi; eoque gerebantur, quod aliquid ha-
berent [*ALEXIPHTHONON, KAI ALEXIKAKON*] propul-
ſans mortem, & depellens malum *quaſi amuleta quædam & proebia*: de quibus
Digreſſio de tum Paulus, *Prebia remedia*: tum Feſtus, *Prebia dicuntur curandi mali remedia,*
Prebijs, & *videlicet quæ curationis cauſa prebeantur, parare inter ſe minus dicebantur, quod*
Proebijs. *ſortitio fiebat a magiſtratibus P. R. vt ei Magiſtratus viſamque rem acere deberet,*
f 6. de ling. *aut ius comparabant de rebus lege mandatis*: tum multo antea Varro, (*f*) *Prębia*
lat. *a prebendo, vt ſit tutum; quod ſint remedia in collo pueris*: vbi Ioſ. Scaliger,
g 6. coniect. (*g*) *Scribendum Proebia, a prohibendo, vt etiam in Feſto: Proebia Verrius vocari ait*
in Varr. n. *ea remedia, quæ Caia Cæcilia vxor Tarquinij priſci inueniſſe exiſtimatur, & im-*
90. *miſcuiſſe Zona ſua, qua præcincta eius ſtatua eſt in æde Sangi, qui Dius Fidius voca-*
tur.

tur: ex qua Zona periclitantes ramenta ſumunt: ea vocari aut Proebia, quod mala prohibeant. Sed poterat V.Cl.ex Varrone notare, præbia dici remedia, quæ forinſecus appenderentur collo puerorum pro amuletis; & ex Verrio, Proebia fuiſſe, quæ ſumerentur ore deglutienda. Ceterum recte Scaliger addit, *Eandem vim habebant anuli apud Græcos, qui dicebantur [PHYSICOI DAKTYLIOI,] & intus erant perui & caſſi, vt ſcribit Artemidorus: ab eo ſcriptum in Cerimonijs Flaminis Dialis: Anulo, niſi peruio caſſoque, ne vtitor: Habent & aliquid [ALEXIPHTHONON] & anuli ferrei, qui dicebantur Samothracij*. Eorum meminit Lucretius. Apud quem Lambini Antagoniſta (*b*) Giphanius ait, *Samothracia ferrea: ita olim quoddam genus anulorum, teſte Plinio: verum e ſolido ferro facta indicat poeta*. Ego vero nullam ſoliditatis, aut cauitatis mentionem a Lucretio factam video. Sed anuli medicinales, quos phyſicos appellauere priſci, vt Samothracia dicti, ſic & alij quique, tum ferrei, tum ex alia multiplici materia fuerunt, alias quidem ſolidi, alias vero caſſi, ſeu perui & concaui eſſe potuerunt. Solidi quidem ſi fuere Samothracij, vim ex eo medicinalem habere potuerunt, quia vt in Lemno, & in Samo terra eruitur, cui facultas ineſt mira contra ſerpentium morſus, & aduerſus omnia venenata, morboſque malignos, ac peſtilentes, vt cum (*i*) Galeno Medicorum tota teſtatur Vniuerſitas: ita quid vetat in Samothracia genitum ferrum, ſiue a natali ſolo, ſiue a ſui proprio temperamento recipere retinereque vim medicinalem? ſin autem fuerunt anuli perui Samothracij, facile virtutem medicam habere potuerunt ex aliquo medicamento, quod intra ſui cauitatem gererent, per poros qua cæcos, qua patentiores communicatam venis, & arterijs digitorum, nixam vaporibus, qui inde ad cor vſque illam deferrent; maxime illos attrahente natura in ſubſidium vitæ periclitantis. Verum & præter Samothracios, compertum eſt experimentis anulos ferreos ex clauo, qui pedem equi, maxime Friſonis appellati, ſiniſtrum ad vngulam poſteriorem perforauerit interius, diuque ſoleam ferream vngulæ ſubſtratam firmauerit, podagricis doloribus vtiles, ac optimum eſſe remedium: quo non ſemel vſus ſui cum felici ſucceſſu. Verum & ex vngula ſiniſtri pedis poſterioris, quo ſibi viuens Magna-Beſtua, quam Septentrionales Alcen vocitant ſcabit ad aures, dum morbo capitis infeſtatur, anulos formari permiles ad epilepſiam, nemo iam ignorat. Ex antimonio in vitrum fuſo amethyſtini coloris paſſim anulos in Germania fieri purgantes miro compendio ad itinerantium valetudinem conſeruandam, e corporeque ſuperfluis excrementis apte ſubducendis idoneos, mihi teſtis oculatus fuit Cl. Veſlingius, aſſerens anulos hos per noctem in vinum ſtomacho gratum infundi, vel ſi poteſt haberi, abſinthite; quod mane ſumptum ad ciathi menſuram ſalubri purgatione corporibus prodeſt. Verum hic non geſtatu ſolo iuuat, vt alij, de quibus præcipua tractatio nobis eſt, ſed potu vini a ſe alterati; tamen eſt vere phyſicus, & medicinalis anulus. De naturalibus autem anulis remedio ſalutari pollentibus per contactum geſtatumque ſolum, multa quoque veterum habemus teſtimonia; ſiquidem exiſtimauit antiquitas, ab anulari digito neruulum (ita vocabant venam (*) Saluatellam) recta tendere ad cor, vitæ fontem; & proinde plerunque anulo remedia includebant, vel inſita pro-

b in 6. Lucr.

i de theſ. ad Piſ. c. 7.

De digito anulari.

* Iſid. l. 19. c. 32.

ponebant, quorum virtus ad cor quomodocunque delata morbis medere-
k l.10.c.10 tur: Ita A. Gellius, (k) *Veteres Græcos anulum habuiſſe in digito accepimus ſiniſtræ manus, qui minimo eſt proximus. Romanos quoque homines aiunt ſic plerunque anulis vſitatos. Cauſam eſſe huius rei Apion in libris Aegyptiacis hanc dicit, quod inſectis apertisque humanis corporibus, vt mos in Aegypto fuit, quas Græci* [*ANATOMAS*] *appellant, repertum eſt, neruum quendam tenuiſſimum ab eo vno digito, de quo diximus, ad cor hominis pergere ac peruenire; propterea non inſcitum viſum eſſe, eum potiſſimum digitum tali honore decorandum, qui continens, & quaſi con-*
l Hierogl. 36. *nexus eſſe cum principatu cordis videretur.* Ita quoque Valerianus, [l] *Illud autem primum omnium manifeſtum eſt, anularem digitum cordis eſſe hieroglyphicum, eaque de cauſa inſtitutum ab Aegyptijs, vt is anulo tanquam corona honeſtaretur. Eundem Sacerdotes quum circa Deorum ſuorum aras operabantur confectis odoribus illinebant; eiuſmodique honores illi ea de cauſa haberi ſolitos aiunt, quod diſſectionum periti neruulum quendam a corde natum per dorſum ad cor tendere, & in eo deſinere compertum habuere.* Sed ego neruuli nomine cenſeo priſcos illos appel-
m l.19.c.32 lauiſſe vel arteriam, vel venam, vt notat (m) Iſidorus, cui *Anulos primum homines geſtare cœperunt quarto a pollice digito, quod eo vena quadam vſque ad cor pertingat, quam notandam ornandamque aliquo inſigni veteres putauerunt.* Acteuera quemadmodum vetuſtiores etiam medici cum Hippocrate atque Pla-
n Quod an. m. c.8. d'iet. form. c.3. de cau. morb. c.3. de decr. Hip. & Plat. c.9. In Tim. c.4 * de anat. viu. o præſag. exp. conſ. p cap.1. q 7. Satur. c.13.
tone, venæ nomine vocabant arteriam: quod frequenter obſeruat (n) Galenus; ita ſane priſci Sacerdotes illi Aegyptij nomine neruuli ab anulari digito ad cor pertingentis, arteriam, aut venam intellexerunt, quam noſtri Saluatellam nuncupant, quamque Medici tundere conſueuerunt maximo cum iuuamento in chronicis pariter & in acutis febribus: quæ paſſiones cordis præcipue ſunt: & ipſe Galenus non ſolum (*) Saluatellam (quæ vena, ſic appellata quod ſalutem afferat bene tractata, media eſt inter digitum medium & anularem) ſed etiam anularis digiti venam propriam ſecat in manu ſiniſtra ad vitia (o) lienis. Iuraremque veteres illos digitum hunc anularem, non tam honoris ergo coronaſſe anulo, confectisque odoratis vnguentis inunxiſſe, quam gratia ſanitatis vel conſeruandæ, vel recuperandæ, nam eapropter appellatus fuit digitus Medicus, atque medicinalis; vti conſtat ex Macrobij loco (p) ſuperius etiam allato, (q) *Dic, inquit, Diſari (omnis enim ſitus corporis pertinet ad Medici notionem: tu vero doctrinam, & vltra quam Medicina poſtulat, conſecutus es) dic, inquam, cur ſibi communis aſſenſus anulum in digito, qui minimo vicinus eſt, quem etiam Medicinalem vocant, & manu præcipue ſiniſtra geſtandum eſſe perſuaſit?* ex qua digiti nomenclatura conſtat, anulo coronari, & odoratis vnguentis, vt mox addit Macrobius, inungi digitum minimo proximum, non tam ad honorem partis, quam ad pharmacum, cuius virtus inde per neruum, ſeu verius per arteriam, aut venam Saluatellam facile permeet ad cor, a cuius ventriculo ſiniſtro naſcuntur omnes arteriæ, & ad cuius dextrum ſinum venæ perferuntur omnes. Nec obſtat obie-
r pag.6. ctio Cl. Gorlæi, dicentis (r) *Conſtare ex corporum ſectione, & medicorum ſcriptis, non magis anulari, quam alijs digitis, a primo hominis ortu conceſſas venas arteriasve, quæ a principio ſuo & fonte in ſingulas corporis partes diſtribuuntur ita, vt digitus anularis in hac partitione peculiari non gaudeat priuilegio, aut naturæ indulgen-*

tia.

tia, vt neceſſe fuerit ob hanc cauſam eum reliquis præferri digitis: etenim ex Medi-
corum principum ſcriptis nedum, ſed experimento quotidiano conſtat,
venam Saluatellam prope digitum anularem maximo cum beneficio tundi
non in lienoſis tantum, ſed etiam in acutis febribus & in chronicis, quæ cor-
dis affectiones præcipuæ ſunt, vt ex Galeno ſupra notaui. Medicinalem *De digito*
quidem, ſeu Medicum appellat anularem digitum minimo proximum alla- *Medico.*
to loco (*ſ*) Macrobius optime propter allatam rationem: at vero Pierius *ſ* 7. Sat. c. 13
Medici nomen attribuit etiam digito medio, quia crapula grauati miniſte-
rio illius in gulam demiſſi vomitionem prouocent; ait enim, (*t*) *Digitus* *t* Hierog.
medius a ſitu nomen accepit, ab officio medicus. & mox, *Dici forte poſſit ab officio*, 36.
*quia ſolent qui grauantur ex crapula, auxilium alleuiationemque ab eo plurimum de-
poſcere, quo ſcilicet in ſummum gutturis immiſſo, incitata nauſea euomere compellan-
tur; atque ita ſibi incommodi eius remedium comparant*. & infra, (*u*) *Medius autem*, *u* Hierog.
quem nonnulli medicum, plures infamem & impudicum appellant, &c. Quin & 37.
Rhodigino, (*x*) *Quum decis ſex, tertium nihilominus eliminabis, medio duntaxat ſolo* *x* l. 23. c. 12.
digito, *qui Medicus appellatur, in medium palmæ fixo*. Quo quidem in loco non
accipio diſtinctionem tertij a medio digito; nanque ſolus & ſemper medius
digitus tertius eſt, ſiue numeres a pollice, ſiue ſupputationem facere velis a
minimo digito. Sed & multo (*y*) prius ipſe dixerat, *Nomina digitorum apud* *y* l. 17. c. 12.
Pollucem ſunt hæc: micros, id eſt paruus: paramesos, qui ſequitur, [Ο ΤΟΙΣ ΙΑ-
ΤΡΟΙΣ ΑΝΑΚΕΙΜΕΝΟΣ,] *& ab illis appellationem ſortitus, Meſſi, i. e. eſt*
Medius. Verum enimvero qui priſci medio digito nomen Medici, medici-
nalis ve dedere, forſan a vena Saluatella, quæ medium inter & anularem di-
gitum excurrens a Medicis tunditur ſalubriter in pleriſque morbis, atque
medium digitum & anularem Medicum, ſiue medicinalem denominare vo-
luerunt. Potiores tamen video ſolum minimo proximum digitum & anu-
larem, & medicum, medicinalemque nuncupare, quod illi ſoli, non item me-
dio digito medicinales anuli circumponantur. Ceterum vulgo digitum
hunc anulo ex dentibus Hippopotami tornato coronant ad conuulſiones,
& ad alia morborum genera; qua de re Scriptor Indicarum hiſtoriarum te-
ſtatum reliquit, (*z*) *Dentes equorum fluuiatilium a Negris magnifieri*, quod ex eis *z* vol. 1.
anulos confectos geſtent, opportunum ad quoſdam morbos profligandos re- p. 116.
medium. Legique apud incertum, anulum ex dente equi marini, anulari
digito geſtatum, prouocare hæmorrhoidas, quibus profluentibus rubeſcat:
quod etiam mihi faſſus eſt Cl. Io: Rhodius. Veſlingius etiam oculatus mi-
hi teſtis eſt, ex oſſibus Hippopotami concinnatos anulos etiam nunc Aegy-
ptijs eſſe vario in vſu, nimirum ad maleficia, ad incantamenta auerruncan-
da, & ad ſpaſmum, neruorumque vitia ſimilia. Suidas ait, (*a*) *At nihil in-* *a* in ...
*tereſt remedij anulo, nulla incantatio contra Sicophanta morſum. Qui amuleta ven-
dunt, aliud ad aliud prodeſſe dicunt; & medicatum anulum appellant, qui faſcinum,
& venena propulſet; quum Sicophanta morſus ſit ſerpentibus nocentior*. Suſcepit
hoc ex Pluto (*b*) Plauti, vbi Iuſtum contra Sicophantam prætendentem au- *b* act. 4. ſc. 3.
xilio anuli Cario coarguit,

„ *Iu*. Nihili ego te facio; nam & hunc geſto anulum,
„ Drachma redemptum ab Eudemo, Samo opifice.

K 2 „ Ca.

„ *Ca.* Sed contra Sicophantæ morſum non ineſt
„ Remedium.

Quod anulo medico Samium opificem dederit Plautus, id ea ratione forte factum eſt; quod ab eo conficerentur anuli quapiam ex parte rebus ad terram Samiam pertinentibus; quam certum eſt eſſe contra venenatorum morſus remedium & amuletum præſentaneum. Sed hoc ipſum ab Ariſtophane deſumpſiſſe videtur Plautus; quum & apud Ariſtophanem in Pluto vir Iuſtus inducitur, qui anulo Eudami veluti amuleto munitus aduerſarij malignitatem pro nihilo habet,

„ Gello enim quem emi
„ Anulum huncce ab Eudamo.

Ad quem locum Scholiaſtes: *Eudamus iſte naturales anulos faciebat aduerſus Dæmones. & ſerpentes, & alia huiuſmodi.* Addit poſtea Suidas, (c) *Anuli eburneis & e ſuccino mulieribus conducunt.* Heurnio, Anulus ex dente equi marini digito anulari geſtatus hæmorrhoidas euocat, quibus fluentibus rubeſcit. Neque vero facile retulerim ad anulorum genus ea verua, quæ Scribonius Largus (d) præſcribit Epilepticis habenda in brachio; nam aciculas eburneas intelligit, quibus vult ægrotanti brachij venas perforari; ſitque nihil aliud, habere verua in brachio, quam verubus illis brachium ſauciari ad ſanguinis eductionem; ait enim de comitiali morbo laborante, *Præterea habeat in brachio verua eborea; nam ſunt & qui ſanguinem ex vena ſua miſſum bibant: aut de caluaria defuncti terna cochlearia ſumat per dies triginta.* Niſi velimus hic deſcribi geſtamen veruum eboreorum ad brachium, quo promptas illas aciculas habeat ad venam propriam ex arbitrio tundendam, potiſſimum inſtante ſymptomate: quo nomine poſſent vtcunque verua eburnea brachio alligata referri ad aliquod genus anulorum medicinalium. De quibus abſque dubio tractat (e) Athenæus ex Antiphane in Omphale,

c in e.

d cap. 12.

e lib.3.c.21

„ Aquam in olla mihi qui coquunt neminem aſpicere ſuſtinebo,
„ Non enim male valeo: & Dij faxint ne valeam: verum
„ Si tormina circa ventrem & vmbilicum cruciarent,
„ Adeſt a Phertato mihi drachma emptus anulus.

Quamuis Dalechampius de Græco fortaſſis alio codice legens,

„ Medicus adeſt optimus mihi digitus.

nempe vomitioni prouocandæ, qua leuantur torminibus affecti. Sed ego libenter accipio, retineoque vulgatam lectionem cum Cl Caſaubono, (f) cui *Errant qui Antiphanis hunc verſum.*

f 3. aſad. in Athé. c.34.

[PARA PHERTATOY DAKTYLIOS ESTI MOI DRACHMHS.]

putant emendationis egere: anulum intelligit de genere eorum. quos Phyſicos vocabant: his putabant ineſſe vim ſanandi, aut potius auertendi morbi. Ariſtophanes ?

„ ——— fero enim qui emi
„ Anulum hunc ab Eudamo drachma.

Quod ſemper anulos iſtos medicinales non pluris quam drachma venderentur, id aperit eos non ex auro, argentove confectos, neque gemmatos fuiſſe, verum ex vili materia, vt puta vel ex ferro caſſos, intra ſe medicamina continentes, vel ex oſſibus, vngulisque brutorum. Rhodiginus de anulis agens,

præ-

præter olim a nobis allata, ſcribit, (g) *Apud Ariſtotelem legimus, veteres Medicos implicamentis quibuſdam, ideſt plegmatijs digitos inſerere conſueuiſſe, quæ contexta forent. velut acetabula & cirramenta in piſcium quandoque pedibus.* Vtinam Ariſtotelis locum ſignaſſet, quem videre poſſemus in fonte; nam iſta quomodo referantur ad anulos, non ſatis mihi conſtat: diuinare fortaſſe liceat aſſerenti, genus hoc anulorum fuiſſe, quibus ad aliorum hominum differentiam vterentur Medici; nam & Hippocrates in libello, cui titulum fecit De decenti ornatu Medici, præcipit Medicum anulatum eſſe debere. Sed ſi Medicorum anuli contexti fuerunt in formam acetabulorum, qualia ſpectantur in polyporum, & ſepiarum, loliginumque cirratis pedibus; næ facile medicinales extiterunt, quod in illis acetabulis medicamenti genus aliquod haberent, quo manus Medici contingens ægrotantium epidemiorum, malignaque febre laborantium partes, a contagione morbifica ſeruaretur illæſa. Rűuei de gemmis agentis relatu, *Affirmant Smaragdum optimam comitiali morbo vel a collo pendulam, vel anulo geſtatam, ceu amuletum generoſum prodeſſe, hemitritæumque ſanare confirmant. Iam vero apud omnes conuenit, lapidem hunc rerum venerearum impatientem eſſe, vt etiam Albertus ille Magnus aſſeuerare non dubitarit, Regi Hungariæ cum vxore rem habenti, Smaragdum, quam anulo portabat, in treis diuulſum fuiſſe parteis; proinde palam eſſe creditum comperto, ad caſtitatem non mediocrem hunc lapillum habere proprietatem.* (quo nomine forſan ab Epiſcopis, voto caſtitatis obligatis, frequens geſtari conſueuit in anulo Smaragdus) *Addunt denique, & ipſum memoriam fouere, viſum recreare, opes augere.* Certe pretio ſuo auget opes; verum vt congregatione blanda ſpirituum in oculo, viriditate ſua viſum recreat; ita prohibens eadem viriditate diſgregationem & effluxionem ſpirituum ex oculis, illorum abundantiam conſeruare poteſt in cerebro, memoriamque ſpiritibus vtentem, ac innixam maxime fouere; viriditas enim, quod cum modico candore prædominium nigroris obtinet, viſiuos ſpiritus congregat, eorumque diſgregationem prohibet. Sed & anulus ad Colicos, & Ilei dolores deſcribitur apud Marcellum (h) Empiricum. Quin & anulus Edoardi Regis, qui obijt anno D. 1065. ad (i) Epilepſiam celebratur. Neque deſunt apud recentiores eiuſmodi phyſici, ſeu medicinales anuli, qui proponuntur vtiles ad varia morborum genera: & ſpeciatim Heurnius (k) fatetur ſe vidiſſe militem Romanum, qui ad Scorpij ictum exhibebat antidotum ex olibano & maſtiche, cui impreſſa Scorpij erat imago, quam in anulo gerebat ſculptam Luna verſante in Scorpio, quum cæli angulum centrumque attigiſſet: ceterum vt hic anulus ad aſtrologicos attinet, de quibus (l) infra, ſic eam vim non in imaginem Scorpij, ſed ego retulerim totam in virtutem exſiccantem (*) & calfactoriam maſtiches & olibani: nam & Galenus vim expertus eſt ſalutarem in Iaſpide ſine ſculptura, quam Nechepſos referebat ad imaginem: ait enim agens de Simplicium medicamentorum facultatibus, (m) *Proprietatem nonnulli lapidibus quibuſdam teſtimonio ſuo adſcribunt, qualem reuera habet Iaſpis virens, nempe ſtomachum adhæſu, ventriſque os iuuans. Ac nonnulli quoque anulis inferunt, ſcalpuntque in eo draconem radios habentem: velut Rex Nechepſos memoriæ prodidit in quarto & decimo libro. Sane huius ego quoque lapidis abunde feci peri-*

g l.6. c.12.

h cap. 29.

i Cur. in Chron. l.3. monarch. ætat. 3.

k 3. meth. ad prax. c.27.

l cap. 21.

* Gal. 7. ſimpl. & med. expe.

m l.9. c. de lap.

viculum; torquem enim ex huiuſmodi lapillis con fectum a collo ſuſpendi, ita vt lapides os ventris contingerent; apparebant autem nihilo ſecius prodeſſe, etiamſi ſcalpturam non haberent, quam ſcripſit Nechepſos. Verum quis oſtendat, ſi tali ſcalptura fuiſſent effigiati, validiores illos vires non habituros, vel habituros e
n c.21. contra fuiſſe? ſed hac de re ſuo loco (n) poſtea. Verum & apud Brodæum
o l.3.c.21. in (o) Miſcellaneis talem habemus anulum phyſicum, ac medicinalem, qualem proponit Heurnius. Quin & pulcherrimam de anulo medico men-
*cap.159. tionem habet, tum Cato libro de re (*) ruſtica ſcribens, *Intertrigini remedium. In viam quum ibis, abſinthij Pontici ſurculum ſub anulo habeto*: quem lo-
† l.26. c.8. cum in teſtimonium citat (†) Plinius: tum etiam Apuleius in opere ſuo de
p c.94. virtutibus herbarum, dum de Pulegio tractans ait, (p) *Herbam pulegium tecum, aut ſuper aurem, aut ſub anulo portato: hoc & hieme tota facito: nec grauedinem ſenties, nec perfrictionem.* In eandem ſententiam Q. Serenus agens de medicamentis capitis cecinit.

,, Pulegiumve potens vna ſuper aure locabis.

Scilicet pulegium vires habet excalfactorias, maxime caput reſpicientes; quibus grauedinis cauſa frigiditas capitis omnino tollitur, hieme potiſſimum nos affligens, ſi tota hieme pulegium geſtetur vel ſuper aurem, ſapienter inquit, vel ſub anulo: ſuper aurem quidem, quia ſunt ibi propinquæ venæ pariter & arteriæ carotides appellatæ; per quarum meatus ingrediens vapor a pulegio per contactum calidæ cutis concalefacto excitatus, cerebrum & internas capitis partes omnes ab infeſta frigiditate liberat, impeditque generationem vberioris pituitæ in cerebro, roborans illius vim concoctricem, & prohibet eius defluxum in ſubiectas corporis partes, qui potiſſimum a frigiditate comprimente, ſeu potius exprimente promouetur, vt norunt Medici; quocirca totius etiam corporis refrigerationem, ab illo crudiori ſucco prouenire ſolitam, procul arcet. Ex quo Sereni, & Apuleij loco ſatis apparet, antiquum fuiſſe morem geſtandi flores & herbas ſuper aurem: idque non tam ad ornatum, vt vulgo creditur, quam ad valetudinem factitatum: vt & coronas etiam capiti circumponebant conuiuæ ad
*15. dipn. ebrietatem euitandam. * Athenæus memorat Ariſtotelem, & Ariſtonem
c.5. Peripateticum teſtari, Veteres ob dolores capitis ab vſu vini nimio conſueuiſſe vincire tempora; quod quum inde perciperent emolumentum; poſteriores vinculo coniunxiſſe mox ornamentum, coronaſque, machinato ex
3. ſymp. frondibus & floribus in conuiuijs. Latius hac de re Plutarchus edisserit,
q.1. explicans vires florum, & frondium in coronis ad ebrietatem pellendam, & caput fouendum; nimirum eas nectebant plurimum ex herbis ac floribus, qua frigiditate reuellentibus vini fumos calidiores a capite; qua calore meatus capitis aperientibus, per quos vini vapores attenuati diſcuterentur: & certe mirus eſt conſenſus aurium cum partibus capitis interioribus; nam quotidianis experimentis compertum habent Medici ſcarificatione venarum poſt aures, & vlcerationibus vulneribuſque partium illarum curari facile morbos interiores oculorum a pituita prouenientes; & ego non ita pridem quum congeſto intra bulbum oculi ſiniſtri phlegmate craſſiore laborarem viſione muſcæ cuiuſdam lucidæ in motu oculi ſemper mihi cum ſa-

faſtidio apparentis, naturæ ſponte obortis vlcuſculis poſt aurem ſiniſtram, humorem gummi cuiuſdam inſtar ſenſim egerentibus, mirifice conualui. Sed & ſub anulo mos fuit antiquis herbas geſtare ad morbos curandos, & ſpeciatim ad grauedinem & perfrigerationem arcendas, vt de pulegio ſcribit Apuleius; quia ſcilicet antiquitus in vſu erant anuli grandiores, & medicinales plurimi concaui formabantur, & caſſi, peruijque, intra quorum caueam medicamenta reponerentur; ſed qui ſtirpes continere debebant, in parte interiori carnem attingente caſſi prorſus erant & pertuſi fiſſique per totum orbem, quo planta medicinalis incluſa cutem digiti contingere valeret immediate. Mihi vero probabile ſatis eſt, hunc anulum, ſub quo contentum pulegium procul arceret capitis grauedinem, & perfrigerationem eiuſdem, aut etiam totius corporis ex deſtillatione pituitæ crudioris a capite prognatam, fuiſſe circumpoſitum indici digito, a quo venæ cephalicæ ramus aſcendit ad caput. Goclenio tractanti de vnguento armario, *Galenus in anulo ſignatorio Iaſpide vſus, cui ſimulacrum hominis in collo faſciculum herbæ geſtantis, cuius virtus morbo diſcerneret.* Camillus autem Leonardus (q) agens de Iaſpide ſcribit, *Geſtatus febrem, ac hydropiſin fugat, viſum clarificat, noxia phantaſmata expellit, luxuriam cohibet, ac conceptum negat: & maxime viridis cum croceis venis, pragnantibus, ſeu parturientibus auxiliatur: victorioſum, potentem, ac gratum, geſtantem facit. Sed præ alijs virtutibus omnibus ſpeciebus hæc in primis eſt, omnem ſanguineum fluxum, vndecunque ſit, ſiſtere: debet argento ligari, quoniam ſuas auget virtutes.* & forte Iaſpidis perfectiſſimæ ſpeciei naturam & vim habuit illud os, de quo politiſſimus Indicarum rerum ſcriptor P. Maffeius hanc hiſtoriam retulit, (r) *Vehebatur quadam e nauibus ijs Naodabeguea Malacenſis, vnus ex eorum numero, qui nuper in Sequeria exitium conſpirauerant: is in itinere oppreſſus ab Luſitanis, quum egregie dimicans aliquandiu reſtitiſſet, multis demum confoſſus ictibus ita corruit, vt e patulis vulneribus nihil omnino cruoris manaret. Mox, inter ſpoliandum corpus, vt primum detracta eſt eius brachio aurea armilla (mirum dictu) tanquam vaſe confracto, ita ſe ſe cum anima ſanguis vniuerſus repente ſanguis effudit: cuius rei ſtupore defixi Luſitani, quum de captiuis cauſam quæſijſſent, cognouere incluſum eſſe in armilla os animalis cuiuſdam Sionij (Cabim incolæ appellant) cuius in ſiſtendo ſanguine virtus efficaciſſima ſit. Id ipſum os deinde quum in Luſitaniam deuehendum eſſet, vna cum pretioſis alijs rebus naufragio perijt.* Nicolaus etiam Monardes, Medicus Hiſpanus, agens de lapide ſanguinis, & renum, ait, (ſ) *Afferunt ab Noua Hiſpania duos lapides magnæ virtutis, alterum appellant lapidem ſanguinis, alterum vocant lapidem renum, ſeu laterum, Hiſpanice Yjada: lapis ſanguinis eſt ſpecies Iaſpidis variorum colorum, ſubobſcurus, vniuerſusque variegatus diuerſis picturis, coloratis veluti ſanguine. Ex lapidibus his efformant Indi quaſdam cordis imagines, & magnas, & paruas. Vſus horum lapidum ita in his partibus, vt in illis, eſt ad omnem fluxum ſanguinis, vndecunque fiat, e naribus, ex vtero, ex hæmorrhoidibus, e vulneribus, ex ore. Madefit lapis aqua frigida, & ponitur in manu dextera ægrotantis, qui cum arcte pugno conſtringat, ſæpiuſcule madefaciens aqua calculum: Ita eo vtuntur Indi pariter & noſtrates. Certum habent Indi, ſolo tactu huius lapidis partem ſanguinis fluxu laborantem ſanari; magnamque fiduciam eius rei tenent ob experientiam.*

q 2. de lapid. cap. 7.

r lib. 5. init.

Hiſtoria mira de oſſe ſanguinem ſiſtente.

ſ 1. de medic. Indic.

Hiſtoria mira de lapidibus ſanguinis, & renum.

Prodeſt

Prodeſt item continere lapidem ligatum ſuper ea parte, vnde ſanguis effluit, ita vt carnem ſangat: & hoc modo vidimus magnos effectus in reſtringendo ſanguine. Aliqui fluxu laborantes hamorrhoidali ſanati fuerunt geſtatis anulis continue ad digitum ex hoc lapide confectis. Hoc idem obſeruatum eſt in fluxu menſtruo mulierum. Alius lapis, quem vocant Yjada, eſt eius generis, vt perfectior appareat veluti plaſma Smaragdi, vergit ad viriditatem cum quodam colore lacteo: viridior eſt melior: geſtant varijs formis architectatum; nam ita geſtabant antiquitus Indi, vnum imagine piſcis, alium caput auis referentem, alium effigiatum in roſtrum pſittaci, alium in formam globuli, ſed omnes perforatos; etenim conſueuerunt Indi geſtare lapidem hunc appenſum collo ad dolores nephriticos, & ventriculi; nam hiſce duobus affectibus mirifice prodeſt. Pracipua lapidis virtus eſt in doloribus nephriticis, & in expellendis arenulis, & calculis: Quare patricio cuidam noſtrati, qui lapidem huiuſmodi tenet optimum omnium, quos ego viderim, lapis iſte brachio alligatus adeo magnam arena copiam detrahit per vrinam, vt ſape lapidem de brachio detrahat, exiſtimans aliquid mali ſe perpeſſurum ex tam vberi mictu arenarum: & inter deponendum obſeruat euidenter ceſſare mictum arenarum, & exoriri dolorem nephriticum: & in appoſitione lapidis ad brachium, dolorem imminui tollique mictu calculorum & arenularum in multa quantitate. Vidi egomet lapidem geſtari ab hominibus miſere cruciatis vehementi dolore nephritico, qui ſtatim ac eum attingerent, arenam & calculos eijciebant, & dolore liberabantur. Habet iſte lapis occultam proprietatem, qua mediante mirabiliter praſeruat homines a doloribus nephriticis; & eum, qui doloribus iam torquetur, iuuat & integre ſanat: arenam expellit in magna copia, ſimiliter & calculos: cohibet dolores renum: prodeſt dolori ventriculi ſuper eum poſitus: at ſuper omnia prodeſt doloribus nephriticis. Duciſſa mea hera, qua breui ter doloribus nephriticis moleſtata fuerat, ferebat exiguum brachiale eiuſmodi lapidibus coagmentatum: & poſteaquam cœpit ad brachium id ferre geſtaminis; nunquam eo dolore conflictata fuit per decem annos & amplius. Et hoc idem contigit multis alijs qui prorſus idem iuuamen ab hoc lapide nacti fuerunt; vnde lapis magni aſtimatur; & iam non ita paſſim ac facile reperitur, vt antea; nam ipſum Caciqui ſolum & Domini poſſidebant; & merito, quia praſtat adeo mirabiles effectus. Alius lapis inuenitur, qui ſanat phlegma ſalſum: de quo ſolum auritus teſtis eſſe poſſum, non item oculatus. Vulgi quoque fama celebratur anulus, in quo petra Bufonis incluſa ſit adeo vt carnem geſtantis attingat; quem lapidem aiunt præſente veneno calorem in digito excitare, & veneni admonere repetitis ictibus. Conſtat igitur ex varijs lapidibus, oſſibus, & metallis, herbiſque medicinales anulos fieri; de quibus & apte Grotius ita,

„ Anule, qui peſtem, fœdumque arcere venenum
„ Pectore, qui philtri crederis eſſe loco.

De viribus Sed tamen non ita conſtat, qua ratione medicinales anuli (quos Phyſicos
anulorũ phy appellarunt antiquiores, ad Aſtrologicorum & Magicorum differentiam,
ſicorum mi- quia mirabiles effectus edunt naturali virtute propriæ formæ ſpecificæ)
rabilibus. tot malis, & adeo efficaciter occurrant. Memini me pridem agentem de
t *Ratio.* Spontaneo(t) viuentium ortu, Ficino ſcribenti, (u) *Miſtorum corporum huma-*
l 1.c.133. *nos animos alia faſcinare, alia roborare, virtute natura viuacis, qua his ipſis eſt*
u 4. de im. *infuſa corporibus: Herbam hierobotanum, vt Magi inquiunt, conferre diuinationi-*
an.cap.1.

bus Medicorum. Achatem fouere viſum, Corneola ſiſti fluxum ſanguinis: aſt & Onyx, ait, accendit iras, terret in ſomnis; Corallus denique, vt teſtantur Metrodorus & Zoroaſter, inſanos terrores amouet, fulgura repellit, & grandinem: memini inquam me reſpondiſſe, (x) Quod ſubnectit Vir acutus, miſtorum corporum humanos animos alia faſcinare, alia roborare; falſum eſt penitus, ſi ea velit in animum agere; verum eſt, ſi in corpus animatum: ſed illud alterant nobis virtute propria, non vi terrenæ animæ: ſi enim herba Hierobotanum, vt Magi aſſerunt, confert diuinationibus Medicorum; id præſtat ſua qualitate alterando temperiem ſanguinem ſpiritusque Medici, atque ab eius corpore remouendo turbulentos humores, ac tetros halitus, quibus hebetatur illius iudicium, & ingenij perſpicacia, impediturque vis animi ne poſſit exactam theoriam de omnibus conſiderandis ad præſagium attinentibus adhibere. Si Achates viſum fouet, venenum obtundit, vires præſtat, magneti raptum eripit ferrum; hæc omnia puris qualitatibus proprij temperamenti efficere poteſt, alterando vel medium, vel corpus humanum, veneni, adamantis, ferri, vel vtrumque. At eundem lapidem facundiam afferre, mihi probabile non eſt; nam hæc ſtudio comparatur, non lapidibus; poteſt tamen lapis alterare adeo corpus geſtantis, vt diſſoluantur omnia impedimenta, intellectus contemplationem quoquo pacto impedientia; & ira quadantenus facundiam præſtare, cuius operationem expedit. Corneola ſanguinis fluxum ſiſtere, ac mitigare poteſt iracundiam, ſolum refrigerato calore ac ſpiritu, ſtrictisque corporis meatibus; quæ omnia frigiditas molitur in eo gradu, qui in temperamento Corneolæ ineſſe valet. Si Onyx accendit iras, ac terret in ſomnis, id per ſe poteſt efficere calefaciendo, & agitando ſpiritus, turbandoque phantaſiæ idola, in illis, vt in organo, exiſtentia. Si Corallus inſanos terrores amouet, ſi fulgura repellit & grandinem, id efficere per ſe valet, calore ſui temperamenti diſſoluens tum vapores tetros in nobis terroris inſani pueris & melancholicis effectores: tum frigiditatem in ambiente fulgura per antiperiſtaſim, & grandines per ſe procreantem. Cui theoriæ nunc addere lubet alias rationes præcipuas, in quas apte referri poſſe videntur admirabiles effectus anulorum medicinalium, quos Phyſicos appellant, ſeu facti ſint ex metallo, ſeu ex oſſe, ſeu ex lapide, ſeu ex alia quauis naturali materia; quarum cauſarum prima ſint vapores quantumvis tenuitate inconſpicui ſenſim ſine ſenſu halantes ex anuli ſeu corpore, ſeu gemma; qui geſtantis corpus afficiunt, per venas & arterias, quas vtcunque tangunt, penetrantes in vniuerſum corporis habitum: nam & magnes communi doctorum placito vetuſtate vires amittit, quibus antea ferrum alliciebat, nonniſi quia non amplius ex ſe vapores vllos, inſenſiles ob ſummam eorum raritatem ac tenuitatem, ad ferrum alliciendum emittit; ita piper, cinnamomus, & alia odorata, exhauſta ſenio vaporabili humiditate, ſeu potius exhalabili ſubſtantia penitus, tandem inodora & effœta ſine viribus torpent inefficacia: ſi ergo vapores e lapide magnetis halant, quibus ferrum ad ſe allicit, & ferro contacto vim alliciendi aliud ferrum communicat; quidni a metallis, oſſibus, lapidibus, & anulorum materia determinata, calore contacti digiti percalefactis, exhalare queant cæci vapores, halitusque

x 1. de ſp. viu. ort. c. 141.

1. *ratio*.

L ſurdi,

ſurdi, quibus anuli corporum noſtrorum temperamentum alterent, & habitum vniuerſum varijs mutationibus ſollicitent, vnde naſcantur in nobis effectus admirabiles? videmus enim electro, non frigido, ſed percalefacto paleas attrahi: nam ab eo calefacto vapores halant, quibus veluti porrectis manibus arripit ad ſe ſe ſtipulas. Niſi potius dicamus, percalefactum ſuccinum, veluti cucurbitula medica incluſo igne vicinam carnem, ita paleas proximas ad ſe allicere. Profecto ſi lapis ille ſarcophagus Aſius contactu ſolo cadaueris carnes cito conſumit, & viuentis podagrici ſuperfluos humores abſumens, morbum vix medicinæ cedentem curat, nonniſi vaporibus mire ſiccantibus excuſſis a ſe ſe; quod e (y) Galeno didicimus, & Plinio, (z) cui *In Aſſo Troadis Sarcophagus lapis fiſſili vena ſcinditur: corpora defunctorum condita in eo, abſumi conſtat intra quadrageſimum diem, exceptis dentibus. Mutianus ſpecula quoque & ſtrigiles, & veſtes & calciamenta illata omnia lapidea fieri autor eſt. Eius generis & in Lycia ſaxa ſunt, & in Oriente, quæ viuentibus quoque adalligata, erodunt corpora.* & mox, *Aſius guſtu ſalſus podagras lenit, pedibus in vaſe ex eo cauato inditis. Præterea omnia crurum vitia in ijs lapidicinis ſanantur, quum in metallis omnibus crura vitientur. Eiuſdem lapidis flos appellatur, in farinam mollis, ad quædam perinde efficax. Eſt autem ſimilis pumici ruffo. Admiſtus æri Cyprio mammarum vitia emendat; pici autem reſinæve ſtrumas & panos diſcutit. Prodeſt & phthiſicis linctu. cum melle vetera vlcera ad cicatricem perducit, extreſcentias erodit; & ad beſtiarum morſus vtilis. Repugnantia curationi ac ſuppurata ſiccat. Fit & cataplaſma ex eo podagris, miſto fabæ lomento.* De qua re (a) ſæpe Galenus, & ſpeciatim vbi ſcribit, (b) *Eſt & alius lapis in Aſſo proueniens, quem ob id ipſum Aſſion cognominant, non durus vt petra; ſiquidem color illi eſt pariterque conſiſtentia ceu tophi, friabilis, & laxus. Inuenitur ei quiddam farinæ tenuiſſimæ ſimillimum, qualis in molarum parietibus adhærere viſitur. Appellitant hoc medicamentum petræ Aſſiæ florem: Eſt vero & ſubtilium partium, vt ſine morſu nimis molles carnes, ac fluidas eliquet. Petra vero in qua naſcitur, tametſi vim habeat illi ſimilem, actionis tamen vehementia inferior eſt: hoc enim ea potentior eſt flos, non tantum quod magis colliquet ac digerat, ſed & quia hoc præſtet abſque vehementi mordicatione.* Dioſcorides (c) eadem, quæ Plinius & Galenus, de Aſio lapide tradidit. Si ergo lapis Aſius contactu ſolo podagricos, & alijs ægritudinibus affectos iuuat, vaporibus, & atomis inſenſibilibus a ſe ſe in corpus ægrotantium immiſſis; cur non eadem ratione metalla, & lapides, aliaque corpora anulorum morbis mederi, & corpus noſtrum, ac nos afficere poſſunt? ac eo magis, quo anuli longo, & continuo vſu teruntur, adeoque confrictu ſui particulas intra corporis noſtri meatus ad venarum & arteriarum vaſa tranſmittunt, ac inde per vniuerſum corporis habitum facile permeant: etenim lapides, & aliæ ſubſtantiæ in anulis cluſæ vires non exerunt in nos proprias, niſi geſtantium carnes contingant, & ita vapores & atomos intra corpus anulatum ingerant: in hunc enim finem, qua parte inſeritur anulo gemma, vel ſubſtantia quæuis alia medicinalis, metallum eſt perturſum & caſſum, vt pharmacum cutim contingere valeat, promptiusque vires ſuas corporis intimo, cordique ac cerebro, membriſque principibus communicare poſſit; quum omnis actio phyſica per contactum fiat,

y 9. ſimpl.
z l. 30. c. 17
Aſij lapidis vis mira.
a 4. de cōp. med. 5. l. c. 1. 7. & l. 6. c. 1. & l. 8. c. 10.
b 9. ſimplic.
c l. 5. c. 88. 99.

ſat, (*d*) Ariſtoteli. Præterea vero poſſunt anuli, lapideſque in ijs com- *d* 2. de gen.
prehenſi, mirabilibus effectibus eſſe pares, ob naturæ ſuæ ſimilitudinem, an. c. 1.
vel diſſimilitudinem efficacem cum humoribus vaporibuſque noſtrum cor- *3. ratio.*
pus vbique replentibus, & afficientibus: vt enim theriaca morſui venenatæ
beſtię appoſita, trahit ad ſe ſe venenum, ac impedit ne ſerpat per venas & ar-
terias ad cor: vtque multi graſſante peſte, cum fructu poſuiſſe dicunt non
ſolum bufonem torrefactum & exſiccatum ſupra letalem bubonem in in-
guine tumentem, cuius totum virus in ſe ſe bufonis cadauer attraheret, eo-
que mire turgeret; verum etiam calamum ſcriptorium mercurio crudo re-
pletum collo appenſum ſupra regionem cordis, vnde traheret itidem ad ſe ſe
peſtilentes halitus; ita ſane nihil inconuenit, ob ſimilitudinem naturæ, ma-
teriam anuli ſimplici contactu trahere ad ſe per venarum, & arteriarum ori-
ficia vapores humorum, qui manentes in corpore vel morbum, vel iram, vel
aliam animi paſſionem fouent, ac promouent. Ob diſſimilitudinem etiam *4. ratio.*
naturæ, contrarietatémque temperamenti plumbum corporis partibus ex-
trinſecus adalligatum, eas impenſe refrigerat, repulſo ab ijs ad interiora
ſanguine, prius a ſe refrigerato, ſpiritibuſque fere prorſus extinctis, Gale-
ni monitu, (*e*) Plinijque dicentis, *In medicina per ſe plumbi vſus eſt, cicatrices* *e* l. 34. c. 18.
*reprimere; adalligatiſque lumborum & renum parti laminis frigidiore natura inhi-
bere impetus Veneris, viſaque in quiete venerea ſponte natura erumpentia vſque in
morbi genus; his laminis Caluus Orator cohibuiſſe traditur, vireſque corporis ſtu-
diorum labori cuſtodiſſe. Nero (quoniam ita Dijs placuit) princeps, lamina pectori
impoſita, ſub ea cantica exclamans, alendis vocibus demonſtrauit rationem.* Sed &
folia ſtirpis, quam Agnum-caſtum appellant, adhæſu ſolo venereos impe-
tus compeſcere, ſenſaque caſtitatis arceſſere frigiditate ſua, Medicis com-
pertiſſimum eſt. Sic ergo & anuli, qui latiores & maiores antiquitus fiebant,
vt vniuerſum etiam internodium digiti tegerent, ac faſciæ inſtar circumam-
birent, & plures vna geſtabantur, ex plumbo non minus quam ex alijs me-
tallis, herbis, lapidibuſque conſtructi, poterant nullo negotio vi tempera-
menti ſui partes humani corporis adhæſu continuo plurimum alterare, cer-
taſque ſanguini contento in proximis earum partium venis & arterijs qua-
litates imprimere, quibus per ſpiritus in maſſa ſanguinea diſcurrentes ad
vniuerſum corporis habitum, eiuſdem corporis temperiem varijs modis
afficerent, adeoque mutarent etiam, percellerentque mores animi, quos vt-
cumque temperaturam corporis conſequi Galenus ipſe demonſtrat edito
volumine prænobili ſub eo titulo, Quod animi mores ſequantur tempera-
turam corporis. Deinceps quum homo maxime polleat ſenſu tactus, & eo *5. ratio.*
plurimum afficiatur, non ſolum quoad corporis paſſiones, verum etiam
quoad animi mores & habitus etiam intellectuales, quam vllis alijs ſenſi-
bus; vt edocet Ariſtoteles; cui tum, (*f*) *Tactum habet ſenſum homo certiſſimum;* *f* 2. de an.
in alijs enim ſuperatur ab animalibus multis, ſecundum autem tactum multo quam t. 94.
*cetera excellentius percipit; vnde & prudentiſſimum animalium eſt: ſignum autem,
& in genere hominum ſecundum ſenſorium hoc ingenioſos eſſe, & non ingenioſos, ſe-
cundum autem aliud nullum; duri enim carne, inepti mente; molles autem carne, bene* *g* 2. de part.
apti: tum etiam, (*g*) *Molliſſima caro hominis eſt, ſcilicet quod maxime omnium* c. 16.

L 2 ani-

h 2. de an. t. 128. *animalium valet ſenſu tactus*: tum denique, (h) *ſimile calidum, & frigidum, aut*
durum & molle non ſentimus, ſed exuperantias; a quibus propterea tactus ma-
gis afficitur quam alius ſenſus vllus a proprijs obiectis: Quum autem audi-
tus ab obiectis proprijs aliquando ſic afficiatur, vt ex eius paſſione mores
animi mirifice mutentur, iracundia modo ſedetur, modo concitetur; nunc
excitetur lætitia, nunc lacrymæ prouocentur; alijque morales affectus inti-
i 8. polit. c. 5. me mireque percellantur; vt apparet ex Muſica; de qua ſic (i) Ariſtoteles,
An magis putandum eſt, ad virtutem tendere muſicam, vt potentem, quemadmodum
Muſica mira vis. *Gymnaſtica tale aliquod corpus reddit, ſic & muſicam talem aliquem morem efficere.*
aſſueſacientem poſſe recte lætari. An ad degendi rationem aliquid conſert, & ad pru-
dentiam: nam hoc tertium ponendum eſt, ex his, quæ dicuntur. & mox, *Habet enim*
muſica naturalem voluptatem, per quam illius vſus cunctis ætatibus, cunctisque
moribus eſt acceptus. Sed videndum eſt, ſi quo modo ad mores extendatur & ad ani-
mum: id autem patebit, ſi aliquando tales aliqui ſecundum mores per illam efficia-
k modulationem *mur. Atqui quod efficiamur per Olympi (k) moderationem manifeſtum eſt; ea nam-*
que abſtrahit animam, & quodammodo rapit: raptus vero & abſtractio animæ circa
morem affectio eſt. Præterea audientes repræſentationes, omnes afficiuntur etiam ſine
melodia & verſibus. (& certe, quod apud Platonem Socrates ſibi contigiſſe
monet, mihi tragœdias audienti, vel etiam legenti commouetur animus
adeo, vt lacrymas continere nequeam ob commiſerationem infortunato-
rum) & mox addit Ariſtoteles, *At in melodijs ipſis ſunt imitationes morum:*
& hoc eſt manifeſtum; ſtatim enim harmoniarum diſtincta eſt natura, ita vt qui au-
diunt, aliter diſponantur, nec eodem modo ſe habeant ad vnamquamque ipſarum, ſed
ad quaſdam flebiliter & contracte magis, puta ad eam, quæ appellatur Lydia miſta:
ad quaſdam vero mollius ſecundum mentem, ceu ad illas quæ ſunt remiſſæ: ad aliam
vero mediocriter & compoſite plurimum, vt videtur Dorica facere ſola omnium har-
moniarum. Phrygia vero diſtrahit, & rapit animum, & quaſi extra ſe ponit: hæc
enim recte dicunt, qui circa huiuſmodi diſciplinam philoſophantur; capiunt enim ver-
borum teſtimonia ex rebus ipſis. Eodem modo ſe habet circa rhythmos; alij enim mo-
rem continent grauius, alij concitant, alij violentiores afferunt motus, alij liberaliores.
Ex his igitur patet, quod muſica poteſt animi morem aliquem facere. Poſſunt ergo ſi-
militer, ac multo magis id efficere Phyſicorum anulorum metalla, lapides,
oſſa, ſtirpes, & alia corpora, quæ continuo adhæſu ſpiritus & ſanguinem af-
ficiunt & alterant magis in homine tactum percellentia vehementius, quam
Cur mirabiles effectus æuo noſtro non habeantur ex anulis. auditus obiecta non ita vehementia, & e longinquo ſenſum mouentia. Sed
& illud animaduertendum eſt, decantatas a priſcis mirabiles anulorum vir-
tutes æuo noſtro non ita paſſim experimentis; quod & nos anulis exiguis
vtamur, illi vero grandioribus vſi fuerint; maioris enim corporis validior
eſt virtus, ceteris paribus: & in habentibus carnes molliores multo magis
anulorum virtus effectum ſuum promoueat; quod actus actiuorum euiden-
tiores intenſioresque fiant in ſubiecto magis diſpoſito: Qui vero de viribus
anulorum magnifice locuti ſunt apud antiquos, admirandas eorum virtutes
prædicauerunt efficaces in ſubiectis maxime diſpoſitis ad ipſarum effectus
ſuſcipiendos; celebraueruntque lapillos in ſua ſpecie tum mole magnos,
tum qualitate perfectiſſimos; quorum hodie magna eſt egeſtas; quum pluri-

mi

mi ſint adulterini, & qui ſpurij non ſunt, exigui comperiantur, & infra gradum vltimæ perfectionis. Denique vero nec illud omittendum eſt, ſpem ac imaginationem geſtantis plurimum conferre ad vires adhibitorum præſidiorum exerendas, & adaugendas; etenim idem remedij genus eidem ægrotanti propinatum a Medico, cui fidem habeat æger, & in quo magnam ſpem ipſe ponat, morbum facile ſanabit; non item ſi a Medico præſcriptum fuerit, quem æger non magnifaciat aut floccipendat: vnde legimus inter Medicinæ præcepta, ægrum facile conualiturum, ſi bene ſperauerit, & bene ſe habuerit ad oblata, Medico prorſus obtemperans cum fiducia. Facit huc etiam, quod ſanxit Hippocrates in (*l*) aphoriſmis, Parum deteriorem cibum & potum, ſuauiorem tamen, meliori, ſed minus ſuaui præferendum eſſe; quod, vt ait (*m*) Galenus, hunc natura magis complectatur, meliusque concoquat. Non alia ſane de cauſa valde concupitæ rei a grauida ſignum efformatur in corpore ſobolis enaſcentis. Et eandem ob rationem verum eſſe potuit, quod circunfertur, allatum ab (*n*) autore Dierum genialium, Seleucum ſcilicet fatalem habuiſſe gemmam in anulo, in quo anchora effiĉta viſebatur, cuius imago in femore poſteris familiæ natiua apparuerit: nempe quod ea gemma ſignans decreta capitalia, firmans facinoroſorum ſcelera morte ineuitabili, vel vxori grauidæ fuerit valde metuenda; cuius imago iugiter alte in animo fixa, fœtus tenellum corpus obſignare potuerit; & poſtea poſteros naturali virtute conſimili charactere notare; qua de re latius infra ſuo loco: Ita qui veteres geſtatu Phyſicorum anulorum pro amuletis ad certos morbos, & pro præſidijs ad aliquid aliud, magnæ ſpei fortisque imaginationis interuentu atque beneficio ſic ad ea bona conſequenda diſponi potuerunt, vt vel exigua vi cauſæ naturalis in anulo degentis aſſequi valuerint effectum vehementer expetitum atque valde ſperatum; nam diſpoſitiſſima materia facillime magnam formam concipit a leuiſſimæ occultæque ac neglectæ virtutis agente; ſic in magnam puluens pyrij ſubtiliſſimi maſſam incidens atoma ſcintilla propter exilitatem inuiſibilis, ac phyſice prorſus indiuiſibilis, momento fere maximum procreat incendium. Sed & in ijs effectibus, qui a noſtra voluntate pendent, nimium vehemens cupido potuit eſſe illorum cauſa, quos in anuli vim referimus, in qua maxime confidimus. Demum & illud prætereire non debeo, plerumque veterum multos eſſe potuiſſe nimios in extollendis gemmarum & anulorum viribus ad diuerſos corporis & animi affectus mulcendos, atq; curandos, percellendosve.

6. *ratio.*
l 2. aph. 38.
m in com.
n Alex. ab Al. l. 2. c. 19.
Fatalis anulus Seleuci.
7. *ratio.*
8. *ratio.*

De Anulis ad venena, ſiue ad mortem voluntariam.
Cap. XX.

QVum inter anulos Phyſicos ad ſalutem inſtitutos alij ſolidi fuerint, qui propriæ materiæ qualitate geſtantium ſeu corpus, ſeu animum afficerent; alij peruij & caſſi, continentes in ſua cauitate ſalutaria pharmaca, vires proprias medicinales exerentia qua per apertos, qua per cæcos etiam anulorum poros: anuli certe venenorum gratia conſtructi nulli fuere

1. *an. ſinis.*

fuere ſolidi, ſed omnes pervij, cavique, continentes in ventre, vel in gemma, velut in cauda capiteque circumvolutæ viperæ, mortale venenum. De propoſito Plinius, (a) *Illud quoque obiter indicari convenit, quoniam de anulis ſermonem repetimus æditum cuſtodiæ eius comprehenſum fracta in ore anuli gemma, ſtatim expiraſſe, & indicium ita extinctum*: nempe, quum M. Craſſus duo millia auri pondo e Iovis Capitolini ſolio, a Camillo ibidem condita, rapuiſſet; æditum cuſtodiæ eius deprehenſum, fracta in ore anuli gemma expiraſſe, quod anulus concavus eſſet acerrimo veneno plenus, isque magnus multum veneni continens; cum gemma fragili dedita opera conſtructus, vt impacta dentibus facile confringeretur, & inde venenatus liquor in oris hiatum prompte diffluerer ad necem repentinam. Sed anulos huiuſcemodi mortiferos habebant priſci non ſolum ad alios interimendos, at etiam ad ſemetipſos enecandos: etenim depravatorum hominum ingenia pridem excogitarunt anulis venena cludere, quo vitæ tædio affecti, quotieſcunque liberet, necem ſibi poſſent afferre; finemque, vt exiſtimabant, miſeriæ ſuæ demum imponerent. Demoſthenes ſummus Oratorum Græciæ hoc mortis genere prævenit Archiam Thurinum ab inimico Rege miſſum; qua de re mox Plinius ita, *Alij ſub gemmis venena cludunt, ſicut Demoſthenes ſummus Oratorum Græciæ, anulosque mortis gratia habent.* Quam hiſtoriam luculentius affert Lucianus in Encomio Demoſthenis inquiens, *Quum hæc dixiſſet Demoſthenes, Age, inquit, ne afferas mihi violentas manus: non enim prophanabo templum, quantum in me eſt: ſalutato Deo, ſponte ſequar. Ego ſic ſperabam facturum; quum ille manum ori admovet: neque ego ſuſpicabar eum aliud facere, quam orare Deos: ſed quid egerit, poſtea ex ancilla per tormenta cognovimus: diu eum habuiſſe parvulum venenum, vt morte libertatem redimeret. Neque extra templi limen pervenerat, quum lapſus inquit, Hoc cadaver ad Antipatrum vehes, Demoſthenem vero non vehes, non per. & videbatur ſuo more iuraturus, per illos qui in Marathone occubuerunt. Sed vale dicens diſſolutus. Hunc ego ſinem, Rex, affero expugnati Demoſthenis.* De quo Plutarchus in eandem ſententiam, eius vitam deſcribens; *Iam ſentiebat Demoſthenes vim veneni præcordia penetraſſe.* & mox, *Venenum ſcribit enim Ariſto ex calamo ſumpſiſſe. Quum celeritas mortis miraculo eſſet, narraſſe eos qui ad valvas ſtabant, Thracas ex panniculo ſumpſiſſe, manuque admotum ori venenum deglutiſſe; ſe vero quod deglutiret aurum ratos: at puellam, quæ ei miniſtrabat, quærenti Archiæ diu eſſe dixit, quum hoc alligatum pro amuleto tuliſſet Demoſthenes. Ipſe quoque Eratoſthenes* (quem ſecutus eſt Plinius) *in cavo eum anulo refert venenum habuiſſe: hunc anulum pro brachiali eum geſtaſſe.* Plinius Eratoſthenis hiſtoriam refert Cœlius, (b) cui *Scribit quippe Eratoſthenes, virum hunc* (de Demoſthene loquitur) *in crico pertuſo, quod eſſe brachij geſtamen quidam interpretantur, præſidio vltimorum caſuum, conſueſſe venenum geſtare incluſum, quod etiam hauſerit intrepide, ne quid indignum tanta virtute à Macedonibus pateretur. Hinc natum, vt quod ſpeciem quidem habet extrinſecus, & oculos aſpectu iucundo allectat, intus vero perniciem ſervat euidentiſſimam, Circum dicamus Demoſthenis: nam & Cleopatram in Cneſtide concauo, crinibus implexa occulcataque venenum habuiſſe produnt nonnulli. Cneſtidem ſunt qui laminulam interpretantur* (qua detracta a cuſtodibus, ne hoc medio ne-

a l.33.c.1.

b l.8.c.13.

necaret ſe triumphum Romanum eludens, voti compos hoſtem feſellit clam impetrata dipſade quam brachio admoueret, aut pectori) & mox, *Cricum Theodorus anulum interpretatur, ſecundo Ariſtotelis de animalium (c) hiſtorijs, vbi ſic Græce ſcriptum eſt, [OION KRIKOS CHALKOYS LEPTOS,] id eſt (inquit Interpres) vt anulus æneus tenuis. Theophraſtus quoq; libro de ſtirpibus quarto, cricum pro anulo vſurpat, Plinio interprete: etiamſi in Græcis codicibus modo impreſſis inueni, Crocum ſcribi, non cricum. Et Sudas, Arcilia, inquit, ſunt [KRIKOI TON ALYSEON,] id eſt anuli catenarum. Noſtri recentiores anularem rationem appellauere, quam Ptolemæus cricæton aptiſſime nuncupat.* Sed hac de re latius (*d*) antea. Conſimile cum Demoſthene fatum Annibalem ſponte ſubijſſe, ne ſcelere perfidi Regis ad triumphi miſeriam traderetur hoſti Romano, nonnulli teſtantur; quibus adhærere videtur Grotius ita;

c cap. 11.

d cap. 1.

„ Anule, quem fatum docuit Demoſthenes, & quem
„ Annibalis celerem mortis habere viam.

Etiamſi (*e*) Liuius aſſerat, Annibalem propoſuiſſe venenum ad necem, & poculo, non anulo hauſiſſe: ſeſeque Romanorum ſæuitiæ voluntaria morte eripuiſſe: quam Liuij ſententiam Plutarchus comprobare videtur. Gorlæi (*f*) relatu, Heliogabalus habuiſſe traditur etiam anulos mortis gratia, quamuis illi monſtro tam ſedata mors non contigerit. Eiuſcemodi anulorum ſatis admirabilem habemus, meo quidem periculo ſuperius in ſchematiſmis ære delineatis ad numerum trigeſimum ſextum, in quo minor in maiori anulo ſimiliter inſeritur; quorum vterque concauitatem habet excipiendo, continendoque veneno peraptam, hianti foramine, quod operculum gemma fracta, vel elapſa fuerit. Niſi velimus hos anulos referre potius ad antiquiora donaria Philiſtæorum, qui conſecrauerunt (*g*) anulos aureos, pro comparanda ſibi diuinitus ſalute plagarum, ſibi diuinitus inflictarum in poſticis maximo cum cruciatu, ob Arcam Domini nefarie poſitam in fano Dagonis. Qua de re late poſterius agemus.

e lib. 39.

f pag. 15.

g 1. Reg. c. 5 & 6.

De Anulis Aſtrologicis ad morbos pellendos, & ad animos mire percellendos; qua ratione vim adeo mirabilem ab aſtris habere potuerint ad aures Ariſtotelis. Cap. XXI.

PRæter Phyſicos anulos, qui naturæ propriæ, vel rerum intra ſui cauitatem virtute magnos & admirabiles effectus molirentur, habuere veteres, quos appellarunt Aſtrologicos, & peculiari quadam ratione Sigilla, & Arabico nomine Taliſmanos; nempe quibus inſculptæ forent literæ quædam ignotæ, vel imagines diuerſarum rerum certis gemmis, tempore determinatorum aſpectuum cæleſtium: Quos anulos geſtantem dicebant fore ſemper victorem, & inſuperabilem; venenis, & maleficijs non obnoxium; amabilem puellis, charum Principibus, acceptabilem Magnatibus, & id genus innumera. Horum deſcriptionem multiplicem habemus a priſcis; Cœlio (*a*) in Antiquis Lectionibus, *Thebit philoſophus non aſpernabilis omnino, etiamſi non ſæpe ita aduocatum inuenis, ad effectus miros, ſideralem ſcientiam adhibendam*

16. an. finis.

a l. 6 c. 11.

Deſcriptio anulorum aſtrologicorum. bendam tueat, captataque ſtellæ virtute, accipi lapidem herbamque ſtellæ ſubiectam; mox & anulum conflari, ſiue aureum velis, ſiue argenteum, cui lapillum indas, herba ſuppoſita. Id vero fieri potiſſimum præcipit ſtellam Luna ſubeunte, aut ſpectante aſpectu trino, vel ſextili: Stella vero cœli medium percurrente, aut in aſcenſu conſtituta. Quin & in Chriſtianis literis longe ſcientiſſimus autor D. Thomas tertio contra Gentiles volumine, herbas lapideſque cœlitus mirabiles quaſdam vltra elementarem naturam nanciſci vires, non diffitetur: ſicuti hominibus item contingat

b l. 6. c. 12. in artium excellentia. & mox, (b) Scribit Damis, Sapientum Indorum principem Iarcham tam ſcite, tamque docte anulos ſeptem compegiſſe, qui & ſtellarum ſeptem nominibus eſſent præſignes, vt Apollonium Tyaneum dono acceptos, ſingulis diebus ſingulos, iuxta dierum nomina eos diſtinguentem, geſtaſſe proditum ſit. Amplius Iarcham id quoque Apollonio inſinuaſſe, auum ſuum philoſophiæ myſterijs itidem initiatum, annum centeſimum triceſimumque viuendo attigiſſe. Id vero anulorum beneficio contigiſſe, quamuis non ſatis conſtanter, grauiſſimi autores interpretantur. Quinimmo Apollonium ipſum eodem munere iuuentæ nitorem prætuliſſe, quamuis annum iam centeſimum exceſſiſſet. Philoſtratus antea dixit horum anulorum beneficio Apollonium participem factum cognitione maximorũ

* de ſtud. mil. in f. ſecretorum. Cl. Naudæus(*) noſter inuehitur non ab re in eos, qui talibus anulis omnem vim a cœlo deriuant, quos argumentis refellit efficacibus. Albertus Magnus agens de Mineralibus, omnem virtutem lapidum retulit in eorum formam ſubſtantialem, & in figuram cœleſtem vigentem in ipſo-

c l. 2. tr. 1. c. 2. rum ortu dicens ex Hermetis opinione, quam poſtea collaudat, (c) Hermes autem & quidam ſequaces eius Indorum plurimi, multa & vniuerſali virtute differentes dicebant omnium inferiorum virtutes eſſe in ſtellis & imaginibus cœlorum: omnes autem virtutes infundi in inferioribus omnibus per circulum Alaur, quoniam primum circulum imaginum cœleſtium eſſe dicebat: has autem virtutes deſcendere in res natura nobiliter, & ignobiliter; nobiliter autem, quando materia recipientes has virtutes fuerint ſuperioribus magis ſimiles in lumine & perſpicuitate; ignobiliter autem, quando materia fuerint confuſæ, & fæculenta, in qua quaſi opprimitur virtus cœleſtis. Hanc igitur cauſam iſti dicunt, quoniam lapides pretioſi præ alijs habent mirabiles virtutes, quia videlicet in ſubſtantia magis ſimilantur ſuperioribus & in lumine & in perſpicuitate; propter quod a quibuſdam eorum, ſtellæ elementales eſſe dicuntur lapides pretioſi. & infra ex propria ſententia conſimilia ſtatuens ad-

d cap. 4. dit, (d) Forma igitur iſta inter duo hæc eſt, inter cœleſtes virtutes, a quibus datur, & ſuper materiam complexionatam, cui infunditur. Si ergo in ſe conſideretur, ipſa eſt eſſentia ſimplex, vnius tantum operatiua, quodcunque eſt illud; quod vnius tantum eſt efficere vnicum, ſicut tradit tota Vniuerſitas Philoſophorum; ſi autem hæc forma conſideretur, vt eſt virtutibus cœleſtibus primo, multiplicatis per ſuperiores, & inferiores; & omnes imagines, & circulos, quos duodecim ſigna cum ſtellis ſuis diſtribuunt ſuper horizontem rei illius, cui influitur forma; & ſecundo, ſecundum quod ad eam operantem ſunt virtutes elementales, erit ipſa forma multiplex, & valde ſecundum potentias naturales ſuas, quæ circunſtant eſſentiam ſimplicem; & ſit mul-

* effectiuum torum (*) efficientium erit effectiua; licet forte vnicam habeat operationem; non enim poteſt dici, virtutes cauſarum per aliquid non manere in effectibus; & hoc eſt, quod fere omnis res non ad vnum tantum, ſed ad multa valet, quando ſua ſciantur

ope-

operationes; comparata vero ad illud, cuius eſt forma, hoc eſt ad materiam, eſt potentior, & impotentior, ſecundum quod benedixit Hermes: & hac de cauſa lapides eiuſdem ſpeciei inueniuntur potentiores, & minus potentes in effectibus ſuis. &c. Quam ſententiam Magni Magiſtri ſui Maior diſcipulus D. Thomas contra Gentiles accepiſſe videtur, & profiteri ſcribens, (e) *Conſequitur autem* homo *ex ſuperioribus cauſis & aliud auxilium quantum ad exitum ſuarum actionum; quum enim homo & eligere habeat, & proſequi quod eligit; in vtroque a cauſis ſuperioribus adiuuatur interdum, & impeditur: ſecundum electionem quidem, vt dictum eſt, in quantum homo vel diſponitur ad aliquid eligendum per cæleſtia corpora, vel illuſtratur per Angelorum cuſtodiam, vel etiam inclinatur per operationem Diuinam: Secundum executionem vero, in quantum homo conſequitur ex aliqua ſuperiori cauſa robur & efficaciam ad implendum quod eligit; quæ quidem non ſolum a Deo, & ab Angelis eſſe poteſt, ſed etiam a corporibus cæleſtibus, in quantum talis efficacia in corpore ſita eſt; manifeſtum eſt enim, quod etiam inanimata corpora quaſdam vires, & efficacias a cæleſtibus corporibus conſequuntur, & etiam præter eas quæ ad qualitates actiuas & paſſiuas elementorum conſequuntur; quas etiam non eſt dubium cæleſtibus corporibus eſſe ſubiectas; ſicut quod magnes attrahit ferrum, habet ex virtute cæleſtis corporis; & lapides quidem & herbæ alias occultas virtutes. Vnde nihil prohibet, quod etiam aliquis homo habeat ex impreſſione corporis cæleſtis aliquam efficaciam in aliquibus operibus faciendis, quas alius non habet.* Sic igitur ex opinione D. Thomæ, & Alberti Magni, fieri poſſunt anuli Aſtrologici mirabilium virtutum ad promouendos effectus magnos in corpore pariter, & in animo mortalium, efficacia ſibi communicata non ab elementari qualitate vlla, ſed a corporibus cæleſtibus. Brodæus econtra prorſus negat, atque cum Luciano tantum non irridet iſtos anulos Aſtrologicos in ſuis Miſcellaneis inquiens, (f) *Anulus* [PHARMACITHS PHYSIKOS] *de quo Lucianus in Dialogo, qui* [PLOION H EYCHAI] *inſcribitur. His nugis freti dormientes Plato & Ariſtoteles multarum rerum cognitionem habuerunt: his Alexander, C. Cæſar multa feliciter bella geſſerunt. Nec pudet homines non indoctos aniculis ludibria eſſe.* Scaliger etiam iunior irridere videtur, quam refert anulorum aſtrologicorum opinionem ab Arabibus & Chaldæis cultam, dum ait, (*) *Nunc ad poſteriores tuas, & figuram gemmæ cum literis ignorabilibus inciſam, venio: cui non admodum diſſimilem, ſed cum aliis literis, vidiſſe me memini. Priſcum hoc Magorum, & Chaldæorum inuentum, vt eiuſmodi figuris incidendis horoſcopans ſignum obſeruaret: puta, ſi* [SPHRAGIDA] *aduerſus ſcorpionum ictus fabricare vellent, non prius id facerent, quam horoſcopante ſcorpio. Quod in libris Arabum legimus non raro. Græci eiuſmodi* [SPHRAGIDAS STOICHEIA,] *Arabes Taliſman vocant: verbum* [STOICHEIOSAI:] *homines, qui id facerent,* [STOICHEIOMATICOYS] *dicunt. Vide* [KARPON,] *ſiue Centiloquium Ptolemæi aphor. nono, & ibi comment. Haly, qui tamen non eſt Haly, ſed Abu-Geſar, vt in Hebraico meo codice manuſcripto legitur. Horum* [STOICHEION] *ex LX. cap. Chil. III. Io: Tzetzæ exempla petenda ſunt: quod omnino legendum, ſi quidem horum* [STOICHEION] *notitiam habere placet: & ſane lectio non iniucunda: nam in illo cap. Apollonius ſculptura culicum, & ciconiarum culices Antiochiam, ciconias Byzantium ingredi prohibuit. De anulis ſculptis*

e l. 3. c. 92.

f l. 3. c. 21.

* l. 2. epiſt. 180.

horoſcopante ſcorpio, ne a ſcorpijs ij, qui eos geſtarent, læderentur, extat illuſtre exemplum apud Geographum Arabẽ. Qui eiuſmodi amuletis muniti ſunt aduerſus externa, vt ipſis videbatur, nocumenta, ij Græcis [ESTOICHEIOMENOI,] Arabibus Muttaliſmanin dicuntur. De anulis phyſicis ſatis multa in Manilianis diximus. (ego quidem perlegi notas illas Manilianas a capite ad calcem bis, neque reperire potui mentionem vllam anulorum; quare forſan alibi de illis egit, & hic memoria Scaligerum fefellit.) *Rurſus de anulis aduerſus ſcorpionum ictus habes luculentum in Dactyliotheca Abrahami Gorlæi noſtri, figura 45. teſtimonium, in quo ſcorpius eſt horoſcopans, Leo culminans: & longe clarius figura 105. vbi præterea planeta, Luna, Venus, Mars: & rurſus 104. ſeptem planetæ cum horoſcopo ſcorpionis: & 14. Mutius Scæuola foculo manum inijciens cum planeta Martis, & tribus characteribus, Leonis, Arietis, Virginis, quorum primus omnino eſt [DESMOS KATABIBAZON,] reliqui mihi ignoti: & in 144 duodecim ſigna cum planetis. Cuius figuræ exempla hodie multa apud antiquitatis cultores extant, & nos aliquot vidimus. Multi autem characteres, qui in his [STOICHEIOIS] viſuntur, non ſunt ex ijs, qui apud nationes in vſum literarum recepti ſunt, & quibus libri conſcribi, aut acta publica, & epiſtolæ conſignari ſolent, cuiuſmodi ſunt Hebræorum, Syrorum, Arabum, Armeniorum, Abyſſinorum; ſed commentitij ſunt, & a Magis excogitati: ideo a nemine legi, aut exponi poſſunt, quam ab ijs, qui figuras has incidi curarunt, aut ei vanitati operam dederunt. Eiuſmodi ſunt hi characteres, quos præfert gemma tua; ne forte a me eorum interpretationem exigas: quandoquidem eo ſeculo, quo illi incisi ſunt, nemo eos capiebat, præter eum, qui eos exculpſit, aut ſculpi curauit: In altera ſuperficie capite Anubidis, dextera ſtrigilem, ſiniſtra guttum balnearium geſtans: item alius ſiniſtra ſpicam, dextra ſpiculum, in cuius cacumine ales neſcio qua inſidet, ferens, quid velit, ſcio, ne id quidem alium plane exponere eo ſeculo, quo incisa hæc ſunt, potuiſſe, præter eum qui ſculpſit, aut ſculpendum locauit. Similia deliramenta non pauca in alueolis antiquariorum, vt hodie vocantur, extant, capite galli gallinacei, cum characteribus Græcis quidem, non tamen ſemper ijſdem, neque totidem numero: adhuc puto vnum me habere. Et quidem celeberrima ſunt hæc. Sed vt de, [A O,] non dubium eſt; ita de illis in tuo [PHERIN PHERO,] malo tacere, quam ludibrium debere. Hic nobis neque Irenæus, neque Theodorus, neque Tertullianus aliquam opem adferunt: quare neque a me expecta: hoc enim nemo præſtare poſſit.* Ceterum vt non conſentio Brodæo ſimul cum Luciano, more ſuo cunctis cum rebus alijs etiam anulos omnes priſcorum phyſicos & aſtrologicos irridenti: neque Scaligero pariter tum eos inter deliramenta recenſenti, tum aſtrologicos anulos cum magicis confundenti: ſic audire non poſſum Arabum ſententiam, qui ponunt, figuras ab artifice ſculptas tempore determinatarum conſtellationum, aut etiam anulos eo tempore tali figura ſculptos, ab aſtris adipiſci vim effectricem, curatricemve morborum, ac omnino mirabilium euentuum procreatricem; ſiquidem aſtra ſolum vim actuoſam tribuere poſſunt corporibus, atque ſubſtantijs noſtratibus in eorumdem generatione, quibus vt cauſæ communes, atque remotæ conciliant pro varia mutatione ambientis determinatam formam ſpecificam, certumque temperamentum, & hoc immediate conſequentes facultates, & vires actiuas; quæ nulla ratione penitus immediate

poſ-

poſſunt imprimi rebus iam ortis, aut rerum figuris ab arte confictis in earum ſuperficie: ſicuti mox oſtendetur. Quinimmo nec in Peripato nunc auſcultare valeo M. Albertum, ac D. Thomam, a cæleſtibus corporibus in lapides & herbas aliaq. noſtratia deriuantes efficaciam, quæ non innitatur viribus elementarijs: nam Ariſtoteli cęleſtia gubernant ſolum elementaria, & erga noſtratia ſe habent vt cauſę communes, vniuerſales, & æquiuocæ: ſi vero tribuerent noſtratibus virtutes quaſdam altiores virtutibus elementarijs: iam eſſent reſpectu virtutum illarum ſublimiorum cauſæ vniuocæ; nam ſuperelementaris virtus corporea nulla eſt alia quam cæleſtis: & eſſent cauſæ ſpeciales, ac proximæ, ſeu particulares, & immediatæ illarum virtutum; & non eſſent gubernatiua virtutum inferioris mundi, ſed procreatiua: quod enim gubernat non producit ea quæ gubernat, ſed aliunde producta ſolummodo regit atque conſeruat; Ariſtotelis verba clariſſima ſunt, *Quatuor autem exiſtentibus his, igne, & aere, & aqua, & terra: omnibus quidem his ſupereminens, eſſe ignem: ſubſtans autem, terram; duo autem, quæ ad ipſa his proportionaliter ſe habent: aer enim igni eſt propinquior, quam alia; aqua autem terræ: Qui itaque circa terram eſt totus mundus, ex his conſtat corporibus; de quo accidentes paſſiones dicimus eſſe ſumendum. Eſt autem ex neceſſitate continuus quodammodo iſte ſuperioribus lationibus, vt omnis ipſius virtus inde gubernetur: vnde enim motus principium omnibus ineſt, illam cauſam putandum primam.* Si ergo cæleſtia corpora gubernant omnes virtutes corporum ſubcæleſtium; iam nullam earum proxime proprieque producunt: at vero quæcunque virtutes inſunt corporibus noſtratibus a cælo non productæ, ſed gubernatæ ſolum, elementariæ neceſſario ſunt; nam præter cæleſtes in corporibus aliæ nullæ reperiuntur virtutes quam elementales. Anulorum itaque varijs imaginibus figuratorum apud antiquitatem virtutes admirabiles, vtcunque pendeant a cæleſtibus corporibus velut a cauſa remota & æquiuoca, nituntur tamen elementari natura veluti cauſa proxima & vniuoca. Quam diu ſæpeque mihi inquirenti, tandem illud occurrit aſſerendum, Characteres, atque figuras impreſſas anulis aſtronomicis ab antiquis, non eſſe cauſas virtutem mirabilium euentuum procreatricem impertientes, vt hactenus ab eas laudantibus apud nos creditum eſt; ſed eſſe pura ſigna mirabilis eius virtutis a cælo vtcunque communicatæ metallo, gemmæ, vel alteri cuiuis materiæ anuli, in ortu ſuo: Quod vtrumque ſeorſum explicare lubet ex Ariſtotele, nec non ex ipſa rei natura. Primum quidem, quia figura nulla materiei naturali ab artifice impreſſa poteſt eſſe principium effectiuum motus vllius, non localis, non alterationis, non augmenti, decrementive, non generationis, aut corruptionis; quod motus mutationisque cuiuſcumque principium abſolute ſola natura ſit, prout ab arte, formaque artificiali contradiſtinguitur; vt optime docuit Ariſtoteles aſſerens tum, (*b*) *Omnia enim quæ dicta ſunt* (numerauerat autem corpora pure naturalia) *videntur differentia ab ijs, quæ non natura exiſtunt: quæ enim natura ſunt, omnia videntur habere in ſeipſis principium motus & ſtatus, hæc quidem ſecundum locum, illa vero ſecundum augmentum & decrementum, quædam autem ſecundum alterationem. Lectus autem, & indumentum, & ſi quid huiuſmodi aliud genus eſt, ſecundum quod*

g 1. meteor. c. 2.

Aſtrologicorum anulorum vires non eſſe ſuperelementares.

Imagines anulorum mirabiliũ vt ad cælicam virtutem referenda.

Figura nullam habet vim motricem.

1. ratio.

b 2. phyſ. c. 1. & 2.

quidem ſortitum eſt prædicationem vnamquamque, & quatenus eſt ab arte, ne vnum quidem habet impetum principiumve mutationis innatum : quatenus autem accidit
i 4. cęl. t. 42 *ipſis lapidea, aut terrea, aut miſta ex his* eſſe, *catenus habent* : tum etiam, (i) *Figuræ autem non ſunt cauſa vt ferantur ſimpliciter aut deorſum, aut ſurſum*. Quum igitur virtutes anulorum admirabilia præſtantes euenta, ſint principia motuum, quibus effectus illi promouentur, nimirum alterationum, lationum, generationum, & id generis; certo certius eſt, imagines arte ſculptas in anulis eſſe non poſſe cauſas vllorum euentuum, nedum admirabilium effe-
2. *ratio*. ctuum paſſim ab antiquis celebratorum. Deinde quamuis in ortu ſuo lapides, metalla, vt & homines, & alia ſingula genita ſub cælo, ſortiuntur ab aſtris certisque conſtellationibus, eo tempore vigentibus, determinatos temperamenti gradus, & cum eiuſcemodi temperamento peculiares quaſdam inclinationes, atque virtutes; poſt harum rerum productionem tamen figura ab Artifice in anulis efformata ſub quacumque cæli forma, & aſteriſmorum conſtitutione, nullas omnino producere poteſt aut indere lapidi, metallo, ac anuli materiei nouas virtutes, nullas inclinationes, nullasque virtutum augmentationes; quia figura ſolum rei quantitatem terminat, & materiam forinſecus afficit in ſuperficie; proindeque nullius eſt actionis phyſicę; nulliusque motus effectiuum principium; ſiquidem omnis actio
k 1. phyſ. t. 55. 56. phyſica motusque rebus quibusque prouenit efficienter a forma (k) ſubſtantiali, & ab eius eſſentia, naturaque interna: figuraque formam eſſentialem, ac temperamentum, vnde vis omnis actiua prouenit cuique rei, mi-
3. *ratio*. nime tangit, aut afficere valet. Deinceps quum longe facilius ſit, corpora loco mouere, quam alterare, virtutemque nouam illis conciliare, aut priſtinam adaugere; quoniam motus localis minus mutat ſubſtantiam mobilis
l 8. phyſ. t. 59. quam alteratio, vel quæuis alia mutatio, decretis Ariſtotelis, cui (l) *Et propter hæc, & quia minime motuum, id quod mouetur, dum fertur, a ſubſtantia diſcedit; ſecundum enim ſolam nihil mutatur ab eſſe, vt quum quid alteratur, quale; quum vero augetur & diminuitur, quantum* : profecto quum figura nequeat eſſe cau-
m 4. cæl. t. 42. ſa lationis, Ariſtotele (m) doctore: iam figura ſculpta in anuli lapide, vel metallo ab artifice nullam omnino vim ipſi phyſice communicare valet. Denique ſi figura naturalis cuique, non tribuit ſubiecto ſuo motricem actiuamque vim vllam; multo minus id efficere poterit aduentitia figura, non a generante phyſico educta ex internis eius principijs, conſequens rei formam eſſentialem, ac proprium temperamentum, ſed ab artifice forinſecus impreſſa: modo figuras naturales non eſſe cauſas productrices virtutum actiuarum, ex eo plane conſtat, tum quod lapides eiuſdem ſpeciei, ab agente naturali ſub varijs figuris irregularibus efformati, non ideo varias, & diuerſas vires actiuas obtinent, ſed vnas & eaſdem, congruentes vni & eidem eorum omnium ſpeciei eſſentiali, ac vni, & eidem illorum omnium temperamento ſpecifico: tum quod aſtra, cæleſtiaque corpora ſingula, diuerſam ſpecie lationem obtinent, virtutemque motricem & actuoſam valde variam ab alijs; etiamſi conueniant in eadem figuræ rotunditate: tum etiam quod
Iaſpidis vires variæ Iaſpis, quacumque figura donetur, ſiue naturali, ſiue artificiali, ſemper eaſdem vires habet ab vnica ſui forma ſubſtantiali, ab vnica ſui determinatæ ſpe-

ſpeciei temperatura; ſemper enim ſanguinis fluxum cohibet, ſiue rudis collo *mirabiles ad*
appenſa, ſiue arte in monili aut anulo quacumque forma geſtetur; vt ſupra *phyſicā cau-*
vidimus apud (n) Galenum, & Nechepſum: vt Camillus Leonardus aſſerit, *ſā redacta.*
dum nulla facta mentione figuræ, de Iaſpide ſcribit, (o) *Geſtatus febrem ac hy-* *n* 9. de ſim-
dropiſim fugat, viſum clarificat, noxia pharmaca expellit, luxuriam cohibet, & con- pl. med. fa.
ceptum negat: & maxime viridis cum croceis venis prægnantibus ſeu parturientibus c. de lapid.
auxiliatur: victorioſum, potentem, ac gratum geſtantem facit. Sed præ alijs virtuti- *o* 2. de la-
bus omnibus ſpeciebus hæc in primis eſt, omnem ſanguineum fluxum, vndecunque ſit, pid. c. 7.
ſiſtere: debet argento ligari, quoniam ſuas auget virtutes: quæ nimirum prodeunt
a certo gradu temperamenti frigidiuſculi; nam refrigerantia forinſecus ad-
hibita ſanguinem ſiſtunt, claudendo meatus, per quos effluit. Et Iaſpis fri-
giditate ſua concentrando calorem, ipſum (p) vegetat, Hippocrati; quo ve- *p* 1. aph. 14.
getato pollentes homines gratioſi ſunt, potentes, atque victores; etenim 15.
Aquilonares Europæi frigidum aerem incolentes, bellicoſi ſunt & fortes;
e contra molles, & effœminati ſunt Afri, & Aſiatici, qui calidiores habitant
regiones, eneruato iis interno calore, qui virium robur, & fortitudinem
præſtare deberet, ab exterioris ambientis caliditate, illum ad ſe trahente, ac
eliciente. Prodeſt prægnantibus Iaſpis ad continendum immaturum par-
tum, ne abortiant, clauſu meatuum naturalium: iuuat parturientes concen-
trati caloris natiui robore; quo plane opus eſt ad expellendum maturum
fœtum. Conceptum vero negat, refrigerato quomodocunque geſtantis
habitu, & ſemine, ſanguineque ad conceptionem neceſſario; nam ſemen,
niſi plurimo ſpiritu caloreque polleat, infecundum eſt; etenim vel ſolo lon-
giuſculi penis ductu paululum refrigeratum ſperma, prorſus ineptum eua-
dit ad conceptionem promouendam, Ariſtotele Magiſtro, (q) cui *Serpentes* *q* 1. de gen.
complexu mutuo coeunt: carent teſtibus, & pene, vt dictum iam eſt; pene, quia cruri- an. c. 6.
bus carent; teſtibus, propter ſui corporis longitudinem: meatus, modo piſcium habent:
quod enim eorum natura porrecta in longum eſt, ſi præterea in teſtes protraheretur,
refrigeraretur genitura propter moram longioris itineris: quod ijs quoque accidit, qui-
bus penis immodicus eſt; ſunt enim infecundiores ijs, quibus mediocris, propterea
quod ſemen frigidum infecundum eſt; refrigeratur autem, quod longe admodum fer-
tur: Itaque Iaſpis refrigerando, conceptionem impedit; refrigerando in-
quam tum ſemen virile, tum ſemen, ac menſtruum muliebre. Sed & eadem
ratione refrigerandi cohibet luxuriam; quod hæc ſolo calore ſtimulata de-
bacchatur in Venerem. Noxia quoque pharmaca Iaſpis expellit, concen-
trando calorem naturalem influentem; cuius valentis eſt pellere omnia no-
xia extra corpus. Viſum itidem clarificat Iaſpis eandem ob cauſam, diſcuſ-
ſis nimirum tenebricoſis vaporibus, ac tetris halitibus, attenuatiſque ſpiri-
tibus craſſioribus, ad oculos confluentibus, a concentrati caloris vi poten-
tiore. Non aliter hydropem fugat, quod ea proueniat ab extinctu caloris in
hepate, ac omnino in viſceribus imi ventris; vt omnes Medici recipiunt ab *r* de loc. in
(r) Hippocrate, & (*) Galeno, quibus etiam (ſ) ventres hieme natura ca- ho.
lidiſſimi ſunt, hoc eſt naturali calore, ob concentrationem ab ambientis fri- * 7. de nat.
giditate, pollentiſſimi. Febrem denique fugat Iaſpis, non ſolum refrigeran- fa. 8.
do, quod febris eſt intempeſtes calida; ſed etiam augendo concentratione *ſ* 1. aph. 15.

r 6.epid.1. calorem naturalem; quem validum ait (r) Hippocrates eſſe morborum omnium Medicum & propulſatorem. Sic ergo vires habet actuoſas iſtas Iaſpis, & quiuis alius lapis alias ſibi proprias a ſuo temperamento, non autem ab vlla figura, ſibi vel a natura, vel artifice communicata; nam & ſupra vidimus apud Monardem, Indicum lapidem Yjada nephriticos curare, calculos, & arenulas educere geſtatum, ſiue rudem figuram retineat ſibi natiuam, ſiue ſortitus ſit ab artifice figuram aut piſcis, aut cordis, aut auiculæ, aut capitis roſtrive pſittaci. Non ergo anuli aſtrologici priſcorum habuerunt actuoſas illas vires admirabiles a figuris in eorum pala, vel gemma ſculptis. Quod erat primum explicandum. Circa ſecundum, figuras nimirum anulorum ſeu lapidibus, ſeu metallis quomodocumque communicatas, eſſe ſigna virtutum admirabilium illis a natura conuenientium, illud ante omnia ſciendum eſt, Signorum duo eſſe genera, naturalia ſcilicet, atque arbitraria, ſeu ſi mauis dicere artificialia; naturalia ſigna ſunt, quæ nullo prorſus humano artificio aut arbitrio reperiuntur in rebus ab earum natura: ſed arbitraria, ſiue artificialia ſigna ſunt illa, quæ ad placitum hominis ponuntur & efformantur in aliqua re ad aliquid ſignificandum: quam quidem ſignorum varietatem ac differentiam habemus & extra hominem, & in homine: extra hominem fumus eſt ſignum naturale caloris ignei, vel ignis; & area circa Solem aut Lunam in ſublimi viſa, conſiſtens integra ſignum naturale pluuiæ ponitur ab (u) Ariſtotele: marceſcens, indicium ſerenitatis: diſtincta, venti: permiſta, aquæ: at vero literæ, quas ego delineo nunc iſta ſcribens, indicia ſunt mearum vocum, mearumque cogitationum arbitraria, ſiue artificialia, ſicuti conſtat ex (x) Ariſtotele: cui ſimiliter in homine ſermones, verba, & nomina rerum, ſunt arbitraria ſigna conceptuum animi loquentis, non autem naturalia: ſed inarticulatæ voces eiulantium, & ridentium ſunt ſigna naturalia doloris, atque lætitiæ interioris. Ita ſane figuræ corporibus a natura inditæ, ſine vllo artificio humano, ſine vllo nutu placitove voluntatis humanæ, poſſunt eſſe ſigna naturalium paſſionum & inclinationum, viriumque figurati corporis non ſolum inanimati, ſed potiſſimum animati. De animato quidem hoc euidentiſſimum eſt; etenim variæ membrorum noſtrorum figuræ ſunt euidentia naturaliaque ſigna Phyſiognomicis variarum propenſionum & affectionum noſtrarum; quia naturaliter indicant peculiarem temperaturam corporis, quam animi mores paſſim phyſice ſequuntur; quod non ſolum oſtendit Galenus edito commentario ſub eodem titulo, *Quod animi mores ſequuntur temperaturam corporis*; verum etiam Ariſtoteles (y) in Phyſiognomicis decernit ex forma corporis exteriori, quæ figura dicitur, tam in brutis, quam in hominibus, cognoſci vires & paſſiones ac propenſiones animarum. Rudiora ſigna ſunt figuræ naturales inanimatorum, quia non ſunt ita determinatæ, regularesve, nec ita nobis perſpectæ, ſicuti ſunt animantium figuræ naturales; proptereaque vel exilia, rudiaque, vel nulla plerumque ſunt ſigna naturalia virium internarum ſita in figuris lapidum, metallorum, aliorumque corporum vita carentium, ſibi a naturali genitore in ortu quomodocunque inditis. Ceterum characteres, & omnino figuræ ſculptæ lapillis & metallis anulorum a priſcis aſtrologis, arbitraria ſunt & ar-

Sigilla ut ſint indicia mirabilium virtutum in anulis.

u 3.meteo. ſu.2.c.2.

x 1. de interp c.1.& ſeqq.

y c.1. & ſeqq.

artificioſa penitus indicia virtutum internarum lapidi, metallo, vel anulo communicatarum a natura, tam propria, quæ temperamentum eſt vniuſcuiuſque, quam etiam communi, quæ cælum eſt: etenim ſciuerunt antiqui ſapientes, & præſertim Aſtrologi, quod(z) & Ariſtoteles, aſſeuerans, *Et in æquali tempore corruptio, & generatio, quæ ſecundum naturam. Ideo & tempus, & vita vniuſcuiuſque numerum habent: & hoc determinatur: omnium enim eſt ordo: & omne tempus, & vita menſuratur circuitu: ſed tamen non eodem omnia; ſed hæc quidem minori, hæc autem maiori; his enim annus, his autem maior, alijs autem minor circuitus eſt menſura. Apparent autem & ſecundum ſenſum confeſſa his, quæ a nobis dicta ſunt: videmus enim, quod adueniente quidem Sole generatio eſt* (ſcilicet in vere, plantarum maxime, ac animalium generatio promouetur (*recedente autem corruptio* (nimirum autumno & hieme plurimæ plantarum & animantes emoriuntur, præ reliquo anni tempore) *& in æquali tempore vtrumque; æquale enim tempus generationis, & corruptionis, quæ ſecundum naturam. Sed contingit ſæpe in minori corrumpi, propter ad inuicem confuſionem; inæquali enim exiſtente materia, & non vbique eadem, neceſſe eſt generationes inæquales eſſe, & has quidem celeriores, illas autem tardiores; quocirca accidit propter horum generationem alijs fieri corruptionem.* & alibi, (a) *Qui itaque circa terram eſt mundus totus, ex his conſtat corporibus, de quo accidentes paſſiones dicimus eſſe ſumendum. Eſt autem ex neceſſitate continuus quodammodo iſte ſuperioribus lationibus, vt omnis ipſius virtus inde gubernetur: Vnde enim motus principium omnibus ineſt, illam cauſam putandum primam. Adhæc autem, hic quidem perpetuus eſt, & finem motus non habens loco, ſed ſemper in fine; hæc autem corpora omnia finitis diſtant locis ab inuicem. Quare accidentium circa ipſum ignem, & terram, & cognata his, vt in materia ſpecie eorum, quæ fiunt, cauſas oportet putare; ſubiectum enim & partes appellamus hoc modo: cauſa autem vt vnde motus principium, eorum, quæ ſemper mouentur, virtus ponenda.* Et alio loco fuſius ac euidentius, (b) *Vteri autem ferendi tempora certa cuique animalium ſunt magna quidem ex parte pro vitæ ſpatio: viuaciorum enim generationes quoque diuturniores eſſe neceſſe eſt. Non tamen id cauſa eſt, ſed magna ex parte ſic euenit: maiora enim perfectioraque ſanguinei generis animalia plus temporis viuunt; ſed non omnia maiora ſunt viuaciora: homo enim plus temporis quam quoduis animal viuit, excepto elephante; quod quidem vſu adhuc fide digno nouerimus; quanquam homo minoris eſt incrementi, quam veterina, & alia multa. Cauſa, vt quoduis animal poſſit diu viuere, eſt, quod pro aëre ambiente temperatum ſit, atque etiam ob alios naturales caſus, de quibus mox dicam. Tempora ferendi vteri pro magnitudine animalium, quæ generantur, deſcripta ſunt: haud enim tempore breui conſtitutiones perfici magnas vel animalium, vel quorumuis aliorum fere facile eſt. Quamobrem equi, & quæ ijs cognata ſunt animalia, quanquam minus temporis viuunt, tamen diutius vterum ferunt; alia enim annum, alia quod plurimum menſes denos grauida exigunt: hac eadem de cauſa elephantorum etiam vterus diutinus eſt; biennio namque geſtatur, propter exuperantiam magnitudinis. Ratione autem optima tempora omnium & grauiditatum, & generationum, & vitarum dimenſionem circuitibus ſuis expoſcunt recipere: Circuitum appello diem, noctem, menſem, annum, & tempora, quæ ijs deſcribuntur, atque etiam Lunæ traiectiones; ſunt enim Lunæ circuitus complementa, & ſilentia, & interpoſitorum temporum ſectiones; ita*

z 2.de gen. t.57.58.

a 1.meteor. c.2.

b 4.de gen. an.c.10.

enim

enim coit cum Sole: menſis namque communis amborum circuitus eſt. Luna autem principium eſt propter Solis ſocietatem, receptumque lucis; fit enim quaſi alter Sol minor: quamobrem conducit ad omnes generationes, perfectionesque; calores enim, & refrigerationes cum moderatione quadam generationes; ſine moderatione corruptiones efficiunt: terminum autem tum principij, tum finis qualitatum earum motus horum ſiderum obtinet: vt enim & mare, & omnem humorum naturam ſubſiſtere, mutari ve, pro flatuum motu & quiete videmus; aerem vero & flatus pro Solis, Lunæque circuitu affici; ſic ea, quæ ex ijs, aut in ijs oriuntur, ſequi neceſſe eſt; nam vt rerum minus principalium circuitus ſequantur, magis principalium rerum circuituum ratio eſt: vitam enim quandam, & ortum, & interitum vel flatuum eſſe fateor. Conuerſionis vero eorum ſiderum alia fortaſſe principia ſunt. Natura igitur ita ſibi vult, vt eorum numeris generationes, & obitus numeret, ſed exquiſite id facere nequit propter materiæ indefinitionem, & quod multa principia incidunt, quæ generationes deſtinatas ſecundum naturam, & corruptiones ſæpe impediant; atque ita cauſa ſint earum, quæ veniunt præter naturam, ſcilicet, vt in generatione animalium contingit, fætum in ortu ſuo, ſtatim ac a partu materno tangit ambientem aerem, ab hoc affecto certis aſtrorum tunc dominantium qualitatibus, determinatum temperamenti gradum acquirere, quem ſpeciales quædam virtutes actiuæ conſequantur, & inclinationes quædam peculiares, toto tempore vitæ nati perdurantes in eo, alias maiores, alias minores, pro varietate conſtellationum eo tempore culminantium, horoſcopantium, adeoque vigentium, & aerem ambientem, ac vna cum ipſo, vel ſi placet etiam per ipſum rem quamlibet in ipſo naſcentem alterantium, certoq; temperamento donantium: ita

c 1. de gen. An. cap. 2. prorſus vbi lapides & metalla, poſt longam in vtero (c) terræ veluti prægnantis moram & conformationem, in effoſſione quaſi partu obſtetricio foſſorum educuntur in ambientem aerem, illico ſortiuntur ab aſtris eo tempore dominantibus vna cum aere, vel ſi mauis per ambientem, illos temperaturę gradus, quos conſequuntur virtutes vniuſcuiusque geniti ac exorientis corporis naturæ conuenientes, modo validiores, modo debiliores, pro vigore dominantis aſteriſmi, & pro varia diſpoſitione materiæ tum aeris ambientis, tum rei quoque in eo naſcentis; quin & pro abſentia, vel præſentia impedientium forinſecus occurrentium principiorum. Hæc omnia, perinde atque Ariſtoteles, agnoſcentes Aſtrologi priſci, quibus curæ fuit anulos condere mortalium vitæ maxime proficuos & ſalutares, elegerunt lapides, & metalla, quorum effoſſio facta fuerit ſub dominio ſiderum, quibus illorum virtus ad multas & determinatas vtilitates, & admirabiles operationes efficax eſſet; atque lapides eiuſcemodi, metallaque, poſteaquam in anulum compoſita compactaque fuerint, imprimunt certis characteribus atque figuris, indicantibus inſignes illorum corporum virtutes ab aſtris hauſtas; quas imagines effingunt analogia quadam philoſophica deſignantes naturam virtutis anulorum, vt ſupra notauimus ex Tralliano. Verum, quia præter metalla, & lapides, in anulorum conſtructione Aſtrologi ſumunt etiam herbas, quarum origo e terra longior eſt, quam vt vnius aſteriſmi culminatum, horoſcopatum, adeoque dominatum ſentiat ac perpetiatur; ideo ſtirpium non originem, ſed euulſionem, ac præciſionem obſeruant;

etenim

etenim compertum eſt pro vario Lunæ ſtatu ligna cędi durabiliora, vel cito putreſcentia; ſic (*f*) Plinio, *Infinitum refert & lunaris ratio; nec niſi a viceſima in triceſimam cadi volunt: inter omnes vero conuenit, vtiliſſimum in coitu eiuſdem ſterni; quem diem alij Interlunium, alij ſilentis Lunæ appellant. Sic certe Tiberius Cæſar concremato ponte naumachario, larices ad reſtituendum cadi ex Rhætia præfiniuit: quidam dicunt vt in coitu, & ſub terra ſit Luna; quod fieri non poteſt niſi noctu: at ſi competant coitus in viceſimum diem brumæ, illa ſit æterna materies.* M. Varro quoque ſcribit, (*g*) *Siluam caduam fieri debere ſeneſcente Luna. Caſſianus item*, relatu (*h*) Portæ, *addit ſuis præceptionibus cadendorum lignorum Luna ſub terris latente, & in coitu; additque rationem; quia Luna lumen ligna molliora facit.* Et Columella (*i*) ſcribit, *Nec minus in ædificia ſuccidere arborem; ſed vtraque melius fiunt Luna decreſcente ab vigeſima vſque in trigeſimam; quoniam omnis materia ſic cæſa iudicatur carie non infeſtari*, & alia multa, quæ de propoſito retulimus in noſtris (k) Reſponſis de Quæſitis per Epiſtolas a Cl. Viris.

f l.16.c.39.
g r. de re ruſt.c.37.
h 2.vill.c.5
i lib.9.c.1.
k ad ep.3.

Ita ſane peritiores aſtrologi priſci cognoſcentes, quo ſidere dominante quælibet herba debeat euelli, atque præcidi ad effectus determinatos & admirabiles per anulorum geſtationem promouendos, herbam oportune collectam anulis concluſere, quibus notas impreſſerunt indicantes ea mirabilia, quorum anuli vi talium herbarum, lapidum & metallorum deſtinatis temporibus effoſſorum, ac euulſarum forent effectores. Quare non eſt vt figuris & characteribus in anulo deſignatis attribuamus vim effectricem admirabilium operationum; nam imagines illæ vim eam tantum indicant vt ſigna, non exercent vt cauſæ; nec eam vim indicant natura ſua, ſed ad placitum ſapientis Aſtrologi, qui lapides & metalla ſeligit effoſſa ſub appropriatis conſtellationibus, & herbas colligit ſub oportunis aſtrorum aſpectibus ad hunc finem ſibi propoſitum. Anulos eiuſcemodi, quamplurimos conſtituere docuerunt Arabiæ ſapientes, atque Chaldæi, Aſtrologorum pater Zoroaſter, atque Thetel Hebræus antiquiſſimus: ſi verum eſt quod teſtatur Camillus Leonardus in opere ſuo de Lapidibus; ac non bene putat vulgus, hos viros doctiſſimos in arte ſua dediſſe vim effectricem operum admirabilium puris characteribus & imaginibus, quas laudant & prædicant in anulis a ſe conditis & approbatis; aut voluiſſe figuram eandem cuicunque Iaſpidi, vel argento, v.g. quocunque tempore de terræ viſceribus effoſſo, & cuicunque ſtirpi hierobotani, vel pulegij, quocumque die de terra euulſæ, deſignare, ferreve ſecum vires admirabiles in anulo, dummodo figura ſculpta ſit ſub certis aſtrorum aſpectibus. Quod ſi contendant Aſtrologi, conſtitutionem figuræ characterumque in anulo ſub aſteriſmis congruentibus æthereo ſigno vigenti dominantique tempore natiuitatis, effoſſionis ve lapidis & metalli, ſtirpiſque collectionis, non nihil adiungere poſſe virtutibus in ortu ſeu potius erutu metalli, lapidis, & herbæ per ambientem a cælo conquiſitis, neque valde repugnauero, neque ſatis accepero, niſi ſuum dictum vlterius aliqua ratione communiuerint: Illud enim ſemper credidero; figuram & imaginem natura ſua non habere phyſice vim vllam actuoſam, ac vllius rei effectricem; proindeque nec eam a cælo ſortiri poſſe, quod eſt agens mere phyſicum. Verum enimvero ſcio, virtute ſupernaturali, iuſſu ſummi Dei,

N cui

Signa vt virtutē effectricē habeant.

l Paul. ep. ad Rom. c. 4.

m 3. cont. gent. c. 92.

n 3. Chil. hiſt. 60.

cui prorſus omnia parent & obedientia ſunt, tam eã quæ ſunt, quam ea quæ non ſunt; vt edocet ſacra (*l*) pagina, poſſe figuras & characteres ad ea peragenda eleuari, quæ per ſe ſimplici ſua natura nullo modo nullaque ratione poſſent efficere: ſic plane ſignum Crucis, tam fideli & ſacra manu in aere factum, ac ſuper ægrotantes, quam pictum in parietibus Eccleſiæ, vel in vexillo Chriſtiani Imperatoris, admirabiliter fugare Dæmones, pellere tempeſtates, mouere montes, cicurare feriſſimas belluas, easve necare, multiplicare nutrimenta, ſanare morbos, & victores reddere pios exercitus, ex hiſtorijs orthodoxorum habeo. Sed eiuſcemodi ſigna non attinent ad anulos antiquos, quorum in præſentia virtutes admirabiles conſideramus; quæ nobis petendæ ſunt a naturali cauſa, non ab agente ſupra naturæ vires. At vero cæleſtium conſtellationes, quæ vel Diui(*m*) Thomæ, cunctorumque fere Theologorum noſtratium conſenſu, conciliare poſſunt exorientibus hominibus inclinationes varias, propenſionesque validas ad virtutes, vitia, morbos, pericula, & id generis infra neceſſitatem, quin & vires efficaces admirabilium effectuum procreatrices, vnica temperamenti determinati gradus communicatione, quem temperaturæ gradum illi mirabiles euentus conſequuntur naturaliter; profecto conſimili ratione lapidibus, & metallis, velut exorientibus in eorum effoſſione, ac ex terræ ſinu, velut ex vtero magnæ matris eductione, ſtirpibusque pariter in earum eductione collectioneque de natali ſolo, ſidera tunc dominantia poſſunt impertiri gradus illos temperaturæ, quos conſequantur virtutes naturales, admirabilium euentuum, qui tribuuntur anulis aſtrologicis antiquorum, procreatrices; quas quidem vires illi priſci ſapientes in anulo quibuſdam ſignis & characteribus adumbrauerint, analogiam quampiam habentibus cum effectibus admirandis, vel cum rebus, in quas potentes eſſent: Ac vt ſimulachris ciconiarum in effoſſo ad certas conſtellationes marmore ſculptis olim Apollonius ex Byzantio Ciconias pepulit omnia vaſtantes, & imagine ſculpta culicum in marmore conſimili ſculpta culices infeſtas ex Antiochia fugauit, vt aſſerit (*n*) Tzetzes: ita figuris, & notis inſculptis anulo, cuius materies ad certas cæli configurationes eruta fuiſſet ex terra, potuerunt indicari vires, quibus ea materie valuerint morbi, resque mirabiles effici: nec abnuerint eiuſcemodi fuiſſe priſcum anulum, de quo Trallianus Claſſicos inter Medicos illuſtris, aſſerens imaginem Herculis ſupine iacentis, & Leonem ſtrangulantis anulo incluſam, digitoque geſtatam, peculiare amuletum eſſe ad dolorem colicum: nimirum Hercules dicitur voraciſſimus multo calore plurimum alimenti digerere ſuetus, nullis cruditatibus, vnde colicus dolor enaſcitur, obnoxius; in cælo dominans aſteriſmo ſuo metallis effoſſis vim, concoctricem facultatem adiuuandi largitur; & vt ſupinus effigiatus decumbentem in lecto colico dolore preſſum hominem ſignat; ita Leone ſtrangulato denotat morbum a ſuo anulo ſuperari: nam veterum mos fuit, per ænigmata, & analogiſmos philoſophiam, medicinam, & alias facultates edocere, ne paſſim doctrinas vulgo veluti proſtituerent: Eiuſmodi fuiſſe datos anulos ab Iarcha Tyaneo veriſimile ſatis eſt; quos ſupra vidimus efformatos ad imagines planetarum.

De

De Anulis Magicis antiquorum; & quomodo mirabiles effectus parerent vbi de Paredris Anulo incluſis. Cap. XXII.

ARchitectati præterea ſunt anulos antiqui, partim gemmatos, partim
abſque gemma, penitus alithos: partim cum pala, partim abſque fun- *17. an. fin. ξ.*
da, penitus apiros: partim figuras & characterum imagines notas obtinen-
tes, partim ignorabilia ſimulachra, ſignaque non intelligibilia continentes;
quin etiam rudes anulos ſine characteribus, ac ſine figuris vllis compege-
runt, quorum geſtatu qua ſupra, qua contra naturæ vires, & ordinem facino-
ra mirabilia perpetrabant; quod in eiuſcemodi anulis Dæmon incluſus, vel
ijs aſſiſtens, ex pacto Magi, vel ſortilegæ nequam, fucum faceret aſtantibus,
oculosque præſentes præſtigio falleret: quodve citiſſime clandeſtine paſſi-
uis naturalibus applicans actiua congrua nouos & inexpectatos effectus
mirabilium curationum, aut morborum, aut aliarum eiuſmodi rerum pro-
moueret. Huius ordinis anulorum ſane famigerabilis ille fuit Gygianus,
a Platone ita deſcriptus, (a) *Gygen fuiſſe ferunt mercenarium paſtorem eius, qui* a 2. de Rep.
tunc Lydis imperabat: magna autem imbrium tempeſtate exorta, motaque terra, fe-
runt terram hiatum feciſſe in ea regione, vbi ille armenta paſcebat. Quæ quum vi- *De anulo*
diſſet mirabundus, in hiatum deſcendit, conſpexiſſeque & alia quæ fabulantur miran- *Gygis natu-*
da, & equum æneum concauum, & per feneſtram cadauer in aluo equi animaduertit, *ra explica-*
maius quidem humana forma: hoc nihil aliud habebat, præter aureum in digito anu- *tur.*
lum: quo ſublato abijt: ac paulo poſt ad paſtoralem peruenit conuentum, in quo lega-
tus de rebus peculij ad Regem per ſingulos menſes referendis creandus erat; iuxtaque
alios aſſedit. Acciditque vt quum forte gemmam introrſum ad manum verteret
anuli, quem a cadauere arripuerat, ſubito a nullo conſpiceretur, alijque de illo tan-
quam abſente loquerentur. Admiratus ergo gemmam rurſus extrorſum conuertit:
quo facto, rurſus apparuit. Hoc ille animaduertens, diligentius periculum fecit,
quod verſa a ſe gemma, a nemine videretur; verſa autem ad alios, conſpicuus fieret.
Quod quidem expertus, curauit vt legatus ad Regem vna cum alijs mitteretur: pro-
fectusque, vxorem eius ſtuprauit; & de Rege interficiendo cum ea conſilium inijt: quo
caſo, regnum aſſumpſit. Conſimilem, aut eundem anulum Midæ Plinius exti-
tiſſe ſcribit; ſed fabuloſum id antiquorum eſſe commentum, cui fides adhi-
benda non ſit, aperte decernit, inquiens, (b) *Midæ quidem anulum, quo circum-* b l. 33. c. 1.
ducto habentem nemo cerneret, quis non etiam fabuloſiorem fateatur? ita dicentem
notat in ſuis notis Dalechampius memoria lapſum, quod Midam pro Gyge
ſubſtituerit, de quo Plato & (c) Cicero. Sed quid ni Midas habere potuerit c 3. de offic.
anulum Gygiano ſimilem? quidni potuerit etiam vnus & idem anulus ab
vno ad alterum illorum peruenire? Midas enim regio genere Gordij filius
Adraſtum genuit, interfectorem Atydis, Cræſi filij, qui auum Alyatem ha-
buit, proauum Sardiatem, abauum Ardyn, atauum Gygen; vt in Clio me-
morat Herodotus: quare a Gyge potuit idem anulus ad Midam peruenire.
De fabuloſo commento nihil omnino certi valeas affirmare; quum fieri po-
tuerit Magicis præſtigijs a Dæmone, quem ille gigas fortaſſe Magus dum

viueret, volentem anulo concluſerit atque ligauerit ex pacto, vt anulum gerens abdita funda, ſiue gemma introrſum ad manum conuerſa, celaretur inuiſibilis omnibus aſſiſtentibus: etenim ſatis conſtat, magas interuentu Dæmonis occultare conſueuiſſe viri genitalia, quem ligare velint, ne coeat in venerem cum vlla feminarum; ita vt illemet ſibi videatur amputatus virilia membra, ceteriſque pariter appareat verenda mutilatus; quæ tamen in ſe reipſa gerit inuiſibilia præſentibus & eum nudum inſpectantibus omnibus; mox iiſdem partes illas genitales in proſpectum exerturus, quando Dæmon inde remoueat præſtigioſam illuſionem; de qua vel ipſe D. Thomas ait,
d 1.p.q.3. a.4. (*d*) Angelos olim percuſſiſſe Sodomitas cæcitate, ne poſſent inuenire domus oſtium, quam ianuam ſolam illis inuiſibilem reddidit, cetera bene perſpi-
e in Gen.q. 45.to.4. cientibus; vt notat (*e*) D. Auguſtinus in gloſſa. Sed & paulo poſt D. Thomas addit, (*f*) Poſſe ſenſus humanos ab Angelis immutari, vel obijciendo ſen-
f in cõcluſ. ſui aliquod ſenſibile exterius, vel intus humores concitando ad varias ſen-
g 1.p.q.114 ar.4.ad 2. ſus apparitiones. Et adhuc infra dicit, (*g*) *Et ſi aliquando aliquid tale operatione Dæmonum fieri videatur, hoc non eſt ſecundum rei veritatem, ſed ſecundum apparentiam tantum; quod quidem poteſt dupliciter contingere, vno modo ab interiori, ſecundum quod Dæmon poteſt immutare phantaſiam hominis, & etiam ſenſus corporeos, vt aliquid videatur aliter quam ſit, ſicut ſupra dictum eſt: & hoc etiam interdum fieri dicitur virtute aliquarum rerum corporearum: alio modo ab exteriori; quum enim ipſe poſſit formare corpus ex aere cuiuſcunque formæ & figuræ, vt illud aſſumens, in eo viſibiliter appareat; poteſt eadem ratione circumponere cuicunque rei corporeæ quamcunque formam corpoream, vt in eius ſpecie videatur.* Quare & humano corpori ſpeciem aeris diaphani, humanum corpus occultantis; vel etiam ſpecies viſibiles illius obiecti, ad viſionem neceſſarias oculo ſubducentis. Quas operationes olim factas ab Angelis bonis legimus in
h Gen. 18. & ſeqq. ſacra pagina ſub forma virorum apparentibus (*h*) Abrahamo, (*i*) Iacobo, atque (k) Thobiæ. Sed hac de re Delrius agens de cauſis maleficij ligaminis
i Gen.37. infit, (*l*) *Septima cauſa eſt rarior, nempe muliebrium locorum obſeruatio, vel nimia*
k Thob. 5. & ſeqq. *coarctatio; aut viri genitalium retractio, abſconſio, vel vera ademptio. De virili huiuſmodi calamitate narrationes varias ſui temporis proponunt (m) Sprenger, &*
l to.2. l.3. p.1. ſect.8. *(n) Remigius. Quoad retractionem, & abſconſionem, forteſſis illa naturaliter fieri poſſet; quanquam dubito, & inclino in negantem partem. Ademptionem conſtat eſ-*
m 2. mall. q.1.c.7. *ſe ſemper merum præſtigium: Nequit enim* (dixerat (*o*) antea) *efficere Dæmon vt corpus quantum & coloratum vere reddatur inuiſibile illis, coram quibus exiſtit,*
n 2.dæmonol. c.5. *oculis eorum ſanis & non præſtigiatis; quamuis fieri queat vt per accidens aliud illud non videant; nam ſi corpus illud celeriter alio transfert, iam præſens illis non eſt*
o to.1.l.2. q.17. *hoc corpus: ſi vero ſpecies viſiuas, ne in oculos adſtantium commeent, per corporis alicuius interpoſitionem, vel per nimiam aeris agitationem, impediat: vel corpus illud alia ſibi poſſibili ratione transformet (hos enim modos inuenio ſolere ab illo vſurpari) corpus illud tunc quidem actu non videbitur, reuera tamen viſibile permanebit: ſic fraude Dæmonum Domitiani oculis ſe ſubtraxit Apollonius apud Philoſtratum; ſic Gyges latebat fictitio illo tectus anulo apud Ciceronem; ſic de Perſei clypeo Græci fabulantur.* Ego vero non dixero Gygis corpus alio celeriter a Dæmone tranſlatum, dum non aſpiceretur; quum Plato Gygen præſentem referat inuiſi-

bilem

bilem in conuentu paſtorum, quos præſentes audiebat differere de legato
peculij ad Regem mittendo. Nec approbare poſſum, impediri ſpecierum
viſibilium illapſum in oculos pręſentium per alicuius corporis interpoſitio-
nem; quia corpus id opacum eſſe deberet, & adſpici a præſentibus, admiran-
tibus illico corpus interpoſitum nulla viſa manu interponentis, vt apud
Tartarorum Magnum Imperatorem (p) Marcus Polus mirabatur nulla con- p lib. 1. c. 2.
ſpecta manu deferente cyathos per aera meare de ſe ab architriclinij tabula
procul ad menſam regiam in manu Imperatoris bibere volentis; ait enim,
*Voi vedete che queſti Idolatri fanno ciò che vogliono, & quando io ſeggo a menſa, ven-
gono a me le tazze, che ſono in mezo la ſala, piene di vino, o beuande, e d'altre coſe,
ſenza che alcuno le tocchi, e beuo con quelle*, &c. Minime recipio, prohiberi ſpe-
cierum viſibilium ingreſſum intra præſentium adſpectantium oculos, ob ni-
miam aeris agitationem; tum quia vehemens aeris agitatio illa paſtores de
conuentu non minus pepuliſſet, quam Gygen de illorum conſpectu; tum
quia non minus e Gygis oculis viſibilem ſpeciem paſtorum abſtuliſſet,
quam e paſtorum oculis viſibilem ſpeciem Gygis; quum tamen Gyges acce-
pta paſtorum ſpecie præſentes illos aſpiceret, qui tunc ipſum præſentem in-
tueri non poterant; tum quia in aere quantumvis agitato ventis violentiſſi-
mis, obiecta præſentia cernimus egregie. Verum non diſcedens a doctrina
D. Auguſtini (*) arbitror ego, a Dæmone tum ſpecierum viſibilium produ- *18. de ci[illegible]
ctionem primum impediri poſſe; tum eaſdem genitas in medio corrumpi cap. 18.
penitus & extingui valere, priuſquam pertingant ad oculos adſtantium, illis
obiectum præſens repræſentaturæ; tum etiam inextinctas vigentesque, cum
ea parte medij, in qua ſunt, in alium locum transferri poſſe, iugiterque remo-
ueri a rectitudine, qua neceſſario perferri debent ad aſpicientium pupillam,
obiectum facultati viſoriæ ſine (q) materia copulaturæ. Ceterum conſimi- q 1. de a[illegible]
liter ad aſtus & præſtigia Dæmonum referendi ſunt alij mirabiles effectus t. 121.
anulorum, quos in eorum ſcalpturas ſub certis conſtellationibus efficta re-
ferre videtur Camillus (r) Leonardus ex antiquiſſimis autoribus, Ragiele, r 3. de la-
Ehaele Iudæo in deſerto, Thetele (quos neſcio vbi viderit) Salomone, Her- pid. c. 14.
mete, & alijs; etenim figura manufacta nullam prorſus habet vim alterandi, & ſeqq.
mouendique corpora noſtra, quocumque ſub aſtro dominante, culminante,
vel horoſcopante ſculpatur, aut cæletur ab artifice, ſicuti (ſ) nuper oſten- ſ cap. ſup.
dimus: Qua cunctos anulos huiuſcemodi mirabilem vim habentes, qui non
referuntur apte ad aſtrologicos iam explicatos, nos exiſtimamus non a ſcul-
ptura, ſed a maleficio Dæmonis efficaciam obtinere; quum illa ſignatura
nihil aliud ſit, quam indicium fæderis pactiue Dæmonum ſiue patentis, ſiue
occulti; quod recte monet Delrius, cui, (t) *Quinto loco ſuccedit [DAKTYLO-* t to. 2. l. 4.
MANTEIA] (dicetur aptius [*DAKTYLIOMANTEIA*,] nam anulus Græce c. 2. q. 6.
dicitur [*DAKTYLIOS*,] non autem [*DAKTYIOS*]) *qua diuinat anulis ad cer-* ſe. 4.
*tam cæli poſitionem conſtructis, vel incantatis, & ſuper tripodem ad certa verba mo-
tis: deſcripſit Ammianus lib. 29. cuius verba dabimus, ſect. 3 qu. 7. vel anulis incan-
tatis, qualis fuit anulus Gygis, quo (teſte Herodoto) fretus Candaulem intcremit:
Tales duo illi Phocenſium tyranni, de quo Clemens Stromataus, qui ſonitu ſponte edi-
to eum de commodo rerum gerendarum tempore: qui tamen inſidias conſpirantium*

ſic

u 2. de Rep.
x 3. de offic.
y l. 1. c. 8. & ſeqq.

ſic euadere nequiuit. Interim obſeruo, nullam ab Herodoto de Gygis anulo mentionem fieri, ſed a (u) Platone ſolo, a quo (x) Cicero, & Lucianus in Bis-accuſato, & in Votis: Herodoti verba ſunt in (y) Clio, longe diuerſam hiſtoriam a Platonica referentia; *Hic igitur Candaules vxorem adamabat, eamque præ amore arbitrabatur omnium feminarum eſſe pulcherrimam. Hoc ita eſſe ſibi perſuadens, apud Gygen Daſculi filium, ex ſatellitibus ſuis (erat enim is maxime ipſi acceptus, eoque miniſtro in rebus magnis arduis vtebatur) ſpeciem vxoris ſupra modum extollebat. Ad quem non multo interiecto tempore (neceſſe namque erat ei male euenire) inquit his verbis: Gyges, neque enim videris mihi fidem habere referenti de coniugis ſpecie (quod magis incredulæ ſint hominibus aures quam oculi) fac illam conſpicias nudam. Hic autem vehementer exclamans: Quemnam, inquit, Here, ſermonem profers haudquaquam ſanum, qui me iubes inſpicere Heram meam nudam? Mulier exuta tunica, & verecundiam pariter exuit. Iam olim hominibus ſunt honeſta excegitata, vnde diſcere debemus; ex quibus hoc vnum eſt, Quæ ſua ſint, quemque inſpicere debere. Ego vero tibi fidem habeo, illam eſſe feminarum omnium ſpecioſiſſimam, teque oro ne me ores illicita. Atque hæc dicendo Gyges repugnabat, pertimeſcens ne quid ſibi ex ea re mali contingeret. Cui viciſſim ille his verbis, Fidens, inquit, eſto Gyges: caue timeas hoc aut me, tanquam hoc te ſermone tentantem, aut vxorem meam, ne quid tibi ex ea detrimenti creetur. Principio enim ſic ego machinabor, vt illa ne deprehendere quidem poſſit ſe abs te fuiſſe inſpectam: Te nanque ſecundum fores cubiculi in quo cubamus, quum apertæ fuerint, collocabo: Vbi ergo fuero ingreſſus, aderit & vxor mea in cubiculum, iuxta cuius introitum ſella poſita eſt, ſupra quam veſtes illa, vt quamque exuet, reponet; ſeſe per multum otium ſpectandam præbens: quæ quum a ſella cubitum perget, oſtendens inuicem terga, curæ tibi ſit deinceps ne te per fores abeuntem conſpiciat. Gyges igitur, vbi effugere non potuit, fuit paratus: quem Candaules, poſteaquam cubandi hora viſa eſt adeſſe, in cubiculum duxit: ſtatimque poſt & vxor adfuit: quam introeuntem & veſtimenta deponentem Gyges intuitus, vbi auerſa fuit illa cubitum vadens, ipſe e loco prorepens, foras abijt: & inter exeundum a muliere conſpectus eſt. Hæc vt didicit, a viro quid actum eſſet, neque præ pudore exclamauit, neque viſa eſt percepiſſe, habens in animo Candaulem vlciſci: apud Lydos enim, & fere apud ceteros quoque barbaros, magno probro eſt, etiam virum conſpici nudum. Ita nunc nihil aperiens mulier, ſilentium tenuit: mox autem vbi dies illuxit, quos domeſticorum maxime ſibi fideles intelligebat eſſe, quum præparaſſet, Gygen accerſit. Hic eam nihil ſuſpicatus ſcire eorum, quæ acta erant, accerſitus venit: quippe qui antea ſolitus erat ad Reginam concedere, quoties ab ea vocaretur. Vt venit, ad eum his verbis mulier inquit, Nunc duabus tibi præſentibus vijs, Gyges, offero electionem, in vtram malis diuertere: aut enim me pariter ac regnum Lydorum habe, vbi Candaulem interfeceris, aut teipſum occumbere continuo ſic oportet: ne in omnibus Candauli obſequendo, poſt hac ſcias quæ te ſcire non decet: ſed aut illum, qui iſta conſuluit, interire opus eſt; aut te, qui nudam me es conſpicatus, & illicita feciſti. Ad hæc verba Gyges primum obſtupefactus, poſtea obſecrare illam ne ſe ad talem neceſſitatem adigeret alterutrum eligendi. Vbi non perſuadet, ſed vtique propoſitam ſibi neceſſitatem cernit aut interimendi herum, aut per alios pereundi, elegit vt ipſe ſupereſſet: atque ita percontans illam, inquit, Quandoquidem me adigis inuitum ad herum meum occidendum, age, audiam quo pacto illum adoriemur.*

Ex-

Excipiens illa, Ex eo, inquit, loco adoriendus erit, vnde ille me nudam oſtendit: in ſopitum autem impetus dabitur. Poſteaquam igitur inſidias inſtruxerunt, & nox aduenit, Gyges nihil cunctatus eſt: quippe cui nulla deuitandi facultas eſſet, ſed neceſſe aut perire, aut Candaulem perimere; mulierem in thalamum ſequitur, quem illa, dato pugione, ſubter eaſdem fores occulit. Vnde poſtmodum iſte procedens, quieſcentem Candaulem obtruncat, vxoreque eius & regno potitus eſt. Cuius rei meminit & Archilochus Parius, qui per idem tempus fuit, in iambo trimetro. Obtinuit autem regnum Gyges, & in eo fuit confirmatus ex Delphico oraculo: nam quum Lydi indigno animo ferrent Candaulis caſum, atque in armis &c. Quam obſeruationem etiam fecit Tzetzes, Platoni conſentiens, & ab eo plane diſſentire demonſtrans Herodotum: neque ſatis dictum Herodoti comprobatur Archilochi iambo; nam Archilochus in omnes feminas atroci potius quam veridico iambo debacchatus eſt, quod a muliere repudium tulerit. Verba vero Tzetzæ fuerunt in Chilidiabus (z) iſta, z Chil. 1. hiſt. 3.

„ Gyges prius paſtor ſecundum quoſdam exiſtens,
„ Paſcens inuenit alicubi æreum equum conflatilem,
„ In quo equo intus mortuus quidam reclinatus
„ Verſatilem circa digitum anulum geſtabat.
„ Hunc igitur anulum iſte accipiens Gyges,
„ Et cognoſcens quod haberet vim, pala verſa,
„ Occultare eum, qui teneret, & iterum oſtendere:
„ Occiſo Candaule, cæpit Lydorum regnum.
„ Herodotus vero Gygen paſtorem quidem non dicit,
„ Filium Daſculi autem inquit, ſcutiferum Candaulæ,
„ Qui Candaules vxoris amorem propriæ fouens,
„ Nudam ipſam oſtendit Gygi clanculum.
„ Illa vero & re cognita tacet, deinde vocat Gygen,
„ Electionem dicens cape, Gyges, duarum vnam,
„ Vel tu Candaulem interficere, vel interfici ab illo;
„ Nuda enim duobus viris non ſuſtineo videri.
„ Sic Candaulen occidens, cæpit regnum.

Quam tamen Herodoti ſententiam poſtea videtur accipere Tzetzes, & mythologiam fabulæ (a) conuerſi anuli ſic afferre, a Chil. 7. hiſt. 130.

„ Nudam Candaules oſtendit Gygi ſuam vxorem,
„ Quæ conuocato Gyge ſeorſim,
„ Dat anulum ſuum vt occideret
„ Candaulem huius coniugem, oſtendens clam ſocijs:
„ Quo facto clam quum occidiſſet Candaulem,
„ Et quum vertiſſet anulum rurſus ad mulierem,
„ Fit omnibus conſpicuus, accepto regno.

nam antea fuerat obſcurus & ignobilis in turba ſatellitum. Sed tamen hæc Platonicæ narrationi minime conſentiunt. De hoc anulo pulchre Pariſinus Arculanus puellam auaram inducit ea (*) dicentem, * l. 3. carm.

„ Si mihi clauſus equi qui iam fuit anulus aluo
„ Nunc foret, a nullo conſpicererque viro:

„ Per-

„ Perdita non eſſent in me mea munera, nollem
„ Reginam, aggeſtas ſed bene Regis opes.

Et illud ad Magicos anulos attinere videtur, quod refert Pineda de Salomo-
b l. 3. de reb. nis anulo, ex Arabicæ linguæ perito ſcribens, (*b*) *De anulo item audio nuper-*
Salo. c. 29. *rime in plumbeo quodam Arabico libro, ex illis, qui in Granatenſi monte Sancto inuen-*
„ *ti ſunt, huiuſmodi rem ſcribi, Salomonem aliquando ad balneum ſe præparantem in*
„ *Iordanis ripa, pellicum precibus, anulum quendam, quo alligatam videbatur habere*
„ *ſapientiam, digito exemiſſe: exemptum vero malo illarum dolo, & nihil minus quam*
„ *ſapientem & ſanam mentem Salomoni volentium, coniectum in Iordanem: ſtupidum*
„ *igitur & velut inertem truncum manſiſſe Salomonem. Poſtea vero piſcatorum opera*
„ *ex ventre extracti piſcis, extracto anulo, & Salomoni reſtituto, reſtitutam quoque illi*
„ *ſapientiam fuiſſe. Rem ſcribo mihi narratam: fides pene narrantem, qui Arabice no-*
uerat, legeratque ipſe idem. Quæ ſi vera fuit hiſtoria, tota fuit Magica, ſed potius cre-
dam fabulam, & minime narratam in illis antiquiſſimis & grauiſſimæ fidei libris, quo-
rum apud me autoritas eſt, vt apud quemlibet debet eſſe grauiſſima: itaque plus li-
bris deſero quam narratori. Ego vero crediderim potuiſſe libros illos condi-
tos ab Arabe quopiam impoſtore: totamque illam de anulo fabulam fuiſſe;
namque Salomon a Deo ſapientiam habuit in animo, non a Dæmone per
magiam in anulo: nec obeſt, quod per peccatum a Deo poſtea fuerit auer-
ſus ad Idololatriam, & Magicæ plurimum operam dederit; nam & Adamus
innocens a Deo primum habuit infuſam ſapientiam in animo, quam lapſus
in peccatum non amiſit, ſed retinuit vitæ ſuæ toto tempore; docuitque fi-
lios, & nepotes: de Salomone clariſſimum teſtimonium habemus in ſacra
c 3. Reg. 3. pagina, (*c*) *Et dixit Dominus Salomoni: quia poſtulaſti verbum hoc, & non petiſti*
tibi dies multos, nec diuitias, aut animas inimicorum tuorum, ſed poſtulaſti tibi ſa-
pientiam ad diſcernendum iudicium: ecce feci tibi ſecundum ſermones tuos, & dedi
tibi cor ſapiens & intelligens, in tantum vt nullus ante te ſimilis tui fuerit, nec poſt
d cap. 7. *te ſurrecturus ſit.* & ipſemet Salomon in libro Sapientiæ dicit, (*d*) *Mihi enim*
dedit Deus horum, quæ ſunt ſcientiam veram, vt ſciam diſpoſitiones orbis terrarum,
& virtutes elementorum, initium & conſummationem & medietatem temporum, viciſ-
ſitudinum permutationes, & commutationes temporum, anni curſus, & ſtellarum
diſpoſitiones, naturas animalium, & iras beſtiarum, vim ventorum, & cogitationes
hominum, differentias virgultorum, & virtutes radicum, & quæcunque ſunt abſcon-
ſa & improuiſa, didici: omnium enim artifex docuit me ſapientia. Quin etiam
Angeli mali per peccatum & apoſtaſiam a Deo non amiſerunt cognitionem
priſtinam. Ceterum anuli Magici doctrinam inſtillare ſi poſſunt virtute
Dæmonum, aut morbos pellere, aut alia miranda facere, contingit hoc non
ex anuli vi, ſed ex actione Dæmonis, qui tum ſuas notitias per ſpecies intel-
ligibiles communicans vtcunque mortali, ex pacto gerenti anulum, cui aſſi-
ſtit, vel in quo ſe ligari permittit, rerum cognitionem impertit; ſic Apollo-
nius Tyanæus per anulos Iarchæ Magi multa noſcebat abſcondita, & mira-
bilia perpetrabat: ſic vel ſine anulo Dæmon Socrati multorum notitiam aſſi-
due dabat. Liber autem, qui ſub anuli nomine Salomonis vulgo circumfe-
rebatur, & dicebatur, merito damnatus ab Eccleſia, quod edoceret impiam,
& nefariam magiam inuocandi, & euocandi Dæmones, atque anulis inclu-

dendi,

dendi, falſo tribuitur & adſcribitur Salomoni a Magiæ profeſſoribus, vt illi tractatui comparent autoritatem: idem ſentit & Delrius de conſimilibus operibus, quæ proſtant ſub titulo Clauiculæ Salomonis, & Incantationum Salomonis: etſi non auſim abſolute negare, volumina hæc fieri potuiſſe a Salomone poſt lapſum Idololatriæ deditum: ſed tamen in ijs libris multa futilia dicuntur haberi, quæ ab homine docto, quantumvis impio ſcripta non videntur. At redeamus ad anulum Salomonis a pellicibus in Iordanis aquas, vt aiunt, proiectum, & in ventre piſcis inuentum, ac Salomoni cum ſapientia priſtina reſtitutum; huius figmentum aperte declarat hiſtoria Polycratis, a qua deſumptum videtur; hanc ita refert (e) Tzetzes, e Chil. 7. hiſt. 121.

„ Sami regnans quidem felix erat Polycrates,
„ Vectigalia autem ferebant ſubditi Aegyptiorum.
„ Augmentum autem Amaſis veritus huius,
„ Scripſit, o Polycrates, quod optimum tibi in vita,
„ Quo priuatus immenſam accepturus es triſtitiam,
„ Hoc nunc abijce modis quibuſcunque volueris,
„ Niſi forte experientiam meæ vis iræ ſuſcipere.
„ Polycrates igitur grauiter veritus,
„ Quem habuit pretioſiſſimum anulum Smaragdi,
„ Quem artificioſe conſignauit anuli ſcalptor
„ Theodorus Samius filius Teleclei,
„ Conſcenſa naui proiecit in medium pelagi,
„ Mœrore correptus intolerabili illius merſione.
„ Quinta autem die pulcherrimum piſcem quidam piſcatus,
„ Velut Polycrate dignum, mittit ad Polycratem:
„ In quo anulus prædictus inuentus eſt.
„ Quod quum audiſſet Amaſis, dicit aſſiſtentibus,
„ Cui Deus fauet, quis ex hominibus nocuerit?

De Magicis anulis agere videtur Plinius aiens, (f) *Cerebrum eaſtra Magi per anulum aureum traiectum, priuſquam lac detur infantibus inſtillant contra comitiales, ceteroſque infantium morbos*: & forte (g) prius inquiens, *Oua aceto macerata in tantum emolliuntur, vt per anulos tranſeant*. Lucianus in Votis aperte de ijſdem loquitur, plures eorum vires recenſens, ac tantum non deridens, ita, *Ceterum Mercurium ego volo obuiam mihi venientem dare anulos, qui huiuſmodi vim habeant: primum quidem, vt recte ſemper valeam, & corpore ſanus ſim & inſauciabilis, & nulli perturbationi obnoxius: ſecundum autem, vt ne conſpici poſſit is, qui eum induerit, qualis ille Gygis fuit: deinde alium quendam vt robore ſuperem virorum decem millia; atque onus, quod alioqui decem millia hominum mouere ſimul vix poſſent, ego ſolus facile in humeros attollere poſſim. Præterea & volare poſſim, longe a terra in ſublime ſublatus, & ad hoc quoque anulum habeam. Iam vero & in ſomnum reſoluere quos voluero, & omnem ianuam accedenti mihi aperiri, laxata ſera, & dimoto obice, hæc ambo vnus anulus poſſit. Et quod maximum eſt, alius quiſpiam ſit ſupra omnes ſuauiſſimus, qui me amabilem faciat indutus, & pueris formoſis, & mulieribus, & populis totis, neque quemquam amoris expertem eſſe ſinat, & cui non deſiderabiliſſimus ipſe videar, atque in ore ſim, ita*

f l. 28. c. 19.
g l. 10. c. 60.

vt multæ mulieres, dum amorem pati nequeant, ſeipſas etiam ſuſpendant: & adoleſcentuli ad inſaniam redigantur mei deſiderio: adeoque ſeipſos beatos eſſe putent, ſi quem ipſorum vel aſpiciam ſolum: ſi vero contemnam, etiam illi mœrore pereant: & in ſumma ſupra Hyacinthum, aut Hylam, aut Phaonem Chium illum ſim. Atque hæc omnia habeam non in breue tempus ac ſtatim moriturus, neque etiam ad menſuram humanæ vitæ viuens, ſed annos mille, ſubinde iuuenis ex iuuene renaſcens, viuendo exigam, circa decimum ſeptimum quemque annum exuens ſenectutem, perinde atque ſerpentes. Nihil enim deerit mihi cum hæc habebo, &c. Sed citra deriſionem
h l. 29. Ammianus Marcellinus in Valentiniano, & Valente ſcribit, (*h*) *Inducti itaque Patricius, & Hilarius, ordinemque replicare iuſſi geſtorum, quum inter exordia variarent, fodicatis lateribus, illato tripode, quo vtebantur, adacti ad ſummas anguſtias, aperiunt negotij fidem, ab ipſis exordijs replicatam. Et prior Hilarius. Conſtruximus, inquit, magnifici Iudices, ad cortinæ ſimilitudinem Delphicæ diris auſpicijs de laureis virgulis infauſtam hanc menſulam quam videtis; & imprecationibus carminum ſecretorum choragijsque multis ac diuturnis ritualiter conſecratam mouimus tandem. Mouendi autem quoties ſuper rebus arcanis conſulebatur, erat inſtitutio talis: Collocabatur in medio domus emaculata odoribus Arabicis, vndique lance rotunda pure ſuperpoſita, ex diuerſis metallicis materijs fabrefacta: cuius in ambitu rotunditatis extremo elementorum viginti quatuor ſcriptiles formæ inciſæ perite, diſiungebantur ſpatijs examinate dimenſis. Has linteis quidam indumentis amictus, calceatusque itidem linteis ſoccis, torulo capiti circumflexo, verbenas felicis arboris geſtans, litato conceptis carminibus numine præſcitiorum autore, cærimonialiſ ſcientia ſuperſiſtit cortinulas, penſilem anulum librans aptum ex carpathio filo perquam leui, myſticis diſciplinis initiatum: qui per interualla diſtincta retinentibus ſingulis literis incidens ſaltuatim, heroos efficit verſus interrogationibus conſonos, ad numeros & modos plene concluſos, quales leguntur Pythici, vel ex oraculis editi Branchidarum. Ibi tum quærentibus nobis, qui præſenti ſuccederet imperio, quoniam omni parte expolitus fore memorabatur, adſiliens anulus duas perſtrinxerat ſyllabas: & cum adiectione literæ poſtremæ, exclamauit præſentium quidam, Theodorum præſcribere te fatali neceſſitate portendi. nec vltra ſuper negotio eſt exploratum. Satis enim apud nos conſtabat hunc eſſe qui poſcebatur. Quumque totius rei notitia ita ſignate ſub oculis iudicum ſubiecíſſet, adiecit beniuole, ia Theodorum penitus ignorare. Poſt hæc interrogati, an ex fide ſortium quas agitabant, ea præſcierint quæ ſuſtinerent, verſus illos notiſſimos ediderunt, clare pronunciantes capitalem eis hanc operam ſcrutandi ſublimiora eſſe futuram: nihilominus tamen ipſi quoque cum cognitoribus Principi cædes incendiaque flatantes furias imminere*, &c. Clemens Ale-
i 1. ſtrom. xandrinus etiam ait. (*i*) *Et Execeſtus Phocenſium tyrannus, duos geſtans incantatos anulos, qui inter ſe inuicem ab eis edebatur ſonitu, ſciebat tempus rerum gerendarum: mortuus tamen eſt dolo interfectus, etiam ſi id ei prius ſignificaſſet ſonitus, vt dicit Ariſtoteles in opere de Republica Phocenſium*. De Magicis anulis certe lo-
k l.2. c. 7. quitur Plinius inquiens, (*k*) *Externis famulantur ſacris, ac digitis Deos geſtant, & monſtra quoque colunt*. Eteenim (*l*) priſci, Vim magicam tribuebant anu-
l lib.33. c.3 lis, quibus Cynocephali, & Harpocratis imago inſculpta erat. Ita ſane Lu-
m 3. de rat. cianus in Philopſeude, *Ex quo mihi anulum dedit ex ferro, quod fuit in crucibus,*
diuin. c.35. *& excantationem docuit e multis nominibus*. Et ex (*m*) Bulengero Planus,

Ego

Ego anulum quendam ſacrum habeo, cuius ſigillum imaginem Pythij Apollinis exprimit: & hic Apollo me alloquitur. & ipſimet Bulengero, *Anulus peruius flammis magicus fuit, vt & Proebra Caia Cæcilia apud Feſtum.* Sed vnus inſtar omnium fide digniſſimus de magicis anulis teſtimonium perhibet D. Auguſtinus inquiens, (*n*) *Vtica quum nuper eſſemus, Petroniam clariſſimam feminam, quæ* n 22. de ciu.
ibi mirabiliter ex magno, atque diuturno, in quo medicorum adiutoria cuncta defecerant, languore ſanata eſt: hortati ſumus volente ſupradicti loci Epiſcopo, vt libellum c. 8.
daret, qui recitaretur in populo, & obedientiſſime paruit. In quo poſuit etiam, quod hic reticere non poſſum, quamuis ad ea, quæ hoc opus vrgent, feſtinare compellar. A quodam Iudæo dixit ſibi fuiſſe perſuaſum, vt anulum capillatio vinculo inſereret, quo ſub omni veſte ad nuda corporis cingeretur: qui anulus haberet ſub gemma lapidem in renibus inuentum bouis. Hoc alligata quaſi remedio, ad Sancti Martyris limina veniebat. Sed profecta a Carthagine, quum in confinio fluminis Bagrada in ſua poſſeſſione manſiſſet, ſurgens, vt iter perageret, ante pedes ſuos illum iacentem anulum vidit, & capillatiam Zonam, qua fuerat alligatus, mirata tentauit: quam quum omnino ſuis nodis firmiſſimis, ſicut erat, comperiſſet aſtrictam, crepuiſſe, atque exiliſſe anulum ſuſpicata eſt. Qui etiam ipſe quum integerrimus fuiſſet inuentus, futuræ ſalutis quodammodo pignus de tanto miraculo ſe accepiſſe præſumpſit: atque illud vinculum ſoluens, ſimul cum eodem anulo proiecit in flumen. Non credunt hoc, qui etiam Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum per integra virginalia matris enixum, & ad diſcipulos ſuos oſtijs clauſis ingreſſum fuiſſe non credunt. Sed hoc certe quærant, & ſi verum inuenerint, illa credant: clariſſima femina eſt, nobiliter nata, nobiliter nupta, Carthagine habitat: ampla ciuitas, ampla perſona, rem quærentes latere non ſinunt. certe Iudæus ille magus fuit, qui tradidit anulum & Zonam e capillis confectam. Sic ergo fuerunt antiquitus anuli magici ad mirabilia perpetranda, plurimum cum imagine Deorum gentilium. Si nos Ariſtotelis haberemus opus magicum, de quo Laertius in veſtibulo vitarum non ſemel teſtimonium perhibuit aſſerens, *Philoſophiam a barbaris initia ſumpſiſſe plerique autumant: nam Perſis Magos, Babylonijs & Aſſyrijs Chaldæos, Indis Gymnoſophiſtas, Celtis ſeu Gallis Druidas, & qui Semnethei appellantur, eius rei fuiſſe autores, ait Ariſtoteles in Magico.* & mox. *Diuinationem præterea exercere, ſibi Deos apparere aſſerentes, plenum eſſe Dæmonibus aera, qui tenuiter ac veluti ex euaporatione cernentium oculis inſuant; exteriorem cultum & auri vſum interdicere. His autem veſtis candida, lectus humus, eſca olus, caſeus panisque cibarius eſt. Arundine pro baculo vtuntur, cuius in ſummitate præfixum caſeum ori applicantes mandunt. Magicæ illos diuinationis ignaros Ariſtoteles ait in libro, quem inſcripſit Magicum. & Dinon in quinto hiſtoriarum libro, qui Zoroaſtrem quoque ex interpretatione nominis ſui, aſtrorum aſſerit fuiſſe cultorem. Hoc ipſum & Hermodorus tradit. Aegyptijs vero antiquiores eſſe magos Ariſtoteles autor eſt in primo de Philoſophia libro, duoque iuxta illos eſſe principia, bonum Dæmonem, & malum: alterum ex his Iouem, alterum Plutonem, & Arimanium dici.* Si magicum, inquam, volumen Ariſtotelis haberemus, forſan ex eo theoriam de Magicis anulis, & eorum admirandis effectibus elicere poſſemus; at vero quum careamus eo volumine, ſalebroſa nobis eſt in Peripato terenda via, ducens ad veritatem in hoc argumento. Sane magicos anulos eſſe fuiſſeque conſtat ex allatis antea te-

Anulorum magicorum ratio explicata in effectibus admirandis.

ſtimonijs extra omnem dubitationis aleam poſitis. Horum anulorum vis ad effectus admirabiles peragendos non immediate refertur atque ſimpliciter in ſolas cauſas corporeas, neque noſtrates, neque cæleſtes, ſed in Dæmones incorporeos, corporibus aſſiſtentes, ex pactove ligatos, vel etiam ab omni corpore ſolutos; quos Ariſtoteles (*o*) aliquando nuncupat Heroas, atque Deos, quibus ait homines debere templa condere, ſacraque facere, ne noceant, ſed proſint; vt obſeruaui luculenter in opere De (*p*) Immortalitate animorum ad mentem Ariſtotelis; quoſque nouit æuo ſuo paſſim reſponſa dare de tripode, atque de ſimulachris idoliſque manufactis, vt ipſe teſtatur accidiſſe Lemnio pecoris domino. Dæmones vero, mali potiſſimum, ad quos Magia maxime pertinet, duplici ratione per anulos admiranda perpetrare poſſe videntur, ſiue ſemetipſos includi ligari ve patiantur in anulis, vt non raro contingit, ſiue præſto ſint ex pacto vel occulto, vel manifeſto geſtantibus anulum magicum, ad eorum arbitrium tam bona, quam mala facinora promouendo: vna quidem ratio eſt, quia Dæmon oculos, alioſve ſenſus hominum facile præſtigijs obſtringit ius habens in ſpecies ſenſibiles obiecta ſenſui repræſentare nata, & apparere facit eſſe quæ non ſunt, ac viciſſim non eſſe quæ vere ſunt; vti conſtat ex anulo Gygiano, ex cæcitate Sodomorum oſtij viſionem ſolum illis eripiente, cetera perſpicientibus, & ex mutilatione maleficiatorum paſſim apud ſagas locum habente. Altera vero ratio eſt, quia Dæmones clam imponentes actiua phyſica paſſiuis diſpoſitis effectus edunt admirabiles abſque cauſa naturali manifeſta; nam homines (*r*) admirantur ea ſolum, quorum cauſas ignorant; quæ (*ſ*) præſtigioſa quoque nuncupans Ariſtoteles, in Dæmones ea refert aperte. Profecto non ab re ſic præſtigioſa dicitur vulgaris etiam nunc apud Germanos maxime curatio per vnguentum armarium (qua de re fuſe plerique viri Cl. ſed præſertim Andreas Libauius Iatrochimicus eximius in opuſculo proprio) per quam quidem curationem vulneratus, longinquam regionem incolens, ab abſente medico ſanitati reſtituitur impoſitis medicamentis aut ferro, quod ſauciauerit, aut ligno, pannove, quod ſauciati ſanguine madefactum fuerit; quod medicamentum, vt aiunt cum Magiſtro ſuo Paracelſiſtæ, fit ex electro & miſtura metallorum certis conſtellationibus vigentibus compoſitum, & certis inſcriptum characteribus; etenim (*t*) Ariſtoteli, *fieri non poteſt, vt moueat quod non tangit, & quicquam ab eo, quod non moueat, afficiatur*: & reuera ſi primus Motor, & Intelligentia quælibet incorporea cælum in orbem agere non poteſt, niſi cæleſtem ſubſtantiam tangat, illique penitus aſſiſtat, ac vniatur per contactum virtutis; vt communis Philoſophorum ſchola decernit, & Ariſtoteles etiam alibi fatetur, dum locum ac ſedem primi Motoris inquirit, aſſerens, (*u*) *Neceſſe eſt autem aut in medio, aut in circulo eſſe; hæc enim principia ſunt: ſed celerrime mouentur, quæ proxima ſunt mouenti; huiuſmodi autem eſt ipſius totius, aut circuli motus; illic ergo ipſum mouens*; an poterit vnguentum armarium alterare ſanareque procul abſentem vulneratum, non alterato medio; quum vel ipſe primus Motor nequeat cælum phyſice voluere, niſi tangat ipſum immediate, ſitque proximus illi? nequeat Lunam & igneum elementum in occaſum ab ortu rotare motu diurno naturaliter,

o 7. polit. c.12.

p l.4.c.35.

r 1. meta. cap.2.

ſ 18. ſect. probl.6.

De curatione per arma.

t 1.de gen. an.c.1.

u 8. phyſ. t.84.

ſiter, niſi eodem motu circumducat omnes orbes intermedios? verum abſolute mouens omne phyſicum, naturaliter agens, non mouere niſi corpora, quæ tangit contactu phyſico, docet etiam alibi Magiſter ita, (x) *Si igitur eſt, vt determinatum eſt prius, Tangere vltima habere ſimul; hæc vtique tangent ſeinuicem, quæcunque determinatas magnitudines, & poſitionem habentia, ſimul habent vltima. Quoniam autem poſitio quidem quibuſcunque & locus inexiſtit; prima autem differentia loci ſurſum & deorſum, & talia oppoſitorum; omnia ſeinuicem tangentia grauitatem vtique habebunt, aut leuitatem, aut ambo, aut alterum; talia autem paſſibilia & actiua. Quapropter manifeſtum eſt, quod hæc tangere nata ſunt ſeinuicem, quorum diſtinctis magnitudinibus, ſimul vltima ſunt, exiſtentibus motiuis, & mobilibus ad inuicem.* Itaque naturalis operatio quælibet fit per contactum phyſicum, vel immediatum, vel mediatum, medio ſcilicet coalterato, & eadem ſpecie mutationis affecto: Quare medicatio ferri diſtantem ægrum phyſice ſanare non poteſt, ſed eſt merum præſtigium & illuſio Dæmonis, aut magica functio, qua Dæmon ex pacto cum primo inſtitutore maleficij ſemper ad applicationem talis vel talis vnguinis corporis cruentati ſanguine ſaucij, clam ſalutaria præſidia ſibi nota in tenuiſſimam, & inadſpectabilem ſenſui ſubſtantiam admouet ægrotanti membro, tandem rite paſſiuis diſpoſitis apponens actiua phyſica proportionata, ſanitatem molitur admirabilem ijs, qui technas & artes eius ignorant: qui namque poteſt aerem tenuiſſimum & ob raritatem viſui minime conſpicuum facile denſare in corpus adſpectabile ſub forma viri; quam ſæpius induit; næ Dæmon oportuna medicamenta nullo negocio poteſt ex aduerſo quantumuis denſa rarefacere in ſubſtantiam oculis inadſpectabilem, ac vulneratæ parti ſalubriter admouere, ſaucio non animaduertente. Ceterum Dæmones, tam bonos, quam malos, optime callere vim herbarum, & aliorum medicaminum, ex eo colligas aperte, quod omnis incorporea ſubſtantia, ſingulaque mens intellectualis a materiæ commercio ſeiugata, longe doctior eſt quocunque corporali Medico; quia corpus & materia pluſquam nimium officit intellectui ad rerum naturas & vires cognoſcendas; proindeque melius eſſe dicit (y) Ariſtoteles intellectui non cum corpore eſſe. Quin & habemus in ſacra pagina, morbos humanis artibus incurabiles, Angelorum, Dæmonumque conſilio curationem habuiſſe; ſic occæcato ſeni Tobiæ Raphael Angelus collyrium ſalutare præſcripſit ex felle piſcis, de quo exenterato cor & iecur Tobiam iuniorem tollere iuſſit ad medicamina ſalubria; legimus enim, (z) *Profectus eſt autem Tobias, & canis ſecutus eſt eum: & manſit prima manſione iuxta fluuium Tygris: & exiuit vt lauaret pedes ſuos: & ecce piſcis immanis exiuit ad deuorandum eum: quem expaueſcens Tobias, exclamauit voce magna, dicens, Domine inuadit me: & dixit ei Angelus: apprehende branchiam eius, & trahe eum ad te: Quod quum feciſſet, attraxit eum in ſiccum; & palpitare cœpit ante pedes eius. Tunc dixit ei Angelus: Exentera hunc piſcem: & cor eius, & fel, & iecur repone tibi: ſunt enim hæc neceſſaria ad medicamenta vtiliter. Quod quum feciſſet, aſſauit carnes eius, & ſecum ſuſtulerunt in via: cetera ſalierunt, vt ſufficerent eis quouſque peruenirent in Rages ciuitatem Medorum. Tunc interrogauit Tobias Angelum, & dixit ei: Obſecro te Azaria frater, vt dicas mihi, quod remedium*

x 1. de gen. t. 44.

y 1. de an. t. 49.

z Tob. 6.

habe-

habebunt iſta, quæ de piſce ſeruare iuſſiſti? & respondens Angelus dixit ei: cordis eius particulam ſi ſuper carbones ponas, fumus eius extricat, & fugat omne genus Dæmoniorum, ſiue a viro, ſiue a muliere, ita vt vltra non accedat ad eos: & fel valet ad
a cap. 8. *vngendos oculos, in quibus fuerit albugo, & ſanabuntur.* & infra, (a) *Poſtquam vero cœnauerunt, introduxerunt iuuenem ad eam. Recordatus itaque Tobias ſermonum Angeli, protulit de caſſidili ſuo partem iecoris, poſuitque eam ſuper carbones viuos: Tunc Raphael Angelus apprehendit Dæmonium: & religauit illud in deſerto ſuperioris*
b cap. 11. *perioris Aegypti.* & inferius, (b) *Dixit Raphael ad Tobiam: tolle tecum ex felle piſcis: erit enim neceſſarium. Tulit itaque Tobias ex felle illo, & abierunt.* & mox, *Dixitque Raphael ad Tobiam: at vbi introieris in domum tuam: ſtatim adora Dominum Deum tuum: & gratias agens ei, accede ad patrem & oſculare eum: ſtatimque lini ſuper oculos eius ex felle iſto piſcis, quod portas tecum: ſcias enim quod mox aperientur oculi eius: & videbit pater tuus lumen cœli: & in aſpectu tuo gaudebit:* & adhuc infra, *Tunc ſumens Tobias de felle piſcis liniuit oculos patris ſui: & ſuſtinuit quaſi dimidiam fere horam. Et cœpit albugo ex oculis eius quaſi membrana oui egredi. Quam apprehendens Tobias traxit ab oculis eius: ſtatimque viſum recepit.*
c cap. 12. & demum, (c) *Tunc vocauit ad ſe Tobias filium ſuum, dixitque ei: Quid poſſumus dare viro iſti ſancto, qui venit tecum? Reſpondens Tobias dixit patri ſuo: Pater, quam mercedem dabimus ei? aut quid dignum poterit eſſe beneficijs eius? Me duxit & reduxit ſanum, pecuniam a Gabelo ipſe recepit, vxorem ipſe me habere fecit, meipſum a deuoratione piſcis eripuit, te quoque videre fecit lumen cœli, & bonis omnibus per eum repleti ſumus. Quid illi ad hæc poterimus dignum dare? ſed peto te, pater mi, vt roges eum, ſi forte dignabitur medietatem de omnibus quæ allata ſunt, ſibi aſſumere. Et vocantes eum, pater ſcilicet & filius, tulerunt eum in partem: & rogare cœperunt vt dignaretur dimidiam partem omnium, quæ attulerant, acceptam habere. Tunc dixit eis occulte: Benedicite Deum cœli,* &c. ac mox, *Et nunc miſit me Dominus vt curarem te, & Saram vxorem filij tui a Dæmonio liberarem. Ego enim ſum Raphael Angelus, vnus ex ſeptem, qui aſtamus ante Dominum. Cumque hæc audiſſent, turbati ſunt, & trementes ceciderunt ſuper terram in faciem ſuam. Dixitque eis Angelus, Pax vobis, nolite timere: etenim cum eſſem vobiſcum per voluntatem Dei eram: ipſum benedicite, & cantate illi. Videbar quidem vobiſcum manducare & bibere: ſed ego cibo inuiſibili, & potu qui ab hominibus videri non poteſt, vtor. Tempus eſt ergo vt reuertar ad eum, qui me miſit: vos autem benedicite Deum, & narrate omnia mirabilia eius. Et quum hæc dixiſſet, ab aſpectu eorum ablatus eſt, & vltra eum videre non potuerunt.* An non poterat Angelus ille multo prius, degente Tobia filio apud Raguelem in Media, eoque dormiente, tollere de felle piſcis, & inuiſibiliter ocyſſime pergere ad patrem eius cæcum, & eius oculos eo linimento, rarefacto quoque ad inſenſibilem ſubſtantiam, aperire, quo abſtergerentur albuginis membranæ, vel ægro non animaduer-
d Daniel. 14. f. tente? poterat quidem non minus, quam qui prophetam (d) Habacucium in impetu ſpiritus ſui capillo appenſum citiſſime portauit Angelus per aerem ex Iudæa in Babylonem ad concluſum Danielem in lacu Leonum refocillandum, rurſusque de Babylonio lacu confeſtim reſtituit in Iudæam. Sed & Angelus, tam bonus, quam malus, & iuſſioni diuinæ pariter, & ariolorum, magorumque votis obtemperantes ad certa ſigna ex pacto fœdereque

cum

cum ijs inito, mirabiliter ægritudinum curationes perficere, & e contra
morbos inuehere, certum eſt item e ſacra pagina, in qua legimus, tum
(*e*) Ochoziam Regem Samariæ ægrotantem conſuluiſſe de ſalute ſua Beel- *e* 4. Reg. 1.
zebub Deum Accaron, qui Dæmon erat malus, *Ceciditque Ochozias per cancelles
cenaculi ſui, quod habebat in Samaria, & ægrotauit: miſitque nuncios, dicens ad eos;
Ite, conſulite Beelzebub, Deum Accaron, vtrum viuere queam de infirmitate mea
hac; Angelus autem Domini locutus eſt ad Eliam Thesbiten, dicens: Surge, & aſcen-
de in occurſum nunciorum regis Samariæ, & dices ad eos: Numquid non eſt Deus
Iſrael, vt eatis ad conſulendum Beelzebub Deum Accaron? Quamobrem hæc dicit
Dominus; de lectulo, ſuper quem aſcendiſti, non deſcendes, ſed morte morieris.* tum
Satan Dæmonem percuſſiſſe Iobum vlcere peſſimo a planta pedis vſque ad
verticem eius, (*f*) *Egreſſus igitur Satan a facie Domini, percuſſit Iob vlcere peſſimo,* *f* Iob 2.
a planta pedis vſque ad verticem eius: qui teſta ſaniem radebat, ſedens in ſterquilinio.
tum Angelum Domini peſtilentia populum Iſrael occidiſſe vſque ad ſe-
ptuaginta millia virorum breuiſſimo tempore, (*g*) *Immiſitque Dominus pe-* *g* 2 Reg. 24
*ſtilentiam in Iſrael, de mane vſque ad tempus conſtitutum, & mortui ſunt ex populo
a Dan vſque ad Berſabee ſeptuaginta millia virorum. Quumque extendiſſet manum
ſuam Angelus Domini ſuper Ieruſalem vt diſperderet eam, miſertus eſt Dominus ſu-
per afflictione, & ait Angelo percutienti populum: Sufficit: nunc contine manum
tuam: erat autem Angelus Domini iuxta aream Areuna Iebuſæi. Dixitque Da-
uid ad Dominum, quum vidiſſet Angelum cedentem populum, Ego ſum qui peccaui,
ego inique egi: iſti, qui oues ſunt, quid fecerunt? vertatur obſecro manus tua contra
me, & contra domum patris mei* tum demum Iſaiam morienti Ezechiæ, iuſſu
Domini medicinam feciſſe, dato ſigno ſalutis in vmbrarum horologij mira-
bili retroceſſione: (*h*) *Hæc dicit Dominus Deus Dauid patris tui: Audiui ora-* *h* 4 Reg. 20
*tionem tuam, & vidi lacrymas tuas; & ecce ſanaui te, die tertio aſcendens templum
Domini: & addam diebus tuis quindecim annos.* & mox. *Dixitque Iſaias, Afferte
maſſam ficorum; quam quum attuliſſent, & poſuiſſent ſuper vlcus eius, curatus eſt.
Dixerat autem Ezechias ad Iſaiam; Quod erit ſignum, quia Dominus me ſanabit, &
quia aſcenſurus ſum die tertia templum Domini? Cui ait Iſaias: Hoc erit ſignum
a Domino, quod facturus ſit Dominus ſermonem, quem locutus eſt: Vis vt aſcendat
vmbra decem lineis, an vt reuertatur totidem gradibus? & ait Ezechias: facile eſt
vmbram creſcere decem lineis: nec hoc volo vt fiat, ſed vt reuertatur retrorſum de-
cem gradibus. Inuocauit itaque Iſaias propheta Dominum, & reduxit vmbram per
lineas, quibus iam deſcenderat in horologio Achaz, retrorſum decem gradibus.* Ita-
que conſimili quoquo pacto ratione Magorum anuli ſignati certis characte-
ribus, aut imaginibus; conſtructique determinata cæli conſtellatione, du-
dum effectus admirabiles edebant, non quod ab illis imaginibus & ſculptu-
ris vlla vis ineſſet anulis huiuſcemodi; ſed quod illæ forent indicia fœderis
initi cum Dæmone, qui ad arbitrium Magi per clandeſtinam applicationem
actiuarum cauſarum naturalium ſubiectis paſſiuis apte diſpoſitis, effectus
inde naturales eliceret; qui, latentibus nos eorum cauſis, referebantur vulgo
in patentes anulos, & in anulorum ſenſibiles characteres, & in conſtellatio-
nes dominantes tempore ſculpturæ. Nam vt euentus admirabiles a Lucia-
no deriſos in anulis ad cauſas proprias referamus, *Mercurium ego volo obuiam*

mihi

mihi venientem dare anulos, qui huiuſmodi vim habeant. Quid ni fieri poſſit, vt Dæmon Mercurij formam ex aere condenſato ſibi circumpoſitam gerens, anulum magicum tribuat vel mago, vel alij ex pacto cum mago; nonne ſub forma viſibili Dæmon paſſim cum magis agere conſueuit? *primum quidem, vt recte ſemper valeam, & corpore ſanus ſim, & inſauciabilis*: an non poteſt Dæmon, qui corpora motu locali ciere poteſt, inuiſus arcere ab humano corpore cauſas omnes morbificas? qui enim, permittente Deo, Iobum iuſtum toto corpore ſauciauit vlcere peſſimo; quidni poterit a corpore procul amouere tela vulnifica, & alia cuncta ſanitati moleſta? *& nulli perturbationi obnoxius*: profecto valet Dæmon in phantaſia noſtra cunctas imagines rerum triſtium extinguere, ſimulacraque lætarum viceuerſa producere, ac ita nos a perturbatione prorſus immunes efficere; qui frequenter procreatis in imaginatione ſpectris obſcænæ libidinis, homines in Venerem rapit; qua de re fuſe Lucretius. *ſecundum autem, vt ne conſpici poſſit is, qui eum induerit, qualis ille Gygis fuit*: nempe ſublatis ſpeciebus ſenſibilibus geſtantem repræſentantibus ab oculo præſentium, vt antea ſatis oſtendi, poteſt per anuli Magici ſignum Dæmon hominem inuiſibilem reddere. *Deinde aliam quendam vt robore ſuperem virorum decem millia*: ſi terroribus Panicis perculſum integrum exercitum olim pauci ſuperarunt; quid ni Dæmon incutere queat decem millibus hominum tantum horroris, per ſimulachra meticuloſa in eorum animis producta, vt ab vno, cuius imaginem horrendam repræſentet, facile fugentur, atque vincantur? *atque onus, quod alioqui decem millia hominum mouere ſimul vix poſſent, ego ſolus facile in humeros attollere poſſim*: & id efficere Dæmon valet cooperans anulato ſuo ad id ponderis geſtandum: vt olim ſedens ſuper lapide, ſaxum reddidit immobile a pluribus hominibus, antequam inde pelleretur a D. Benedicto: ſuccollans igitur inuiſus Dæmon, pondus facile leuat, quod ab anulato ſolo mirabiliter portari videtur, a decem millibus hominum vix portari valens. *Præterea & volare poſſim longe a terra in ſublime ſublatus, & ad hoc quoque anulum habeam*: ſcilicet ad anuli ſignum Dæmon hominem viſibilem inuiſus ipſe per aera deferre valet, vt volare videatur; nam & Simon Magus olim a Dæmone ſublimis actus fuit, vt volare videretur; etſi priuatus Dæmonis auxilio D. Petri iuſſu, præceps in terram ceciderit: & ſagæ non raro Dæmonibus per aera deuectæ ſublimes volant ad nocturnos nefarioſque conuentus. Immo vero ſi Dæmon potuit Chriſtum Dominum aſſumere, ſtatuereque ſupra pinnaculum templi, & in montem excelſum valde; vt ait (*) Euangeliſta; cur non poterit inuiſus geſtantem anulos magicos per aera portare, ac ocyſſime veluti volantes deferre quocunque libuerit? *Iam vero, & in ſomnum reſoluere quos voluero*; non difficile fuerit Dæmoni ſoporifera cuicumque clam admouere naribus inſpiranti, & ad arbitrium anulati ſui ſomnum promouere vi naturali. *Et omnem ianuam accedenti mihi aperiri, laxata ſera, & dimoto obice, hæc ambo vnus anulus poſſit*. nimirum Dæmon ad vnius anuli ſignum, facile potuit clam obicem dimouere, laxare ſeram, & omnem ianuam aperire accedenti anulato ſuo. *Et quod maximum eſt, alius quiſpiam ſit ſupra omnes ſuauiſſimus, qui me amabilem faciat induenti, & pueris formoſis, & mulieribus, & populis totis, neque*

*Matth. 4.

quam-

quemquam amoris expertem eſſe ſinat, & cui non deſiderabiliſſimus ipſe videar, atque in ore ſim, ita vt multæ mulieres, dum amorem pati nequeant, ſeipſas etiam ſuſpendant; & adoleſcentuli ad inſaniam redigantur mei deſiderio: adeoque ſeipſos beatos eſſe putent, ſi quem ipſorum vel aſpiciam ſolum; ſi vero contemnam, etiam illi mærore pereant; & in ſumma ſupra Hyacinthum, aut Hylam, aut Phaonem Chium illum ſim. Quæ Dæmon anulato præſtare poteſt, tum eius temperiem alterando, *De ſenſibus reiuueneſcentibus.*
quam ſequatur eximia pulchritudo; tum eius viſibilem ſpeciem euehendo
ad repræſentandum hominem amabilem; tum immutando imaginationes
aliorum ipſum intuentium, mire miſereque percellendo ad eius amorem, alterato quoque ſingulorum ſanguine corporeque ad vehementem eius concupiſcentiam. *Atque hæc omnia habeam non in breue tempus ac ſtatim moriturus; neque etiam ad menſuram humanæ vitæ viuens, ſed annos mille, ſubinde iuuenis ex iuuene renaſcens, viuendo exigam, circa decimum ſeptimum quemque annum exuens ſenectutem, perinde atque ſerpentes.* Id quidem irridens anulorum magicorum vim attulit Lucianus veluti prorſus impoſſibile; quum tamen haud ſolum Dæmon queat magicis præſtigijs homines recoquere ac ex ſenibus in iuuenes viſui mutare, quod Medeam olim feciſſe fingunt poetæ: verum etiam ex hiſtorijs habemus aliquot ex ſenectute non ſemel ad iuuentam redijſſe, recuperatis dentibus, & denigrata canicie; vt enim omittam, quod Aeſchylus poeta cecinit de Bacchi nutricibus reiuueneſcentibus, & de ariete in agnum mutato; quodque Lycophron, Simonides, & Pherecides de Iaſone marito
ſene a Medea in iuuenem recocto; & Ouidius de Iaſonis (*i*) patre decrepito *i* 7. meta.
ab eadem iuuentuti reſtituto, in cuius transformatione.

„ ——————— barba comæque
„ Canitie poſita nigrum rapuere colorem,
„ Pulſa fugit macies, abeunt pallorque ſituſque,
„ Adiectoque cauæ ſupplentur corpore rugæ,
„ Membraque luxuriant. Aeſon miratur, & olim
„ Ante quaterdenos hanc ſe reminiſcitur annos.

Etſi modum a poetis poſitum non recipio, quod vetere toto ſanguine de venis educto, nouus ac iuuenilis inductus fuerit; nam fieri non poteſt id niſi
mortis interuentu, a qua phyſice non (k) datur ad vitam reditus: Ita plane *k* 1. de an.
recipiendum eſt tum a ſacra pagina, renouari iuuentutem in aquilis, & ſimi- t. 41.
li modo poſſe in hominibus, (*l*) *Renouabitur, vt aquila iuuentus tua*: & apud *l* pſal. 102.
Iſaiam, (*m*) ex Diuo Auguſtino, *Qui autem ſperant in Domino, mutabunt for- m* cap. 40.
titudinem, aſſument pennas, ſicut aquilæ. tum a Dioſcoride ac alijs exuere paſ- v. Pier. 14.
ſim cum cortice ſenectutem angues: tum ab (*o*) Herodoto, (*p*) Heraclide, hier.
Autoreque (*q*) Dialogi Horti floridi, mortales multos ex ſenibus ad iuuen- *o* lib. 4.
tutem redijſſe: tum præſertim a Torquemada, Anno 1531. Tarenti fuiſſe *p* in Politi-
centenarium ſenem capularem; qui pilis, cute, vnguibus, & ſitu, atque ſqual- cis.
lore ætatis decidentibus, & in melioris ætatis omnibus mutatis, de ſene iu- *q* Dial. 1.
uenis prodierit, & quinquaginta poſt annis ſuperuixerit. In Caſtella quoque Rioia alteri cuidam viro ſimilem contigiſſe ſortem, idque vulgi fama
notiſſimum fuiſſe, & ab Ammira Caſtellæ ſedulo exploratum. tum a Vale- *r* l. 6. Philo-
ſco (*r*) Tarentaſio, qui ſcribit, ſe viuo fuiſſe Monuedij, quod Regni Caſtel- nij c. 12.

læ opidum eſt, olim Saguntus, Monialium Abbatiſſam, cui iam ſilicernio, ſubito menſtruis fluoribus renouatis, dentes renati, comæ denigratæ, rugæ & ſulci cutis adæquati, mamimæ pendulæ atque pannoſæ ad inſtar virgunculæ ſororiarunt: ſic denique ſe vultu, facie, totoque corporis habitu iuuenculam exhibuiſſe, vt rei nouitate percuſſa, præ verecundia ſe cunctorum oculis ſubtrahere niteretur. tum a Luſitanicę hiſtoriæ ſcriptoribus recentioribus, fidei probatiſſimæ, Ferdinando (ſ) Caſtanneda, & Io: Petro (t) Maffeio, cuidam Indo nobili, annorum, quibus vixit, trecentorum & quadraginta ſpatio, iuuentæ florem ter exaruiſſe, & ter refloruiſſe; verba Maffeij ſunt, *Dum hæc parantur, quidam e Gangaridum gente, quam hodie Bengalam vocant, ad Prætorem adijt, natus, vt ferebatur, annos trecentos triginta quinque, neque mendacij ſuſpicio ſuberat: nam & ſeniores, qui tum erant, ſe de hoc eodem grandæuo audiebant a maioribus accepiſſe; & ipſe filium habebat nonagenarium; & quum literam noſſet nullam, quæ referebantur ab eo de veterum geſtis rebus, ad fidem annalium optime congruebant. Huic aliquoties iam deciderant dentes, alijs continuo ſubnaſcentibus: & barba vbi prorſus incanuiſſet, in atrum denuo colorem, idque paulatim, ſemetipſa vertebat. Ante centeſimum annum idola coluerat, inde æque miſerabili errore ad nefariam Mahometis tranſierat ſectam. Is propter miraculi nouitatem Sultani ſtipendijs ali conſuetus, idem vitæ ſubſidium ab Nonnio petijt: Nonnius haud grauate aſſignauit.* An autem his adiungendus ſit Neſtor Heros Homericus, quem ſcribit (*) Athenæus ter ſenem fuiſſe; an ideo ter ſenex dictus, quia tercentum annos vixerit viridi ſenecta, prorſus incertum eſt. Tot ſane teſtimonijs fide digniſſimis fidem abrogare pluſquam nimiæ ſit incredulitatis, ne dicam peruicaciæ. De fonte vero, quem Ouiedus refert ac tantum non reprobat, (u) inquiens, *Che il Gouernator Gio: Ponze con due Carauelle ſcoperſe l'Iſole di Bimini, che ſono a Tramontana dell' Iſola Fernandina; & in queſto tempo ſi diuelgò quella fauola del fonte, che faceua ringiouenire, e tornare giouini e freſchi li vecchi: e fù nel 1512. Si diuolgò queſta coſa tanto, e tanto ſi teneua per certa dall' Indiani di quelle parti, che il Capitan Gio: Ponze andò più di ſei meſi con le ſue Carauelle perſo, e con molto trauaglio fra quelle Iſole cercando di queſto fonte. Il che fu gran burla a dirlo gl' Indiani, e maggior errore a crederlo i noſtri, & a ſpender il tempo in cercarno.* Licet arduum ſit, opinari ſcaturientem aquam tantæ virtutis eſſe, non tamen id habuerim omnino incredibile, qui paſſim videam, aquis thermalibus miras ineſſe virtutes profligandi morbos alijs præſidiorum generibus minime cedentes: nam virtute naturali poſſe ſenem non ſemel reiuueneſcere, quod ab anulo cupiebat Lucianus, mihi non eſt inter abſurda reponendum; adeoque inter ea, quæ nequeant a Dæmone præſtari, qui non ſolum omnium rerum phyſicarum vires nobis occultas optime callet: ſed etiam humani corporis temperamentum, permittente Deo, ad nutum mutare, proindeque facile efficere, vt, qui defecta iam & decrepita curuantur ætate, reſumant vires, & habitum nitoremque iuuenilem; muteturque canities in atrum colorem, frigus in calorem, ſegnities in agilitatem, imbecillitas in robur; cetera que corpus acquirat denuo, quæ ſenectus abſtulerat: nam, vt ait (x) Ariſtoteles, *ſenium non eſt, quia ſuſtinuit aliquid anima, ſed id in quo, ſicut in ebrietatibus, & morbis*: Dæmon autem in corpus, & in morbos, omneſque paſſiones

(ſ) l. 8. (t) l. 11. (*) l. 10. c. 9. (u) 16. hiſt. Ind. c. 11. (x) 1. de an. t. 65.

corporeas, qualis eſt iuuentus, atque ſenectus, habet imperium, Dei ſummi permiſſu; quare facile poteſt, adhibitis oportune cauſis naturalibus actiuis, vel clandeſtine, ſenem ſemel & iterum iuuentuti reſtituere ad annos mille, & vlterius. Nec obeſt, quod legitur in ſacra pagina, (y) *Eruntque dies hominis centum viginti annorum.* & quod ait (z) Moſes, *centum viginti annorum ſum hodie; non poſſum vltra ingredi & egredi.* Quia his locis agitur de ordinario vitæ humanæ curſu, & de eo quod vt plurimum hominibus contingit; nos autem ſumus in caſu extraordinario, qui rariſſime contingit. Quin & illud ſpatium datum eſt hominibus ante diluuium degentibus ad tempus pœnitentiæ: Moſesque ſenectutem ſuam excuſauit imparem ducendo, & gubernando populo; non autem mortis neceſſitatem accuſauit in anno centeſimo vigeſimo. Minus obeſt, quod indies humidum radicale conſumitur, & calor fatiſcit; quæ duo nequeant vlla medicorum ope reſarciri, reſtituive; nam omni medico noſtrate ſcientior Dæmon, potentiorque, facile poteſt ea præſtare, quæ nemo poteſt in propoſito: non tamen ideo poteſt homini iuuentutem infinities renouare, vitamque penitus immortalem reddere; quia ſenſim fatiſcente natura humana, quæ per ſe mortalis eſt, nullis præſidijs phyſicis, vel a Dæmone adhibitis, valet immortalis effici; quia quod eſſentialiter ac per ſe caducum eſt, nullis naturæ, Dæmonisve viribus æternum effici valet. Sic igitur Dæmones, quorum confertiſſimus eſt aer, vt aiunt ſacri (a) Doctores, & permittente Deo miram obtinent poteſtatem in elementa, & in omnia corpora mixta; quin & in phantaſiam, eiusque ſimulacra, Dæmones inquam nullo negotio poſſunt, cum varie mouendo mortalium imaginationem, illorum affectus & paſſiones percellere ad amorem, iram, odium, & id generis alia: tum etiam alterando corporis humores, membrorumque noſtrorum temperaturas, ſpecies, colores, proportiones, nos & alios erga nos agere, moresque noſtros (qui corporis temperaturam maxime ſequuntur) mouere non minus, quàm cæleſtium vires dominantes in ortu noſtro, rerumq; ſubcæleſtium ſingularum, elementaria quæq; cum ambientis affectione, varijs, ac determinatis temperamentis, inclinationibus, affectibus, paſſionibusque donent & afficiant; vt (b) antea vidimus. Quare conſtituunt, conſtituereque docent Magi ſuos anulos cum characteribus, & imaginibus quibuſdam ſibi determinatis, ac aſteriſmis dominantibus, veluti ſignis pacti, ſiue manifeſti, ſiue occulti fœderis cum cacodæmone, qui geſtantium voto nutuique debeat obtemperare in morbis aut pellendis, aut inferendis; in affectibus appetitus varie percellendis; & in imaginationis idolis commouendis, clandeſtina ſubitariaque cauſarum agentium naturalium ſibi notiſſimarum applicatione tempeſtiue ad paſſiua diſpoſita. Habent attamen vt plurimum anuli magici characteres ignorabiles, dictiones occultæ ſignificationis, figuras enormes, atque monſtrificas, ijs perſimiles,
16 quæ ſpectantur in anulo Gorlæi quadrageſimo ſexto, qui humano capiti barbato ſine ceruice collove iunctum immediate corpus habuit muris, cauda tridentem elatum gerentis: & in centeſimo decimo, qui gerit collotenus
17 iuncta tria capita, galli, leonis, & equi, duos in angues deſinentia: & in cen-
18 teſimo octogeſimo tertio, cui ſculptum eſt buſtum humanum cum collo

y Gen. 6.
z Deut. 31.
a D. Th. 1. qu. 64. 4. 0. D. Paul. Eph. 6. Coloſſ. 1.
b cap. ſup.

& capite criſtati galli canentis, dextera coronam, læua galeam tenenti, pu-
bétenus induto ſago militari, vnde pedum loco defluunt dependentque duo
ſerpentes, ad inſtar crurum Erichthonij. Sed & veriſimile ſatis eſt, cacodæ-
monem Magis perſuaſiſſe, vt in anulis inſculperent Deorum gentilium ſimu-
lacra, ſic homines ad Idolorum cultum alliciens, quaſi vel eorum imagines
anulo geſtatæ ſalutaria forent contra morbos remedia; huiuſcemodi plures
depinxit anulos Gorlæus in ſua dactyliotheca, nempe quartum, qui ferreus
in gemma Sarda inciſum habet caput Herculis contectum exuuio leonis: 19
quinquageſimum quintum, qui argenteus in gemma Sarda Satyrum habet, 20
ſeu Pana Deum tuba claſſicum canentem, velut apparuit Cæſari in Rubi-
conis ripa: ſexageſimum, qui ſimiliter argenteus in gemma Heliotropio ge- 21
rit inciſum Aeſculapium dextra baculum velut humi figentem cum aduolu-
to ſerpente: ſeptuageſimum, item argenteum, cuius gemma Onix inciſum
habet Mercurium petaſatum, cum talaribus, caduceum, læua tenentem, & 22
marſupium manu dextera veluti porrigentem: ſeptuageſimum quintum ar-
genteum inauratum, in cuius gemma Sarda inciſus eſt idem Mercurius ea- 23
dem forma, ſed nudus; cubitum ſiniſtrum, e quo dependet veluti veſtimen-
tum, columnæ capulo nixum firmans, & a dextris ex humo duas frumenti
ſpicas erectas habens: ſeptuageſimum ſextum argenteum, cuius gemma
Onix inciſum gerit Mercurij gallum ſuper temone cum AmalthEæ cornu: 24
centeſimum argenteum, in cuius Onice gemma viſitur Venus nuda ſeſe la- 25
uans ad peluim, & cum aligero Cupidine colloquens: centeſimum duode-
cimum aureum, in cuius gemma Sarda inciſum eſt caput bouis, quo rapuit 26
Iupiter Europam, inter cuius cornua ſtat Aquila, a cornu læuo ſurgit oleæ
ramus; ab vno latere Onix gemma gerit inciſum ſimulachrum victorię Ro-
manæ haſtatæ coronam porrigentis, & in cathedra ſedentis; in altero ſignum
Genij Romani nudi, columnæ cubito ſiniſtro cum iaculo in eadem manu,
dextera tropheum extollens, ad pedes vrnam habens, e qua exit ſpica; inter
latera ſculptam epigraphen gerens, Iovi Opt. Max. ſacr. centeſimum quin-
quageſimum quintum aureum, cum gemma Onychina, in qua Satyrus ſimul 27
duas tubas inflat: centeſimum quinquageſimum octauum aureum, in cuius
gemma Onychina ſculptus eſt Iupiter dextra triſulcum vtrinque fulmen vi- 28
brans, ſiniſtra innixus haſtæ, aquilam ad pedes: centeſimum quinquageſi-
mum nonum aureum, cuius in Onychina gemma ſculptus eſt Hercules, dex- 29
tra gerens clauam, & leonis pellem, ſiniſtra ramum oleæ, ſeu lauri: centeſi-
mum ſeptuageſimum ſeptimum aureum, in cuius Onychina gemma ſcul-
ptus eſt Apollo chelim tangens, pallio retro pendulo ab occipite, cetera nu- 30
dus: centeſimum ſeptuageſimum octauum aureum, gemma Onyce ſculpta
ſimulachro Mercurij caduceum inclinantis ad coruum ante pedes ſtantem: 31
centeſimum nonageſimum tertium aureum, in Achate inciſum caput Iouis 32
coronati: centeſimum nonageſimum quartum aureum, in cuius gemma Sar-
da inciſa eſt luna cornuta circundata ſtellis: centeſimum quintum argen- 33
teum cum pala aurea, & Sarpa vtrinque a lateribus æs, & ferrum habente; in
pala Sol erat inſculptus capite radioſo, in vertice ſtella culminans, a dextro 34
tempore ſignum Veneris, a ſiniſtro Mercurij, vtrinque ad genas altera ſtella:

ſub

ſub mento Lunæ cornua, ab vno latere anuli Leonis ſignum inter ſtellas, ſub charactere Veneris, ab alio ſub charactere Martis Cancri ſignum itidem ſtellulis circundatum: licet hi duo poſteriores anuli commode referri valeant ad Aſtrologicos. Ad magicos tamen abſque dubio referam illum, qui deſcriptam gerens ignotæ ſignificationis dictionem *Abracatabra*, dicitur appenſus curare febrem. Hæc exaraueram, quum ad me perſcripſit in hanc ſententiam Sebaſtianus Baldus Medicus Genuenſis, omni eruditione cultiſſimus, *Dum forte de re litteraria colloqueremur ego, & alius quiſpiam non infimæ notæ vir, inter alia quæ ſermo tunc temporis tulit; id vnum quæſitum maxime fuit, an reuera verum eſſet, quod de Paredris, quos vocant, intra anulos incluſis, ab aliquibus affirmari auditur. Ille fabulas verius accenſeri, quam vera hiſtoria ratus, circumforaneorum circulatorum potius præſtigias qui fallacijs ſuis & caliculis illudunt plebi, qui ve etiam*

» Nitelas oris ex Arabicis frugibus
» Tenuem candificum, nobilem puluiſculum
» Complanatorem tumidæ gingiuulæ,
» Conuerritorem pridianæ reliquiæ
» Ne qua viſatur tetra labes ſordium
» Reſtrictis forte ſi labellis riſeris.

Dum plebem ita ludificant, ſolent diuendere. At ego Clem. Alex. (c) *autoritate* c 1. ſtro.
ſuffultus in contrariam ſententiam propenſius ibam, qui peculiarem narrat hiſtoriam cap. 12.
de Exceſto Phocenſium tyranno, duos habente incantatos anulos, quorum mutuo incurſu, & inde edito ſonitu prænoſcebat tempus rerum gerendarum; interfectusque tandem eſt per dolum, non ſine prænunciato per ſonitum euentu ſecuturo. Hucusque Clemens, qui huius narrationis teſtem laudat Ariſtotelem in opere de Phocenſium Republica. Addidi Damaſcium quendam in vita Iſidori apud Photium, (d) *qui etiam* d cod. 242.
meminit Paredrorum intra globulos concauos (Betilos vocat) incluſorum, & anuli Temperantiæ, quem conſtat fuiſſe incantatum. Dum priſcorum anulos tractas, opportune rogamus ſententiam tuam, vt nodum ſeces, vir doctiſs. qui melius Alexandro, difficultatum myriades, quantumuis ſint implexa, expedire facillime ſoles. De hoc peculiari quæſito, non eſſet, vti reor, extra rem, caput vnum explicare. Cui ſane viro amiciſſimo vt morem geram, libere proferam quid in propoſito ſentio. In anulo Photij, cuius hiſtoriam late (e) ſuperius, nihil ego video, e cap. 8.
cur incantatum, & magicum cenſeam: illud in oppoſitum me ducit, quod caſtitatis & temperantiæ, quam anulus ille præſtare dicebatur, ſit oſor Dæmon omnis. At mulier illa viro philoſopho digna, marito caſtitatem amanti atque iubenti, parens fuit, anulo ſimplici ſuſcepto in teſſeram caſtimoniæ voluntarijque diuortij. Num vero poſſint, & quomodo Dæmones includi certis anulis, diſtinctionibus vtendum ad huius quæſiti ſolutionem. Mihi ſane rationabile videtur, incorporeos ſpiritus, quos Dæmones appellamus, ſiue boni ſint, ſiue mali: poſſe ſponte includi non anulo ſolum, ſed in quocunque alio corpore tam animato quam inanimato: de bonis, certum eſt apud Orthodoxos, & in Rubo ardente, qui Moyſi dudum (f) apparuit non f exod. 3.
conſumi; & in (g) columna ignis nocturni, fumi, nubisve diurnæ, populum g exod. 13.
Hebræorum in deſertis ducente; quin & in aeria ſtella Magos Chriſticolas

ad

b D. Tho. ad Præſepe Domini perducente, concluſos Angelos fuiſſe, iſtiuſmodi (*b*) cor-
3. q.36.7.0 pora mouentes, qui ſponte in illis aderant, libere ſummo Deo miniſtrantes.
De Cacodæmone pariter, nemo negare queat recte, pridem in ſtatuis incluſum, ex quibus Gentilibus reſponſa dabat; & qua ratione ad fallendos homines in illas materiales ex auro, ligno, argento, lapideve ſtatuas Dæmon ſe
i pſ.95. ſe inſinuabat; quo nomine Pſaltes, (*i*) *omnes Dij Gentium Dæmonia*; non diſſimili poteſt in anulum ingredi. Deinde poteſt Dæmon a ſuperiori virtute cogi concludique intra certa loca corpora ve, propterea & intra anulos: Ita bonos Angelos Deus præficit cuſtodiendis prouincijs, locisque determinatis; ita malos Dæmones tum boni vinciunt, tum etiam Sacerdotes virtute diuina; tum etiam mali validiores; nam Aſmodæus ab Archangelo Raphaele
Tob.8. ligatus legitur in deſerto, *Tunc Raphael Angelus apprehendit Dæmonium, & re-*
l cap.20. *ligauit illud in deſerto ſuperioris Aegypti*. & D. Ioannes in Apocalypſi, (*l*) *Et vidi Angelum deſcendentem de cælo, habentem clauem abyſſi, & catenam magnam in manu ſua. Et apprehendit draconem, ſerpentem antiquum, qui eſt diabolus, & Satanas, & ligauit eum per annos mille. Et miſit eum in abyſſum, & clauſit, & ſignauit ſuper illum, vt non ſeducat amplius gentes, donec conſummentur mille anni: & poſt hæc oportet illum ſolui modico tempore*. Sic etiam S. Silueſter ligauit Dæmonem
m c.18. in ſerpente, vt (*m*) antea notaui. Nemine autem hominum virtute propria poſſe ligare, cogereve, ſeu concludere Dæmonem vllum in anulo, vel in alio
n cap. 40. corpore inuitum, pro certo habeo, qui noui Deum Iobo dicentem, (*n*) *An extrahere poteris Leuiathan hamo, & fune ligabis linguam eius? Numquid ponet circulum in naribus eius, aut armilla perforabis maxillam eius? Numquid multiplicabit ad te preces, aut loquetur tibi mollia? Numquid faciet tecum pactum, & accipies eum ſeruum ſempiternum? Numquid illudes ei quaſi aui, aut ligabis eum ancillis*
o cap.41. *tuis?* & mox, (*o*) *Non eſt ſuper terram poteſtas, quæ comparetur ei, qui factus eſt vt nullum timeret. Omne ſublime videt, ipſe eſt rex ſuper vniuerſos filios ſuperbiæ*. Cæterum vt homines decipiat, ſponte cum illis ad tempus ex fœdere præſto eſt, certisque ſignis datis eorum iuſſibus paret, ſeque ab ipſis ligari permit-
p 21.de ciu. tit, aut fingit. Ita Diuus Auguſtinus, (*p*) *Illiciuntur autem Dæmones ad inha-*
c.6. *bitandum per creaturas (quas non ipſi, ſed Deus condidit) delectabilibus pro ſua diuerſitate diuerſis, non vt animalia cibis, ſed vt ſpiritus ſignis, quæ cuiuſque delectationi congruunt, per varia genera lapidum, herbarum, lignorum, animalium, carminum, rituum. Vt autem illiciantur ab hominibus, prius eos ipſi aſtutiſſima calliditate ſeducunt, vel inſpirando eorum cordibus virus occultum, vel etiam fallacibus amicitijs apparendo, eorumque paucos diſcipulos ſuos faciunt, plurimorumque doctores. Neque enim potuit, niſi prius ipſis docentibus, diſci quid quiſque illorum appe-*
q tom. 1. *tat, quid exhorreat, quo inuitetur nomine, quo cogatur; vnde magicæ artes, earum-*
mag. diſ. *que artifices extiterunt*. Ita Dæmonem familiarem Socrati fuiſſe paſſim ſcri-
l.2 in f. bitur a Claſſicis: Ita quidem Theſio cuidam Paredrum dedit Ariſtoteles in
r l. 2 recog. Admirandis Auditionibus, nota ut L. (*q*) Delrij; ſeit tamen ego diligenter
ſ in vit. D. lecto toto illo Ariſtotelis volumine, [illegible] hiſtoriam inuenire non potui:
Io. Euang. ſic eiuſdem Delrij teſtimonio Paredrum tribuit Simoni Mago D. (*r*) Cle-
in chron. mens: Cynopi (*ſ*) Prochorus: Aquitano militi (*t*) Froſſardus: Alteri Io:
u l.5. c.50. (*u*) Calarius: ita communiter Theologi noſtri decernunt, non aliter Dæ-

mones anulis includi, quam ex pacto, vel vi potentioris Dæmonis in eis de-
tineri, ſi vere coacti detinentur; vel ſponte ſua fingere ſe in anulis detineri,
vt Magos, alioſve decipiant, quibus anuli ſimiles venditi fuerint. Ita certe
apud D. Hieronymum in Hilarione, queritur Dæmon ſe licio, & lamina
conſtrictum teneri. Vt iam dubium eſſe nequeat viro cordato, poſſe Dæ-
mones anulis includi, adeoque Paredros haberi reuera, de quibus & inſi-
gnium virorum teſtimonia habemus fide digniſſima, & argumenta liberum
intellectum plane conuincentia. At vero non diffiteor pleroſque anulorum,
qui pro magicis, & pro Dæmonem includentibus venditantur, eſſe meras
impoſturas, atque figmenta; cuiuſmodi certe fuit ab Heliodoro deſcriptus,
in hæc verba, (x) *Memineris ante omnia, vt inter pignora tecum expoſita, anulum* x l. 4.
quendam inquiras, & tibi vendices; quem pater tuus mihi, quum illi deſponſaret
donauit, regio quidem ſigno in circulo ſculptum, lapide autem Pantarbe, & occulta
vi prædito, in pala conſecratum. & inferius, (y) Chariclia *præuertens rogum* y l. 8.
conſcendit; & in medium ſe ſe conferens, diu intacta ſtetit, circumuagante potius
igne, quam appropinquante, & nihil nocente, ſed cedente in quam partem ſe Chariclia
conieciſſet, ac vt illuſtraretur tantum, circumſtante ſplendore, magis ob pulchritu-
dinem conſpicua, & quaſi in igneo thalamo nubens efficiente. Illa autem nunc in
hanc, nunc in aliam partem rogi tranſiliebat, admirans illud quod fiebat, & ad mor-
tem accelerans: ceterum nihil proficiebat, ſemper dante locum igne, & tanquam ad
illius motum refugiente. Tortores autem non minus remittebant quicquam, ſed
magis etiam incumbebant (Arſace quoque motibus minacibus imperante) ligna con-
gerentes, & fluuiatilem arundinem cumulantes, ac omni ratione flammam alentes
& concitantes. Sed nec ita quicquam proficiebatur, ſed magis vrbs perturbabatur;
& diuinam opem eſſe exiſtimans, Munda eſt muliercula, inſons eſt muliercula, ex-
clamabat: & accedentes plerique, tortores a rogo repellebant: Thyami incipiente, &
populo ad auxilium ferendum, animum addente (iam enim & ille aduenerat, immen-
ſo clamore id quod fiebat indicante) & Charicliam eripere cupientes, proxime quidem
accedere non audebant, ſed vt ipſa rogo excederet puella imperabant. Non enim quic-
quam periculi eſſe metuendum ei quæ in igne verſata ſit, ſi eum relinquere voluerit.
Quæ videns & audiens Chariclia, & ipſa putans ſe diuino præſidio defenſam eſſe, ſta-
tuit ſe non ingratam eſſe debere erga numen, nec reijcere beneficium: & exiluit e rogo;
vt vrbs præ gaudio ſimul & ſtupore magnum clamorem & conſonantem tolleret.
& mox Chariclia defenſionem hanc ſui ab igne refert in anulum, dicens,
Inter hæc, Theagenes, quæ ſunt monilia magno ſumptu conſtantia, & lapides Ini...
& Aethiopici, eſt etiam quidam anulus dono datus a patre meo matri, tum qu...
deſponderetur, lapidem qui vocatur Pantarbe, in pala inſertum habens, ch...
quibuſdam ſacris pictus: denique ceremonia quadam, vt videtur, diuiniore plenus &
a qua coniector vim aliquam lapidi accedere, quæ ignem depellat; hoc ijs, qui illum
habent, vt nullo ſenſu, nec detrimento in flamma afficiantur, dono dantem. Quæ
& me forſitan voluntate diuina ſeruauit, &c. Similiter & impoſtores multi
paſſim anulos magno pretio venditare ſolent, credulis nimirum hominibus
affirmantes incluſos in ijs eſſe familiares Dęmones, quos illis oſtendunt ima-
gine ſcorpij ferrei, vel alia ſub gemma tranſlucida ſe ſe motitante, nimirum
ſtilo latenter inixa. Sed tamen abſolute conſtat de ſuperioribus, anulos ma-

gicos

gicos reuera comperiri, & eos in quibus Paredri ſunt incluſi. Nec enim de-
z l. 5. c. 6. roganda fides eſt Euſebio Cæſarienſi, qui de (z) Præparatione Euangelica
ſcribens, fatetur Dæmones ab hominibus cogi poſſe, proindeque anulis in-
cludi. Quare ſatis conſtat Paredros in anulis includi poſſe tum a potentio-
ri Dæmone, tum a Magis ex pacto cum Dæmone, tum etiam ſponte ſeipſos
vinctos ſimulando. Sed hactenus de Magicis anulis.

De Anulis ſuperſtitioſis.
Cap. XXIII.

18. an. finis. AFfinem anulo Magico ſuperſtitioſum facile dixero; de quo anulorum
genere Parœmiographus ait, *Priſcorum ſuperſtitio plurimum tribuit anu-
lorum efficacia, ita vt venderentur incantamentis varie efficaces, alij contra morſus
ferarum, alij aduerſus calumniam, alij ad alia vel depellenda incommoda, vel commo-
da concilianda ijs, qui geſtarent.* Sed & Scribonius Largus inter antiquos me-
a de medi- dicos illuſtris de anulo ſuperſtitioſo mentionem habet inquiens, (a) *Ad cal-
cam. comp. culoſos, cucumeris ſeminis, dauci, aneſi, apij, petroſelini, mirrhæ, ſingulorum * P.
152. trium, & victoriati, caſſiæ daphnidis, cinnami, nardi, ſingulorum * P. vnius; aqua
colliguntur, fiunt paſtilli, lupini magnitudinis. Ex aqua dantur cyathis tribus per
dies quadraginta. Hoc medicamentum quum componitur, pilum ligneum ſit, qui
contunditur, anulum ferreum non habeat. Hanc enim ſuperſtitionem adiecit Am-
broſius, Medicus Puteolanus, qui adfirmauit multos ſe hoc medicamento ſanaſſe:
detrahere autem dixit poſt diem ſeptimum fragmina quadam lapidum, quaſi are-
nam.* Quem locum valde corruptum in ſuis emendationibus reſtituit apte
Io: Rhodius noſter, dum legit, *Hoc medicamentum quum componitur, pilum li-
gneum ſit: qui contundit, anulum ferreum non habeat.* Recte ferreum; nam hic
proprie ſeruorum erat, quales olim Seplaſiarij omnes: verum ita fortaſſis
anulus iſte poterit a ſuperſtitione liberari, ſi dixerimus, triplici de cauſa Se-
plaſiarium ſeruum in hoc medicamento contundendo detrahere ſibi debuiſ-
ſe ferreum anulum: vna quidem eſt, quod anuli ferrei ſeruorum erant craſ-
ſiores, teretes, & ſolidi; quare nimis impediebant contuſionem ſeminum
duriorum & aliorum ingredientium, quæ minutiſſimum in pollinem opor-
tebat abire, quo poſſet eorum ſubſtantia per aquæ vehiculum deferri vſque
ad veſicam, lapides effractura; ſecus enim aqua ſola, quantumuis alterata
qualitatibus illorum, impar erat calculis effringendis; ac eo magis, quo pi-
ſum ligneum ad comminuenda ſemina in ſubtiliſſimos pulueres, debet ictu
valido impelli, proindeque manu ſtringier arctiſſime; cui functioni ferreus
anulus ille ſeruilis teres & craſſus impedimento non paruo futurus erat.
Altera vero cauſa eſt, quod anuli ferrei ſeruorum ſordidiorum potuerunt
eſſe rubigine quapiam infecti, cuius portionem aliquam inter contunden-
dum contingat in medicamentum decidere; qua vis medicamenti plurimum
*Dioſc. l. 5. hebetetur; quia rubigo vim habet potius (*) adſtringentem & emplaſticam,
cap. 53. quam lapidis inciſoriam. Tertia demum cauſa potuit eſſe, quod anulus fer-
reus grandis in digito contundentis ea ſemina pilo ligneo, iugi continuaque

con-

contritione potuit facillime, terendo lignum, ex eo multa ſenſim excutere corradereque ramenta; quæ in medicamentum decidentia, virtutem illius infringerent, atque turbarent. Quare facile liberari potuit eius medicamenti compoſitio a ſuſpicione anuli ſuperſtitioſi. A qua tamen liberari non poſſe videtur aliud medicamentum, deſcriptum a Marcello, pariter inter antiquos medicos principes inſigni, dum ait, (b) *Ad coli dolorem ſcribere debes in lamina aurea de graphio aureo infraſcriptos characteres Luna prima vigeſima, & laminam ipſam mittere intra tubulum aureum, & deſuper operire, vel involvere tubulum ipſum pelle caprina, & caprina corrigia ligare in pede dextro, ſi dextra pars corporis colo laborabit; aut in ſiniſtro, ſi ibi cauſa fuerit, habere debebit. Sed dum vtitur quis hoc præligamine, abſtineat Venere, & ne mulierem, aut prægnantem contingat, aut ſepulchrum ingrediatur, omnino ſervare debebit. Ad ipſum autem coli dolorem penitus vitandum, vt ſiniſtrum pedem ſemper prius calciet, obſeruabit. Hi ſunt characteres ſcribendi in aurea lamina.* b cap. 29.

L ✶ MθRIA
L ✶ MθRIA
L ✶ MθRIA

Certe vinculum atque ligamen hoc ad anulos, vel anos coriaceos redigi debet: ita Feſto dicuntur anuli *circites circuli ex ære facti*, circus enim deducitur a [ΚΙΡΚΟΩ,] *ligo-anulo, ſeu ducto in orbem vinculo*. Gloſſæ veteris notatu. Anuli vero ſuperſtitio tota mihi ſita videtur in iſtis characteribus nullius, aut ignotæ ſignificationis; etenim cetera poſſunt habere rationem cauſæ naturalis; etenim quum dolores coli potiſſimum oriantur in parte membranacea & exangui, cuiuſmodi ſunt omnia inteſtina, præſertimque colon appellatum, a cauſa frigida calorem illius natiuum debilem adhuc magis eneruante, cruditates atque flatus propterea generante, a quibus dolor promouetur ac exacerbatur: ſane quæcunque calorem infirmare labefactareque poterunt, ea coli dolorum curationem impedient; quæcunque viceuerſa calorem roborare, flatus diſcutere, craſſosque ſuccos ob cruditatem attenuare, poterunt, ea colico dolori mire ſuffragabuntur. At aurum mirifice natiuum calore proprietate quadam inſita ſeruare, ac roborare, proindeque putredini, malignitatique reſiſtere, communiſſimum eſt Medicorum dogma; quorum plurimis aurum potabile ſi fieri contingat, eius vſu calor inſitus, vita, ſanitasque diutiſſime conſeruetur incolumis: ne vero contactu metalli vllius quomodocunque labefactetur auri virtus, eſt a ſimili potius conſeruetur & augeatur, optime præcipit Marcellus vt alliganda pedi ſit aurea lamina, ſcripta graphio aureo, miſſaque intra tubulum aureum. Lunam præterea nemo neſcit habere dominium in humores atque flatus, qui cum ea turgeſcunt atque decreſcunt: vigeſimam primam diem Lunæ certum eſt illius tenere decrementum; adeoque tempus eſſe diminutionis flatuum & humorum; quo nomine ſupra notauimus ex (d) Plinio, (e) Columellaque, ligna, quæ ad ædificiorum durationem cædenda ſunt; feneſcente Luna, non ante vigeſimam diem proſterni debere; quod poſt diem Lunæ vigeſimam omnia ligna d l. 16 c. 39. e l. 9. c. 1.

ſicciora ſint. Conſtat item experimentis Medicorum, maximum eſſe conſenſum pedum cum inteſtinis; nam ex ſola pedum refrigeratione ſtatim quibuſdam aluus laxatur, & plurimis exoriuntur tormina; meminique dudum mihi iuueni Cl. Virum Coſtæum præceptorem dixiſſe, quum olim Ferrariæ Antonius Muſa Braſauolus Eſtenſi Duci Medicinam faceret, forte contigiſſe vt ille Princeps alui adſtrictione laboraret; quumque nollet pharmacis vti, neque clyſteribus, aut ſuppoſitorijs, iuſſiſſe Medico rationem comperiret, qua ſine medicamentis illi flueret aluus. Medicus præſcripſit deambulationem nudis pedibus marmoreo ſuper pauimento; quare deambulanti frigore pedum pulſus & concentratus calor influens ad imum ventrem, eo virtus inteſtinorum expultris corroborata paulo poſt fæces excreuit: vnde Medicus a Duce donatus eſt aureo torque: facile ſit ergo Marcelli medicamento pedibus adhibito, ex eo vapores ad inteſtina ſurſum aſcendere, qui flatus diſcutiant, colicum dolorem aduehentes. Deinde quis ignorat, vſum Veneris valde debilitare calorem naturalem ventriculi, inteſtinorum, & aliarum corporis neruoſarum partium omnium? A muliere, potiſſimum menſtruata, ſi tetriores effluunt halitus, qui ſpeculorum læuorem inficiunt; quidni contactu feminei corporis, fęculenti vapores per meatus corporis hominis tangentis intro recepti, calorem ipſius naturalem eneruent, ac male protinus afficiant? Id ipſum dixeris de muliere prægnante; nam in ea fœtus, attracto ſibi de maternis venis puriore ſanguine ad ſui nutricatum
f cap. 21. & incrementum (vt late probaui dudum agens de (f) perfecta conſtitutione hominis in vtero) matri relinquit impuriorem ſanguinem; vnde & ipſa decolor eſt, & ex ipſa per inſenſibilem a Medicis appellatam tranſpirationem aſſiduæ tetriores halitus exeunt, caloris naturalis eneruatores in eo corpore, in quod permeantes accipiuntur. Sepulchrorum itidem caueæ ſcatent putridis cadauerum vaporibus, a quibus plurimum debilitatur calor
g Petron. orb. c. 71. innatus viuentium in eas ingredientium, vt moris erat (g) antiquorum; etenim perſæpe contigit (quod alibi notaui) vt ingreſſi ſepulchrum breuiſſimi mora temporis in eo necarentur a malis peſtilentibuſque vaporibus; nam & olim ex apertis vetuſtiſſimis monumentis Aegypti tetri vapores egreſſi, ventiſque per aerem in Græciam delati ſæuiſſimam illam peſtem ex-
h l. 2. bell. Peloponn. i lib. 6. citarunt, de qua (h) Thucidides, & poſt eum (i) Lucretius mirabilia commemorauit. Et non ita pridem in Arce Venetorum munitiſſima Fori-Iulij, Palma-Noua memorabile facinus accidit, cuius hiſtoriam mihi nuperrime curauit a Parocho loci Excellentiſs. I. C. Sebaſtianus Columbina Vtinenſis in Patauino Lyceo publicus Legum Interpres, in hæc verba, a me Latio data, *In medio Cathedralis Eccleſiæ Palmæ ſepulchrum amplum excauatum eſt ad humanda cuiuſcumque generis humana cadauera, proindeque profundum ad ſurgentis aquæ ſcaturiginem; quæ defunctorum putredine coinquinata tetris, & craſſis admodum vaporibus caueam replebat; nam ad centum fere buſta continebat; & quum ante ſex menſes non eſſet apertum os tumuli, anno 1638. die 19. Aprilis, circiter horam primam noctis, dum ſepulturæ daretur Iacobus quidam famulus Illuſtriſſimi D. Franciſci Badoarij Theſaurarij, a tribus Veſpillonibus, Ioanne Ripa, Franciſco Mauro, & Ioanne Hortulano; Ripa deſcendens in criptam per ſcalam, vel vt ſolueret*

ca-

cadauer a reſte, vel potius vt ipſum ſpoliaret indumentis, illico ſuffucatus interijt. Animaduertentes poſtea ſocij Ripam nec eloqui, nec aſcendere de ſepulchro, poſt aliquam temporis intercapedinem Maurus & ipſe deſcendit in foueam, auxilium Ripæ laturus, exiſtimans eum occupatum eſſe in extricando funiculo, quo vinctum fuerat cadauer, aut illi mali quidpiam accidiſſe. Hoc etiam neque vocem edente, neque ſurſum aſcendente, timor præſentes inuaſit, & inde plebecula clamorem tollere. Sed Ioannes Hortulanus ille tertius Veſpillo clamauit intrepide, volo quoduis ego ſubire periculum in auxilium meorum comitum, & ſigno crucis munitus ait, Domine Deus vobis commendo filios meos, & hoc effatus deſcendit ſcalam. Circumſtantes animaduertentes etiam hunc poſt certum temporis interuallum nihil dicere, nec aſcendere, confuſione ſtuporeque capti, nonnulli currerunt ad nunciandum ſtatim Illuſtriſſimo & Excellentiſſimo D. Bertucio Valerio Generali illius temporis; qui auditis quæ acciderant, cenſens ab aere intra ſepulchrum corrupto & putrido Veſpillones interemptos fuiſſe; ad tetrum & craſſum aerem attenuandum & vtcumque purificandum, iuſſit in criptam diſplodi ſimul pleraque tormenta bellica, quos Moſchettos appellant; & mane proxime ſequenti iuſſit e ſepulchro tres illos Veſpillones extrahi, vt in eorum corporibus inquirerentur indicia, ſi quæ forent, adeo repentinæ mortis. Iniunctum fuit id muneris cuidam Franciſco & ſocijs, quorum nomina latent; hi longioribus vncis haſtatis eduxere Veſpillonum corpora, in quibus nihil aliud quam inſignis nigredo conſpici potuit: expoſita fuere tria iſta cadauera mane pro foribus Eccleſiæ, quibus poſtea ſolita exequiarum ſolemnia celebrata ſunt; & alio loco ſepulturæ tradita; nec vllus operariorum, aut aſſiſtentium quidquam detrimenti perpeſſus fuit. Medicorum opinio fuit, aerem clauſum in ſepulchro, ſine debita ventilatione computruiſſe, veneficamque qualitatem contraxiſſe; aut admiſtione craſſiorum vaporum adeo denſum euaſiſſe, vt reſpirationi penitus ineptus continuo viuentes illos in ſepulchro ſuffocauerit. Et obſeruatum fuit a circumſtantibus, tertium illum Hortulanum ſtatim ac in deſcenſu faciem habuit ſub fornice cauea, loqui voluiſſe, verum nequiuiſſe; ſed illico de ſummo ſcalæ præcipitem in imum foueæ cecidiſſe. Sepulchrum obturatum fuit, & ita ſuperne lapidibus conſtratum, vt nullum ambulantibus appareat eius veſtigium. Tria vero illa cadauera non potuerunt aſtantes afficere, quod non halarent ex ſe qualitatem vllam peſtilentem; ſimiliter apertum ſepulchrum extrinſecus præſentes male non habuit; quia tetrum aerem intra ſe continuit. Ac vere potius craſſitudine ſua denſis halitibus oppletus aer in ſepulchro Veſpillones ſuffocauit, quam venefica, peſtiferave qualitate illos necauerit; etſi nonnihil malignitatis in ſe retinere potuerit: ſed Aegyptiaca ſepulchra vapores peſtilentes halarunt, quibus per aera ventorum flamine delatis Athenas peſte ſæuiſſima deuaſtarunt. Nec abnuero tertiam cauſam addere ſepulchro Palmenſi, nimirum Veſpillones a tetris vaporibus caput illico replentibus inducta vertigine cecidiſſe, ſuffocatoſque ſtatim defeciſſe; quod tertius ille cadens de ſummo ſcalæ manifeſtiſſime comprobauit; vt repentina mors illis obtigerit tum cerebro vertigine circumacto, tum corde refrigeratione priuato; nam (k) Hippocrates admonet cerebri concuſſione, atque circumductione mortales repente mutos fieri, ac interire; nam vt ait in commento Galenus, aphoniæ nomine ſignificat Hippocrates iacturam ſenſus, & motus voluntarij, quo non aliter atque apoplectici, & attoniti ſine vllo k 7. aph. 58

Q 2 ſen-

ſenſu omnino, & motu proſtrati iacent, ac in ea paſſione moriuntur. Quin etiam loca ſubterranea cuncta, quod intra ea comprehenſus aer ſolaribus radijs minime purificetur, minimeque concoquatur, ſed ibi ſtagnans immotus hæreat, halitibusque terræ fæculentioribus inquinetur; loca inquam ſubterranea cuncta ſunt hominum valetudini colorique naturali maxime noxia. Pedis etiam ſiniſtri prior calceatio non caret ratione phyſica, quod mira pedibus (vt adnotabam) cum imo ventre, contentiſque intra eum inteſtinis, adeoque cum colo nuncupato conſenſio intercedere videatur; qua ſtatim ex pedum frigore tormina ſuſcitantur, communicato frigore inteſtinis: Quum autem pars humani corporis dextera longe calidior ſit quam ſiniſtra, vt cum
l 6. epid. (*l*) Galeno fatentur omnes Medici, ratioque confirmat, quoniam in dextro
tom.2. latere iecur eſt, & venarum omnium truncus maximus; propterea pes dexter
4. de vſ. diutius magiſque reſiſtere poteſt ambientis frigiditati, quam ſiniſter, qui ci-
part. c. 7. tiſſime refrigeratur, & ſui noxam ocyſſime communicans inteſtinis, coli dolorem promouet & auget: quare ſapienter dicitur a Marcello, pedem ſiniſtrum in colico dolore prius eſſe calceandum, quam veſtiatur dexter. Ad ſolos itaque characteres ignotæ, nulliusve ſignificationis referenda nobis eſt vniuerſa ſuperſtitio vinculi Marcellini. Sed & alium anulum ſuperſtitio-
† cap. 9. ſum attulit idem Marcellus Empiricus, (†) inquiens; *Ad colicum dolorem fa-*
*in Athen. *cit* (obſeruatu quoque (*) Cauſaboni) *anulus de auro texta tunica exuſta, qui*
l. 3. c. 34. *habeat in ambitu rotunditatis vtriuſque, ideſt exterius, & interius Græcis literis ſcriptum,* [THEOS KELEYEI MH KQEIN KOLON PONEYS] ſane ſuperſtitio eſt, tum quod literis Græcis inſcribi debeat anulus, tum quod intrinſecus & extrinſecus, tum quod ad auxilium diuinum confugitur, vbi poteſt haberi naturale, ac humanum: an non Deus literas latinas, & alias præter Græcas audit, & exaudit? an non vel extrinſecus, vel intrinſecus tantum inſcriptas? ſed Theophraſtus in characteribus ait ſuperſtitioſos. Sed ad eiuſmodi ſuperſtitioſorum anulorum genus facile reuocauero priſcum illum, in cuius Iaſpide ſculptos vidit Cl. Pignorius noſter hoſce characteres itidem ignotæ, nulliusve ſignificationis, vt ipſe notauit ad oram Marcelli Empirici, quem habet Io: Rhodius,

F V A V S
T N T O R D F
N E A T I D F D

Quin & ad characteres etiã notæ ſignificationis in anulo deſcriptos, verum ad propoſitum nihil attinentes, referri debet anuli ſuperſtitio; cuiuſmodi reor eſſe anulum, de quo mentio fit in Empiricis Medicis Hieronymi Boniforti M. S. apud Ioan. Rhodium noſtrum, his plane verbis, *Ad epilepſiam anulus ex auro fiat, in quo includatur de vmbilico pueri nouiter nati, & de pilis canis albi, & modicum rad. Peonia ac pyrethri: & deſuper pone Smaragdum: & circum circa ſculpantur, Gaſpar fert Myrrham, Thus Melchior, Balthaſar aurum. Hic anulus in digito, vel ad colum portetur.* Cetera poſſunt habere rationem phyſicam; epigraphe meram habet ſuperſtitionem. Hanc eandem anulo-

rum

rum confectionem ad Epilepſiam proponit cum alijs Antonius Guainerius, inquiens (*) *Accipe de vmbilico pueri nouiter nati, & anulo auri eum include, Smaraldum vero deſuper. Vel accipe de pilis canis albi cum modico peonia radicis, & de radicis pyrethri, & anulo aureo includantur. & ſi ſuper hos anulos infraſcriptum feceris, Gaſpar fert myrrham, thus Melchior, &c.* Quid ſi retulerimus ad anulos aut magicos, aut ſuperſtitioſos illum, de quo Petrus Aponenſis libro de (m) remedijs in hæc verba? *Aliud eſt etiam, quod ſcriptum eſt in libro Regum Perſarum, quod ſi ſculpere feceris in lapide Hæmatitis virum genuflexum cinctum ſerpente, cuius caput teneat dextra manus, & caudam ſiniſtra, poſuerisque lapidem hunc in aureo anulo, & ſub lapide poſueris radicem ſerpentaria tritam; portaueriſque hunc anulum, ab omni veneno præſeruat. Quod quidem ego quandoque præparari feci, & ad prædictum vſum ſeruaui.* Sed tamen non addidit an vſui fuerit. Si ſuperſtitioſus anulus eſt, vniuerſa ſuperſtitio reſidet in imagine hominis genuflexi ſerpente cincti, manuque dextera caput, ſiniſtra caudam anguinam tenentis; nihil enim hæc habet virium naturalium contra venena: ſed facile crediderim hunc anulum eſſe magicum, ſicut & illum Tralliani; de quo ſuperius. Ad hoc idem genus anulorum ſuperſtitioſorum armillam referas, quam ita celebrat (o) Plinius, *Pueri qui primus ceciderit dens, vt terram non attingat, incluſus in armillam, & aſſidue in brachio habitus, mulierbrium locorum dolores prohibet.* etenim dens, qui primus cadit, ac terram non attingit, nihilo magis quam ſecundo cadens, ac e terra ſtatim collectus virium naturalium habet in propoſito. Superſtitioſos eadem ratione referas ad anulos ea vincula, quæ ſtatim ſubdit Plinius, inquiens, *In manu dextra duo medij lino leuiter colligati, diſtillationes atque lippitudines arcent. Quin & eiectus lapillus calculoſo, alligatus ſupra pubem, leuare ceteros dicitur, ac iocinoris etiam dolores: ac celeritatem partus facere: addidit Granius, efficaciorem ad hoc eſſe ferro exemptum. Partus accelerat vicinos, ex quo quaque conceperit, ſi cinctu ſuo ſoluto fœminam cinxerit, deinde ſoluerit, adiecta precatione, ſe vinxiſſe; eundem & ſoluturum, atque abierit.* & mox, *Inguinibus medentur aliqui, licium telæ detractum alligantes nouenis ſeptenisue nodis, ad ſingulos nominantes viduam aliquam, atque ita inguina illigantes licio. Item capitis dolorem ſedare, laqueum ſuſpendioſi circumdatum temporibus.* Nec a ſuperſtitione diſtat, quod Didymus ait, *Si vir mingat per anulum pronubum antequam cum ſponſa coeat, inuictus ſe reddet incantamentis, nec ſtriges ei nocere valebunt.* Quum itaque ſuperſtitio ſit maxime iuncta cum Idololatria, Dæmonum ve cultu, apud homines tum magiæ deditos, tum etiam aſtrologiæ; quod apertiſſime conſtat non ſolum ex Iamblico, de priſcis Aegyptijs aſſerente apud Cælium, (p) Illorum religionem non fere aliud quam ſuperſtitionem fuiſſe magna ex parte, in malorum Dæmonum cultu præcipue debacchantium hominum. Quæ res, ait Cælius, ampliſſime gentium earum ruditatem coarguit in primis: nam vt hebetiſſimus quiſque eſt, ita facillime ſuperſtitionum vanitatibus mancipatur: quas ingenium vegetum doctrinæ nitoribus defæcatum excultumque præcipue auerſatur, alliditque. Adde, quod præter Idololatriæ inſaniam, mathematicis maxime incubuiſſe homines illi pernoſcuntur: ad quam rem prolectabat eos regionum illarum benignior tractus, patentibus late campis, ac noctibus ſerenitate

* pract. tr. 7. c. 8.

m cap. 4.

o l. 28. c. 4.

v. Theophr. charact. de ſuperſtitioſis.

p l. 16. c. 4.

tate

tate perpetua ſiderali contemplationi niteſcentibus: eo procliuius auido ingenio viros præcellentes ad ſe perlicuerunt; nam & in epiſtola ad Pherecydem ſcribit Thales, in Aegyptum ſe cum Solone commeaſſe, ſtudio ſacerdotes inuiſendi, & aſtronomos; quin & ab eiſdem ſe geometricis imbutum, non inficiatur: verum etiam ex D. (q) Paulo dicente, *Viri Athenienſes, per omnia quaſi ſuperſtitioſos vos eſſe video: præteriens enim, & videns ſimulacra veſtra: inueni aram, in qua ſcriptum erat,* IGNOTO DEO. quod enim ſyriace eſt, *nimios in cultu Dæmonum,* Græce legitur [*DEITIDAIMONESTEROYS*] *æquo ſuperſtitioſiores*; eo ſcilicet, quod vano Dæmoniorum timore, lapides, ligna, ſpiritus, ignota quoque & ambigua numina colerent: Quo ſenſu Gentilium errorem Patres ſuperſtitionem nuncupant. Quare iam anuli ſuperſtitioſi parum, vel nihil potius diſſident ab Aſtrologicis, & a Magicis, antea ſatis explicatis; & propterea de his eadem ratio debet haberi, quam de illis habuimus, aut parum differens; quæ ex illa facillime noſcatur.

q act. 17.

De Anulis ad Faſcinum: & qua ratione phyſica malum id auerterent, ac in faſcinatores regererent. Deque anulis ad ani prolapſum & vlcera mirabilibus. Cap. XXIV.

19. an. fin. NOn valde quoque diſſident a propoſitis anuli ad Faſcinum antiquitus efformati; quum enim apud antiquos faſcinatio frequens haberetur pariter, atque timeretur; quam nihil aliud eſſe credebant, niſi noxam quandam ab oculis inuidorum per oculos fortunatorum atque pulchrorum, maxime puellorum illata vehiculo tetrorum halituum in corpus inſpecti atque laudati, ipſum miſere crucians atque tabefaciens; multis remedijs aduerſus eam vſi ſunt, quæ memorantur a Plinio, nimirum oſſe fructus (a) palmæ lunato: radice (b) ſatyrij orchis: adoratione peculiari (c) Græcæ Nemeſis, ſiue incantatione; (d) deſpuitione: corio frontis (e) hyenæ: tamen inter alia præſidia præcipuum fuit ſimulachrum pudendi virilis collo appenſum, vel anulo geſtatum; quod ab effectu nomen faſcini ſortitum fuit: non enim audio Porphyrionem ad illud Horatij,

a l. 13. c. 4.
b l. 26. c. 9.
c l. 28. c. 2.
d cap. 4.
e cap. 8.

„ Minusve languet faſcinum.

a (f) Cœlio citatum, dum ait, *Faſcinum pro virili parte poſuit; quoniam faſcinandis rebus hæc membri deformitas apponi ſolet:* ſed potius Varronem auſculto, cui *Pueris turpicula res quædam in collo ſuſpenditur, ne quid obſit, bonæ ſceuæ cauſa:* nam & Plutarcho, (g) *Id genus amuleta, quæ a prohibenda faſcinatione* [*PROBASKANIA*] *vocantur; ſunt quod putent aduerſus inuidiam conferre, quia ſcilicet ſic trahatur viſus per abſurditatem, quo minus innitatur affectis:* nimirum, vt ait Ariſtoteles, (h) *Quod autem ſenſoria cito, & modicas differentias ſentiant, ſignum eſt quod in ſpeculis accidit: de quo vtique per ſe inſiſtens conſiderabit quis, & dubitabit. Simul autem ex ipſo manifeſtum, quod quemadmodum viſus patitur, ſic & facit aliquid; in ſpeculis enim valde nitidis, quum menſtruis aduenientibus mulieribus inſpiciunt in ſpeculum, fit ſuperficies ſpeculi vt nubes ſanguinea: & ſi quidem nouum ſit ſpeculum, non facile eſt abſtergere huiuſmodi maculam: ſi vero vetus,*

f l. 4. c. 6.
g l. 5. ſymp. qu. 7.
h de ſomnijs c. 2.

fa-

facile. Cauſa vero, ut diximus, quoniam non ſolum viſus patitur aliquid ab aere, ſed & facit aliquid, & movet quemadmodum ſplendida; nam viſus ſplendidorum, & habentium colorem eſt. Oculi igitur rationabiliter, quum fiunt menſtrua, afficiuntur, ſicut & alia pars qualibet corporis: etenim natura exiſtunt pleni venarum; ideo quum fiunt menſtrua, propter turbationem & ſanguineam ebullitionem, nobis quidem quæ in oculis differentia incerta eſt, ineſt autem; nam eadem natura ſeminis & menſtruorum; aer autem movetur ab ipſis; & eum, qui ſupra ſpecula eſt, aerem continuum exiſtentem, qualem quendam facit & talem, velut ipſe patitur: hic vero ſpeculi ſuperficiem; quemadmodum enim veſtium, quæ maxime munda ſunt, citiſſime inquinantur; nam purum exacte monſtrat quicquid exceperit, & præſertim minimos motus; at vero, eo quod planum ſit, qualencunque tactum maxime ſentit: oportet vero intelligere, tanquam attritionem eſſe aeris tactum, & tanquam exterſionem, & ablutionem: propter munditiam vero manifeſtus fit, qualiſcunque ſit: non exeundi vero celeriter ex novis ſpeculis cauſa eſt, quod purum ſit & lene: ſerpit enim per huiuſmodi & in profundum & in omnes partes; nam eo quidem quod purum eſt, in profundum; eo autem quod lene eſt, in omnes partes; in veteribus vero non immanet, quoniam non ſimiliter ingreditur macula, ſed ſuperficietenus magis, &c. ita ſane de faſcinatione dicendum eſt, nam inuidis hominibus ab affectu ſanguis non minus perturbatur, & commouetur quam mulieribus menſtruatis; ex qua commotione perturbationeque ſanguinis, qui potiſſimum in ſenibus fæculentus eſt, & in inuidis, ac iratis atrabilarius, & (i) feruens, multi vapores tetri, & halitus impuri ſuſcitantur, & impelluntur extra corpus ab expultrice facultate, veluti noxij, ſed magna ex parte per oculos, in quibus hiant patentiores meatus lacrymarum, ac per patentiores oris, & narium poros, qui mali vapores aerem inficiunt; a quo male affecto facile communicatur infectio tabifica tenello cuicumque corpori, potiſſimum hominis; maxime penetrante vaporibus malis & impuris oppleto aere tum per inſpirationem oris nariumque meatus ad cor, tum per intuitionem oculorum poros ad cerebrum, duo membra principalia, quæ non facile ſuſtinent malas affectiones, quas illico toti corpori communicant, a ſe tetros illos halitus excutientia per arterias, venas, atque neruos in vniuerſum corpus; quod ideo facile contabeſcit & languet: ſi enim ſpeculi corpus duriſſimum & denſiſſimum penetratur & inficitur ab aere polluto vaporibus egreſſis ab ore, naribus, & oculis mulieris menſtruatæ, quæ qualemcunque ſuſtinet commotionem turbationemque ſanguinis; quidni corpus humanum longe mollius, ac vbique foraminibus etiam valde patentibus peruium permeetur, & male afficiatur ab aere pleno tetrioribus halitibus, qui feruidi, fæculenti, plurimi pelluntur ex ore, naribus, & oculis inuidi ac irati maleuoli faſcinantiſque ſenis, anuſque maleficæ? tale quid autem contingere comprobatur experimento lippitudinis, quæ per intuitum facile communicatur oculo ſano; ſiquidem ex oculis lippitudine purulenta laborantibus exeunt in aerem putridi vapores; quibus inquinatus aer facile ſanos oculos præſentes, quos tangit, afficit eadem ægritudine. Quin eadem ratione non ſolum hominibus adultis, verum etiam plantis obeſſe quorundam aſpectus apertum eſt; nam & apud (k) Plutarchum, *Thibios, id genti nomen eſt, Ponti quandam accolas Phylarchus*

i 3. de an. t.16.

k 5. ſymp. 7

ſcri-

ſcriptum reliquit, non pueris modo, verum etiam adultis peſtiferos eſſe; etenim viſum, animum (hoc eſt anhelitum) *& alloquium eorum, & item contactis corporibus &*
l l. 28. c. 4. *morbum afferre.* & apud (*l*) Plinium, inuidos Imperatoribus faſcinationem
m 2. Bomby. incutere ſolitos, habemus; & apud (*m*) Vidam oculatum teſtimonium legimus,

,, Quandoquidem memini Tuſci alta in rupe Viterbi
,, Ipſe ſenem vidiſſe ferum, cui dira vigebant
,, Ora, grauesque oculi ſuffecti ſanguine circum,
,, Fronsque obſcœna ſitu, hirtique in vertice cani.
,, Ille truci (ſcelus) obtutu genus omne necabat
,, Reptantum, tenues animas, paruosque volantes:
,, Quin etiam ſi quando hortos ingreſſus, vbi annus
,, Exuit expleto turpem nouus orbe ſenectam,
,, Floribus, & paſſim per agros incanuit arbor;
,, Ille hortis ſtragem dedit, arboribusque ruinam:
,, Spemque anni agricolæ mæſti fleuere caducam:
,, Nam quocumque aciem horribilem intendiſſet, ibi omnes
,, Cernere erat ſubito afflatos langueſcere flores.

n 3. mag. diſp. ſect. 1. f. Etſi vero Cl. (*n*) Delrius opinetur vno humore naturaliter tam diuerſas ſpeciei res afflatu ſolo non potuiſſe corrumpi, ſed hoc fieri vi pacti cum Dæmonibus initi, quibus ea labefactentur omnia; in quæ magus oculos intenderit; non abnuens ego tale quid fieri poſſe; reor attamen etiam eundem halitum peſtiferum atque noxium, qui citra violentiam Dæmonis poteſt phyſice puellos tabefacere teneros, & homines adultos, poſſe quoque flores omnium generum teneriores adurere; qui vel ſolo ambientis frigore corrumpuntur, cui reſiſtunt infantium corpora mollia nullo negotio. Sed non ne ab vnis & iiſdem halitibus tetris, atque peſtilentibus aerem inficien-
o 2. bel. Pelop. tibus olim, (*o*) Thucididis, & Lucretij teſtimonio, corrupta ſunt variarum ſpecierum viuentia, ſegetes, animantia bruta, & homines Athenienſi peſte
p lib. 6. graſſante? non ne nouimus hominis veneni eſu famigerabilis contactu
q 2. de his muſcas pariter & homines vna cubantes interimi? Ne dicam Poetam ex ar-
qui di. ſi. te potuiſſe quadam amplificatione vim mali corpora virorum labefactan-
al. viu. c. tem ad arborum flores extendere. Hac de re pulchre ſatis Heliodorus,
220. (*) *Hic aer vndiquaque nobis circumfuſus, per oculos, nares, & anhelitum, & alios*
to. 1. nauig. *poros intus ingrediens, & vna ſecum exteriores qualitates, quibus imbutus eſt, inferens,*
p. 157. 296. *qualis influxerit, talem quoque affectum iis, qui illum exceperint, inſeminat.*
* l. 3. *Quamobrem cum aliquis cum inuidia res præclaras eſt intuitus, ſimul & circumſtantem aerem infeſta qualitate impleuit, & ſpiritum a ſe amarulentia plenum in id quod propinquum eſt, transmiſit. Ille autem, vt tenuis & ſubtilis, vſque ad oſſa ipſa & medullas penetrat: atque ita plerisque fuit inuidia morbi cauſa, qui proprium nomen faſcinationis accepit. Iam autem & illa conſidera, Chaticles, quam multi dolorem oculorum & peſtis contagionem hauſerint, quum haudquaquam attigiſſent illis morbis laborantes, immo ne lecti quidem, nec menſæ eiuſdem, ſed tantum aeris fuiſſent participes.* Ceterum illud omnino certum eſt, faſcinationi ab inuidorum inſpectu præſentiaque priſcos occurriſſe ſimulacro mentulæ viri-

lis

lis appenſæ, vel geſtatæ quomodocunque, præſertim ſculptæ in anulo.
Quinimmo non geſtatæ tantum, ſed etiam vel prima ſyllaba Mutonis enun-
ciata; nam quod Plinius ait (*r*) *Nos ſi hæc & illa credamus rite fieri; Extranei* r l.28.c.4.
*interuentu, aut ſi dormiens ſpectetur infans, a nutrice ter adſpui; quanquam religio-
ne mutatur & faſcinus*. Turnebus ſcriptum inuenit in antiquis exemplari-
bus, *religione mu tuetatur*. Ea ſyllaba veteres vtebantur ad inuidiæ, mali, fa-
ſcini depulſionem. vt qui facile diuinis honoribus colerent, quicquid exi-
ſtimarent aliqua ratione mortalibus prodeſſe; cenſentes tum enunciata pri-
ma ſyllaba Mutini, qui prorſus idem eſt cum virili pudendo, faſcini nomine
quoque nuncupato; tum geſtatione ſimulacri partis illius obſcænæ, ſeu in
anulo, ſeu ad collum, ſeu aliter appenſæ, tueri mortales ab inuidorum faſci-
natione; religioſum habuerunt colere tanquam Deum mentulæ ſimulacrum;
& illud appendere pulchrorum, atque fortunatorum corporibus, & rebus
alijs ad eos attinentibus; vt addit ibidem Plinius; *quanquam religione muta-
tur*, ſeu *mu tueatur & faſcinus, Imperatorum quoque, non ſolum infantium cuſtos,
qui Deus inter ſacra Romana a Veſtalibus colitur, & currus triumphantium ſub his
pendens defendit medicus inuidia, iubetque eoſdem reſpicere*. Quam inſaniam ita
deplorat D. Auguſtinus, (*ſ*) *Iam vero Liberi ſacra, quem liquidis ſeminibus, ac* ſ 7. de ci-
per hoc non ſolum liquoribus fructuum, quorum quodammodo primatum vinum te- uit.c.21.
*net: verum etiam ſeminibus animalium præfecerunt, ad quantam turpitudinem
peruenerint, piget quidem dicere, propter ſermonis longitudinem: ſed propter ſuperbam
iſtorum hebetudinem non piget. Inter cetera, quæ prætermittere, quoniam multa ſunt,
cogor: in Italiæ compitis quædam dicit* Varro *ſacra Liberi celebrata cum tanta licen-
tia turpitudinis, vt in eius honorem pudenda virilia colerentur: non ſaltem aliquan-
tum verecundiore ſecreto, ſed in propatulo exultante nequitia; nam hoc turpe mem-
brum per Liberi Dies feſtos cum honore magno ploſtellis impoſitum, prius per rura in
compitis, & vſque in vrbem poſtea vectabatur. In opido autem Lauinio vnus Libe-
ro totus menſis tribuebatur, cuius diebus omnes verbis flagitioſiſſimis vtebantur, do-
nec illud membrum per forum tranſuectum eſſet, atque in loco ſuo quieſceret. Cui
membro inhoneſto matrem familias honeſtiſſimam palam coronam neceſſe erat impone-
re. Sed videlicet Liber Deus placandus fuerat pro euentibus ſeminum: ſic ab agris
faſcinatio repellenda, vt matrona hoc facere cogeretur in publico, quod nec meretrici,
ſi matronæ ſpectarent, permitti debuit in theatro*. Sic ergo veteres etiam ad fa-
ſcinationem auertendam anulos parabant, in cuius pala, ſeu loco fundæ
ſculpebant ſimulacrum membri virilis; cuiuſmodi anuli vetuſtiſſimi nuper
iconem habui ab eruditiſſimo viro pulcherrimam; e loco palæ videtur exer-
ta manus humana: quæ medium teneat complectaturque minimum. Cete-
rum vt ad religionem fatuum eſt referre geſtamen huius partis obſcænæ *Turpium*
pro depellenda, impediendave faſcinatione: ſic abſurdum eſt opinari, pri- *inſpectio cur*
ſcos illos abſque ſenſibili quopiam experimento paſſim exiſtimaſſe, pro cer- *faſcinationẽ*
toque habuiſſe rerum turpium geſtatu faſcinationem impediri, regerique in *prohibeat.*
inuidos faſcinatores; etenim Turnebi (*t*) relatu, *Appendebatur olim trium-* t cap.28.9.
*phantium currui Faſcinus Deus, vt in autores faſcinum rejiceret, eoſdemque faſci-
num & inuidiam recipere iuberet*: quod & Plinius obſeruat, cui, (*u*) vt viſum u l.28.c.4.
eſt, *Religione mutatur & faſcinus, Imperatorum quoque, non ſolum infantium cu-*

ſtos, qui Deus inter ſacra Romana a Veſtalibus colitur, & currus triumphantium ſub his pendens defendit medicus inuidiæ, iubetque eoſdem reſpicere, ſiue *recipere*, qui ſcilicet faſcinationem inuehere geſtiebant. Cauſa vero phyſica duplex eſſe videtur, altera quidem, quod inuidi faſcinatores, dum virulentos halitus intenta viſione per oculos in aliquem recta iaculari ſatagunt; inſolitæ turpiſque rei conſpectu ſtatim ad eam vertunt obtutum, viſionemque auertunt ab oculis faſcinandi; quare vapores illi tetri non ingredientes per oculorum & oris alios patentes meatus, non afficiunt interiora puelli, neque triumphantis viſcera. Sed altera mihi potior eſt; quod faſcinatorum animus inſpectu rerum turpicularum non poteſt non commoueri ad riſum, & ad aliquem gradum lætitiæ; quis enim non rideat aſpiciens pendentem Ityphallum ex curru triumphantis? appenſum mutinum collo puelli? geſtatum in anulo virile membrum manu comprehenſum? quin & nutricem ter deſpuentem in infantuli ſinu? & ſimilia turpia? certe Theocritus etiam quemque adultum monet olim ſibi cauiſſe a faſcino terna ſputatione in ſinum proprium, dicens

„ Vt non faſciner, ter in meum expui ſinum!

*l. 1. el. 2. & ipſe (*) Tibullus de faſcinatore,

„ Hunc puer, hunc iuuenis turba circumſtetit arcta

„ Deſpuit in molles & ſibi quiſque ſinus.

Quis item ignorat lætitia ſedari turbulentos humorum motus? iram leniri? rabiem inuidiæ demulceri? Quis ambigit, ex humoribus pacatis atque quieſcentibus nullos, vel paucos, eoſque minime noxios vapores & halitus extra corpus ex oculis & ore aſpicientis extrudi? ſane ſicuti morſus tum hominis, tum canis rabie furentis letifer eſt, non autem canis & hominis rabie carentis: ita virulenti ſunt vapores ex oculis inuidi ferocientis, innoxij ſunt vapores ex oculis hominis animo læto ridentis; perinde ac ex oculis mulieris menſtruatæ vapores effluunt multi fæculentique ex maſſa ſanguinis intra venas agitati, qui ſpeculum inficiunt; alio tempore menſis e ſanguine muliebri quieto in venis nulli tetri vapores exeunt, qui ſpecula maculent. Non ſolum autem turpicularum rerum aſpectus faſcinum auertunt ab alijs ob iſtam rationem phyſicam, ſed etiam ob aliam faſcinum regerunt in autores; quia faſcinatores inuidi videntes ſe turpium rerum viſu ſuo fine fruſtratos, procul amota cauſa riſus atque lætitiæ, cogitantes animo felicitatem eorum, quos oderunt, iterum furoribus inuidiæ ſtimulari miſere torquentur, & a ſemetipſis faſcinantur, ob vnam inuidiam corpore tabeſcentes, ſeque ma-

x Prou. 17. cerantes; namque ſpiritus triſtis (x) exſiccat oſſa. Sed & ad faſcinum inuidorum non autem ad ornatum priſcas mulieres pulchras geſtare conſueuiſſe inter crines manum illam obſcænam arte fabrefactam, quæ pudendi

y cap. 1. virilis purum putum ſymbolum eſt, vt (y) antea vidimus apud (z) Vale-

z Hiero. 36 rianum, cui digitus medius exporrectus, reliquis in pugnum attractis, ideo dicitur infamis & impudicus, quod virilis pudendi ſpeciem quandam oſtendit: conijcios ex antiquarum imaginibus; quos imitantes etiam noſtræ potius ad ornatum quam ad faſcinum capitis inter ornamenta portare ſolent eiuſcemodi manum ex corallio, vel auro factam, nihil de faſcinatione amolienda

lienda cogitantes: nec illius manus myſticam ſignificationem a Pierio propoſitam intelligentes. Ad anulos etiam faſcini referre lubet coronam, de qua (*a*) Virgilius,

» Paſtores hedera creſcentem ornate Poetam a Ecl. 7.
» Arcades, inuidia rumpantur vt ilia Codro.
» Aut ſi vltra placitum laudarit, baccare frontem
» Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.

Verum hæc habent aliam rationem phyſicam: ſane faſcinantis lingua laudatrix vltra placitum, mala dicitur; non quia laudet laude digniſſimum, ſed quia laudat vltra id quod ſibi placet, adeoque quia non laudat ad honorem laudati, ſed ad maleficium faſcinationis facilius & altius imprimendum in laudati corpus; etenim ſatagit, vt ad laudum ſuarum auditum exultet animus lætitia, qua calor ab intimis ad extimas corporis partes delatus & eneruetur ipſe nimium, & cutis omnes pori latius aperiantur; atque per eos patentiores promptius & altius inferat ſe ſe turbidis inuidi corporis halitibus infectus aer, qui vel ex ore tetri laudatoris multi iaculantur in laudatum; & calorem gaudio ſatis eneruatum diſſipant, ac humores inficiunt lue tetra faſcini. Sed huic opponitur ex baccare confecta corona; quod ea planta (*b*) Plinio, (*c*) Dioſcoridique coronaria ſit, & odorata, nempe Nardi quædam ſpecies, *Baccharis*, inquit, *vocatur Nardum ruſticum, de quo dicemus inter* b l.12.c.12.
flores: vbi ait, (*d*) *Bacchar quoque radicis tantum odorata eſt, a quibuſdam Nar-* c l. 3. c. 47.
dum ruſticum appellatum. Vnguenta ea ex radice fieri ſolita apud antiquos, Ariſto- d l.21. c. 6.
phanes priſcæ Comediæ poeta teſtis eſt: Vnde quidam errore falſo barbaricam eam appellant. Odor eſt ei cinnamomo proximus. Gracili ſolo, nec humido prouenit. & infra, (*e*) *Bacchar in medicina vſu, aliqui ex noſtris perpenſam vocant: auxiliatur contra ſerpentes, capitis dolores, feruoreſque: item epiphoras. Imponitur* e cap. 19.
mammis tumentibus a partu, & ægilopis incipientibus, & ignibus ſacris. Odor ſomnum gignit. Radicem decoctam bibere ſpaſticis, ruptis, conuulſis, ſuſpirioſis ſalutare eſt. In tuſſi vetere radices eius tres quatuorve decoquuntur ad tertias partes. Hac potio mulieres ex abortu purgat: laterum punctiones tollit, & veſicæ calculos. Conditur cum diapaſmate. Veſtibus odoris gratia inſeritur. & adhuc infra referens remedia contra morbos, qui totum corpus occupant, ait, (*f*) *Comitiales ſa-* f l.26.c.11.
nat & Baccharis radix arida in puluerem contrita, cyathis tribus cum coriandro in aqua calida. Dioſcoridi quoque, (*g*) *Fruticoſa & coronaria herba Baccharis eſt:* g l. 3. c.27.
aſpera folia eius ſunt: flores habet in purpura albicantes & odoratos: radices nigro veratro ſimiles, cinnamomi odori proximos. Aſpera nec humida amat loca. Medetur decocta in aqua Baccharis radix conuulſis, ruptis, ex alto præcipitatis, anguſtijs ſpiritus, diutina tuſſi, & vrinæ anguſtijs. Ducit eadem menſes, & vtiliter cum vino bibitur contra venenatorum morſus. Subdita feminis ex viridibus radicibus eius vna fœtus ex vtero trahit: puerperiſque decoctum eius inſidentibus accommodatum eſt. Vtiliter etiam ſicca & in puluerem trita corpori inſpergitur odore iocundo. Foliaque aſtringendi vim habent. Contra dolores capitis emplaſtri modo imponuntur. Oculorum itidem inflammationes, incipientes ægylopas, mammas a partu tumentes, & ſacros ignes curat. Præter hæc omnia ſomnum Baccharis odore conciliat. Ex quibus omnibus apertum eſt, Baccharim habere vires tum adſtringendi, proin-

deque roborandi caput: tum excalfaciendi, proptereaque fouendi, & au-
gendi calorem innatum, qui reſiſtere queat virulentiæ vaporum faſcinan-
tium, & eos a ſe propulſare: tum exſiccandi, diſſipandi, temperandique te-
tros illos halitus a faſcinatore impreſſos aeri, corpus faſcinationi obnoxium
ambienti. Ceterum an ad faſcinum etiam effictus fuerit anulus in anulo, quo- 36
rum vterque loco fundæ retinet hiatum quendam aperto podici turpi conſi-
milem, non ſatis liquet; liquet attamen ex hiſtoria ſacra, *Philiſthaos olim a Deo*
h 1. Reg. 5. *percuſſos in ſecretiori parte* (h) *natium, & computruiſſe prominentes extales eorum;*
i cap. 6. Qui a Sacerdotibus conſultis audiuerunt, (i) *Iuxta numerum Prouinciarum
Philiſthinorum quinque anos aureos facietis, & quinque mures aureos: quia plaga
vna fuit omnibus vobis, & Satrapis veſtris: Facietiſque ſimilitudines anorum veſtro-
rum, & ſimilitudines murium, qui demoliti ſunt terram: & dabitis Deo Iſrael glo-
riam; ſi forte releuet manum ſuam a vobis, & a Dijs veſtris, & a terra veſtra. Qua-
re aggrauatis corda veſtra, ſicut aggrauauit Aegyptus, & Pharao cor ſuum? nonne
poſt quam percuſſus eſt, tum dimiſit eos, & abierunt? Nunc ergo accipite, & facite
plauſtrum nouum vnum: & duas vaccas fœtas, quibus non eſt impoſitum iugum,
iungite in plauſtro, & recludite vitulos earum domi. Tolletiſque arcam Domini, &
ponetis in plauſtro, & vaſa aurea, quæ exoluiſtis ei pro delicto, ponetis in capſellam
ad latus eius: & dimittite eam vt vadat. & aſpicietis: & ſi quidem per viam fi-
nium ſuorum aſcenderit contra Bethſames, ipſe fecit nobis hoc malum grande: ſin
autem, minime: ſciemus quia nequaquam manus eius tetigit nos, ſed caſu accidit.
Fecerunt ergo illi hoc modo: & tollentes duas vaccas, quæ lactabant vitulos, iunxe-
runt ad plauſtrum, vituloſque earum concluſerunt domi. Et poſuerunt arcam Dei
ſuper plauſtrum, & capſellam, quæ habebat mures aureos & ſimilitudines anorum.
Ibant autem in directum vaccæ per viam, quæ ducit Bethſames, & itinere vno gra-
diebantur, pergentes & mugientes: & non declinabant neque ad dextram, neque ad
ſiniſtram: ſed & Satrapæ Philiſthijn ſequebantur vſque ad terminos Bethſames.
Porro Bethſamitæ metebant triticum in valle: & eleuantes oculos ſuos, viderunt ar-
cam, & gauiſi ſunt quum vidiſſent. Et plauſtrum venit in agrum Ioſue Bethſami-
tæ, & ſtetit ibi. Erat autem ibi lapis magnus, & conciderunt ligna plauſtri, vaccaſ-
que impoſuerunt ſuper ea holocauſtum Domino. Leuitæ autem depoſuerunt arcam
Dei, & capſellam, quæ erat iuxta eam, in qua erant vaſa aurea, & poſuerunt ſuper
lapidem grandem. Viri autem Bethſamitæ obtulerunt holocauſta, & immolauerunt
victimas in die illa Domino. Et quinque Satrapæ Philiſthinorum viderunt, & re-
uerſi ſunt in Accaron in die illa. Hi ſunt autem ani aurei, quos reddiderunt Phili-
ſthijn pro delicto, Domino: Azotus vnum, Gaza vnum, Aſcalon vnum, Geth vnum.
Accaron vnum.* &c. Quid vetat, hos anos fuiſſe anulos aureos, in cuius
funda fuerit ani ſimilitudo, ad inſtar vaſis, vt iſti ſupra depicti? non ne anu-
li a ſola funda vocantur gemmæ paſſim apud antiquos, nulla circi habita ra-
tione? non ne funda propoſitorum anulorum vaſis imaginem habet & ani?
Sed non ne anuli dicuntur minores ad maiorum differentiam, qui vocantur
k l. 19. c. 32 ani? ſic apud Iſidorum legimus in Originibus, (k) *Anuli autem per diminu-
tionem dicti a circulis & anis, qui ſunt circa brachia, & circum crura: vnde & ſi-
gna eorum per diminutionem ſigilla; nam ſigna maiora ſunt; ſigilla vero quaſi mino-
ra ſigna.* Quod fortaſſe voluit indicare, qui ano maiori minorem anulum af-
fixit

fixit in præſenti figura, vtriuſque fundæ podicis hiantis imaginem affingens. Niſi velimus imagines iſtas anulorum fuiſſe ad venena, de quibus luculenter in *(l)* ſuperioribus. Quid vetat ab iſtis anulis ethnicos alios morem ſumpſiſſe geſtandi anos aureos ad morbos ani, ſicut & in more iam habuerunt geſtandi anulos in pala mutinum habentes ad faſcinationem auertendam? at de his hactenus dicta ſufficiant. *l cap. 20.*

De Anulis Antiquorum ad Sortes.
Cap. X X V.

ANulis antiquos vſos etiam fuiſſe ad Sortes, indicat aperte Plinius, dum oſtendere conatur, Homeri tempeſtate nullum anulorum vſum adhuc extitiſſe, dicens, *(a) Nec Iliacis temporibus vllos fuiſſe anulos video: nuſquam certe Homerus dicit; quum & codicillos miſſitatos epiſtolarum gratia indicet* (ſcilicet non adhibens vllam anuli ſigillaricij notam) *& conditas arcis veſtes, ac vaſa aurea argenteaque, & ea colligata nodi, non anuli, nota* (nempe non meminit anuli clauem habentis ad cuſtodiam, de quo fuſius infra) *Sortiri quoque contra prouocantium Duces, non anulis tradit.* nimirum Homerus non meminit anulorum ad Sortes. Ceterum quomodo probet id Plinius, & quomodo ſortitio fieret antiquitus non anulis, non ita liquet. Dalechampius quidem ait in hoc Plinij loco, *Iliad. H. prouocat Hector proceres Græcia ad ſingulare certamen: illi iactis ſortibus in galeam, deligunt quem opponant,* *20. an. fin.* *a l. 33. c. 1.*

„ Sic dixit: hi autem ſortem ſignauerunt ſinguli,
„ Et iniecerunt galeæ Agamemnonis Atridæ.

Idem fit & in duello Paridis, Iliad. 7. Sortes autem, [OI KLHROI,] calculi fuerunt, aut ex terra ficti globuli, nota quadam ſignati, qua ſuum quiſque agnoſceret. Sophocles in Aiace,

„ Sortem in medium quum poſuiſſet, humidæ terræ glebam.

Sortes ea licet ſignata forent, non tamen anulo ſignabantur; quum eo tempore anulus prorſus in vſu non eſſet, nedum ſignatorius. Fuerunt & ſortis indicia, concha, aſcia, ac ſæpius lignum proprio quodam ſigno notatum; vnde [KLHRON] dictum vult Herodianus, [APO TOY KALOY, & POLLON,] quod ſortes coniectas mouerent, antequam proferrentur: quanquam alij dictum malunt a [KLO,] quod [KALEIN] ſignificat. (b) *Hadrianus Iunius.* Ego vero non ob id aſſeuero, temporibus Iliacis non extitiſſe anulorum vſum ad ſortes, nec Homerum excluſiſſe anulos a ſortitione, dum ait Achæos ſignaſſe ſortem ſingulos, & inieciſſe in galeam Agamemnonis; tum quia ſortem ſignare potuerunt anulo ſignatorio, qui multo vetuſtior in vſu paſſim fuerat apud *(c)* Aegyptios, & *(d)* Hebræos; quorum notitiam Homerum habuiſſe probabiliſſimum eſt; nimirum poetam ſcientiſſimum de nationibus olim celebratiſſimis, & de Moſaicis libris antiquiſſimis inſcium fuiſſe, credibile non eſt: tum quia ſignare ſortem interpretari poteſt, eam anulo ſignatorio in galeam immiſſo ſignificare; nam ſinguli propriam vniuſcuiuſque ſortem anulo ſuo ſigillaricio vere ſignarunt. Nec accipio, voce [KLHROS] ita ſimplici- *b l. 1. c. 5.* *c Gen. 41.* *d Gen. 31.*

ter

ter ſignificari calculum, aut globulum ex terra fictum, quin potuerit etiam ſignificari ſigillaricius, aut proprius cuiuſque anulus alius: etenim huiuſcemodi morem fuiſſe veterum in ſortitione, conſtat ex Plutarcho in Timoleonte, cui *Timoleon Icetem anteuertere permittens, cum equitatu & leni armatura conſiſtatus eſt eum. De eo factus certior Icetes, tranſmiſſo Damyria ſubſtitit in ripa Timoleontem prohibiturus tranſitu: quippe animum ei tum vadi difficultas tum abrupta vtrinque ripa dabat. Ibi decuriones Timoleontis mirificum inceſſit certamen & contentio quæ moram pugnæ fecit; nemo enim poſt alterum tranſire in hoſtem ſuſtinebat, ſed poſtulabat quiſque priores pugnæ partes: eratque confuſionis plenus tranſitus impellentium ſe mutuo, & præcurrentium. Ergo Timoleon iuſſis ſortiri præfectis accepit anulum ſingulis: quos quum in lacernam ſuam conieciſſet & confudiſſet, primum ſorte eduxit qui ſigillo tropæum habebat inſculptum. Quod vbi iuuenes viderunt, læto clamore ſublato, non vltra vllam expectauere ſortitionem: verum pro ſe quiſque ocyſſime ſuperato fluuio conſeruerunt cum hoſte manus. At illi non ſubſtinuerunt horum impetum, ſed in fugam effuſi, omnes pariter armis exuti, mille interfecti, deſideratique.* Nec ego verſiculum allatum in Sophoclis Aiace reperio: ſed, & ſi foret, non arguit id ſemper Sortes fuiſſe terræ glebulas, & nunquam anulos; nam ex varia materia, & variæ figuræ ſortes antiquitus eſſe potuerunt, anuli, globulæ terræ ſignati, ligneæ teſſerulæ, ac alia multa; ſpeciatimque meminit Suetonius in Tiberio talorum aureorum ad Sortes inquiens, *Et ingreſſo primam expeditionem, ac per Macedoniam ducente exercitum, accidit, vt apud Philippos ſacrata olim victricium legionum Ara ſponte ſubitis collucerent ignibus: & mox quum Illyricum petens, iuxta Patauium adiſſet Geryonis oraculum, ſorte tracta, qua monebatur, vt de conſultationibus in Aponi fontem talos aureos iaceret, euenit, vt ſummum numerum iacti ab eo oſtenderent. hodieque ſub aqua viſuntur hi tali.* Sed non amplius ætate noſtra. Præterea nonne potuerunt eo tempore Græcæ pariter, atque Troianæ mulieres vti anulis ad ornatum; quibus vſæ fuerant antiquiores (*e*) Hebrææ? Quare non eſt Plinio concedendum, temporibus Iliacis nullum extitiſſe anulorum vſum. Ceterum anulos priſcos cum inciſo tropæo poſui in ſua Dactiliotheca Gorlæus vigeſimum ferrum cum gemma granata: quinquageſimum ſeptimum argenteum, cupidine veluti tropæum ponente, vel potius gloriante ſe maiora tropæa quam bellica ponere: trigeſimum æreum inauratum cum gemma Sarda inter duos iuuenes; quorum alter ſtans velut haſtam addit poſito tropæo: alter ſedens indit ori dexteram, ſiniſtra gerens baculum humero nixum, in ſummo pileum ex quo veluti tænia dependet habentem: & centeſimum ſecundum argenteum cum ſtrijs aureis, & ſigillo ex Iaſpide, vtrinque Achatem habentem. Anulis huiuſmodi ſortiarijs etiam intelligi poteſt in ſacra pagina facta fuiſſe ſortitio D. Matthiæ ad Apoſtolatum; quum enim, vel obſeruatu (*f*) Valeriani, *In Diuinis literis anulus ſit Fidei ſignum; quo ſpectare Euangelicum illud Theologi aiunt,* (*g*) *Date anulum in manum eius:* proindeque fideles haberent anulum proprium ſinguli: propterea congregatis Diſcipulis Ioſephus, & Matthias fortaſſe dederunt anulos proprios, & in lacernam Petri, vel alterius coniectorum & confuſorum, poſt orationem ad Deum, cæca manu primus eductus eſt anulus Matthiæ, quo ſigno ceci-

e Exod. 32. 35. 39.

f Hierog. 41. c. 8.

g Luc. 15.

37 38

cidiſſe ſuper eum ſors dicitur a Domino, qua electus eſt in Apoſtolum loco Iudę proditoris. Hiſtoria legitur hęc in Actis Apoſtolicis, (*b*) *Exurgens* b cap. 1.
Petrus in medio fratrum dixit, erat autem turba hominum fere centum viginti: Viri fratres, oportet impleri ſcripturam, quam produxit Spiritus-Sanctus per os Dauid de Iuda, qui fuit dux eorum, qui comprehenderunt Ieſum, qui connumeratus erat in nobis, & ſortitus eſt ſortem miniſterij huius. Et hic quidem poſſedit agrum de mercede iniquitatis, & ſuſpenſus crepuit medius. & diffuſa ſunt omnia viſcera eius. Et notum factum eſt omnibus habitantibus Hieruſalem, ita vt appellaretur ager ille Acheldemach, hoc eſt ager ſanguinis: ſcriptum eſt enim in libro Pſalmorum, (i) *Fiat* „ i Pſ. 68.
commemoratio eorum deſerta: & non ſit qui habitet in ea. Et, (k) *Epiſcopatum* „ k Pſ. 108
eius accipiat alter. Oportet ergo ex his viris, qui nobiſcum ſunt congregati in omni tempore, quo intrauit & exiuit inter nos Dominus Ieſus, incipiens a baptiſmate Ioannis vſque in diem qua aſſumptus eſt a nobis, teſtem reſurrectionis eius nobiſcum fieri vnum ex iſtis, & ſtatuerunt duos: Ioſeph, qui vocabatur Barſabas, qui cognominatus eſt Iuſtus, & Matthiam: & orantes dixerunt: Tu Domine, qui corda noſti omnium, oſtende quem elegeris ex his duobus vnum accipere locum miniſterij huius & Apoſtolatus, de quo praeuaricatus eſt Iudas vt abiret in locum ſuum. Et dederunt ſortes eis, & cecidit ſors ſuper Matthiam: & annumeratus eſt cum vndecim Apoſtolis. Licet huiuſmodi ſortitio facta fuiſſe potuerit alia quoque ratione; ſiquidem nihil certi de propoſito determinare valemus. Satis eſt, antiquitus fieri conſueuiſſe ſortitionem per anulos eligentiorum immiſſos in vnum locum, & inuicem confuſos, indeque cęca manu vel innocentis pueruli, vel principalis viri conuenientium, eductos.

De Anulis ad Nobilitatis indicium.
Cap. XXVI.

TRahit ad ſe noſtram orationem nunc Anulus, qui veteribus erat index [illegible]
Nobilitatis, de quo Plinius ait, (*a*) *Anuli diſtinxere alterum ordinem a* a l. 33. c. 1.
plebe, vt ſemel caeperant eſſe celebres, ſicut Tunica ab anulis Senatum tantum: quanquam & hoc ſero: vulgoque purpura latiore tunica vſos etiam praecones, ſicut patrem L. Aelij Stilonis, Praeconini ob id cognominati. Sed anuli plane medium ordinem, tertiumque plebi & Patribus inſeruere: hoc nunc pecunia Iudices tribuunt: nec id prius factum. Diuo Auguſto decurias ordinante, maior pars Iudicum in ferreo anulo fuit; ijque non Equites, ſed iudices vocabantur. Equitum nomen ſubſiſtebat in turmis equorum publicorum. ſcilicet cum Romani triplici continerentur ordine vniuerſi, Senatorio, Equeſtri, Plebeio; primum diſtinguebantur, quod Senatores appellati Patres a ſenectute, vnde & Senatores, tunicam latiore purpurae faſcia circundatam & ornatam habebant: Equites ab equis de publico ſibi donatis denominabantur: Plebs equis carebat, & latiore faſcia purpurae in tunicis: quam tunicam latum clauum appellabant; nam obſeruatu Budaei, Senatorij ordinis inſigne latus clauus erat, & calceus lunatus; qui tamen communis Nobilitati fuiſſe putatur. Iuuenalis de Quintiliano,

„ Appoſitam nigrae Lunam ſubtexit alutae.

a Phil. 13. (*) Cicero, *eſt etiam Aſinius quidam Senator voluntarius, lectusque a ſe apertam curiam vidit poſt Cæſaris mortem: mutauit calceos: Pater conſcriptus repente factus eſt*. ideſt lunatos calceos ſumpſit. Latus clauus, quod laticlauium etiam dicitur, pro Senatoria dignitate ponitur: vt ius anulorum aureorum pro equeſtri ordine: & hodie calcar aureum. Omnes tamen ordines Romanorum, quia milites erant, anulo ferreo militari vtebantur. Verum poſtea datus eſt equitibus anulus aureus, quo diſtinguerentur a plebe, quæ remanſit in ſolo ferreo. Num vero anulus aureus diſtinguens equeſtrem ordinem a plebe, ſimul & Nobilitatis inſigne foret, & bellicæ virtutis; an præter anulum ferreum militarem, gererent equites anulum etiam aureum, viris Cl. non ita facile conſtat: opinor tamen Equites vnico aureo vſos fuiſſe, ferreumque

b 3. ſilu. de lacr. Herc. dimiſiſſe; tum quod id ſatis aperte declarare videtur Papinius, (b) cui

„ Atque idem in cuneo populos quum duxit equeſtres
„ Mutauitque genus, læuęque ignobile ferrum
„ Exuit, & celſo natorum æquauit honore.

c cap. 2. quem locum late (c) ſuperius explicaui: tum quod antiquitus anuli fierent
d cap. 48. grandiores (vt infra (d) patebit) atque ideo duo forent impedimento clypeis apte geſtandis in pugna: magnaque probabilitate ſcribit Iſidorus in
e l. 19. c. 32. Originibus, (e) *Apud Romanos anuli de publico dabantur, & non ſine diſcrimine: nam dignitate præcipuis viris gemmati dabantur, cæteris ſolidi. Anulum aureum neque ſeruus, neque libertus geſtabat, aut in publico: ſed anulo aureo liberi vtebantur, libertini argenteo, ſerui ferreo vtebantur*. Quod poſteriori tempore factum fuit, dum anuli aurei gemmati dabantur vnis Senatoribus, aurei ſolidi ſine gemma Equitibus, ferrei militares plebi, vel etiam argentei, vt & libertate donatis. Illud enim pro certo auſim affirmare, ſeruis interdictum fuiſſe vſum anuli tam militaris, quam Nobilitatis; quorum apud liberos tantummodo ius erat. Plebem autem, etſi libertate gauderet, quia tamen Nobilitate carebat, non habuiſſe anulum aureum, conſtat ex Suetonio in Cæſare Dictatore, a quo concionante ſibi plebs aurei anuli ius pollicebatur; ait enim,
f cap. 33. (f) *Cæſar, traiecto exercitu, adhibitis Tribunis plebis, qui pulſi ſuperauerant, pro concione fidem militum flens, ac veſte a pectore diſciſſa inuocauit. Exiſtimatur etiam equeſtres cenſus pollicitus ſingulis, quod accidit opinione falſa: nam quum in alloquendo, exhortandoque ſæpius digitum læuæ manus oſtentans, adfirmaret ſe ad ſatisfaciendum omnibus, per quos dignitatem ſuam defenſurus eſſet, Anulum quoque æquo animo detracturum ſibi: extrema concio, cui facilius erat videre concionantem quam audire, pro dicto accepit, quod viſu ſuſpicabatur; promiſſumque ius anulorum cum millibus quadringentis fama diſtulit*: adeoque patet vnicuique, Senatores anulum aureum geſtaſſe, non autem plebem, quæ ſibi ius aurei anuli pollicebatur ex ea concione Cæſaris: quod & Grotius indicat, dum inquit,

„ Anule teſtis opum, quo plebs Romana carere
„ Cogitur, Auguſtus quem ſibi Clauus habet.

g l. 2. c. 19. Quare non audio libenter Alexandrum ab Alexandro ſcribentem, (g) *Anulum aureum eſſe inſigne, quo Equeſter ordo a Senatorio diſcretus noſcebatur*: quaſi Senatores non vterentur anulis aureis, dum eis vtebantur Equites; & quaſi purpura latior in tunica non ſatis eſſet ad diſcernendos Senatores ab Equitibus,

bus, ſeu equus Equites a Senatoribus; & quaſi gemmatus anulus aureus non diſcerneret apte Senatores ab Equitibus, qui donabantur aureo anulo ſolido, id eſt ſine gemma; qui ſolidus appellatur, quod non eſſet ob gemmam; in ſe recipiendam excauatus. Quin & Alexandrum arguit apud Cœlium
(h) *Dion Hiſtoricus*, qui *autor eſt, nemini veterum Romanorum, geſtare aureum* h l. 6. c. 13.
anulum, prater Senatores ac Equites fuiſſe permiſſum. Pierio (i) ſimiliter, atque i Hier. 41.
(k) Liuio, Apud Romanos anulus aureus omnino ſignum Nobilitatis fuit; k 2. bell.
nam Mago qui Canenſis victoriæ nuncius Carthaginem miſſus erat, poſt re- pun. 3.
rum geſtarum ſeriem enarratam, ad rerum tam lætarum fidem effundi iuſſit in veſtibulo Curiæ ingentem illum aureorum anulorum aceruum: deinde verbis adiecit, quo maioris cladis indicium eſſet, *Neminem niſi Equitem, atque ipſorum primores, inſigne id geſtare*. Atque (l) alibi Liuius infit, *Tantum* l l. 9. ab V.
Flaccij Comitia indignitatis habuere, vt plerique Nobilium anulos aureos, & phaleras deponerent. Et vbi Cicero redarguit Verrem, quod indigniſſimos in Con- C. in f.
cione anulis aureis donaſſet, (m) *Honori, ait, Aſtonius, & lucro ſunt, vt haſta*, m orat. 4.
vexilla, phalera, corona ciuica, item anuli aurei ingenuitatis ſigna. Plinius etiam
anulos aureos a Senatoribus geſtatos aſſerit, (n) *Additum Flaccio, vt ſimul &* n l. 33. c. 1.
Tribunus plebis eſſet: quo facto, tanta Senatus indignatione exarſit, vt anulos ab eo abiectos fuiſſe, in antiquiſſimis reperiatur Annalibus. Fallit pleroſque, qui tum equeſtrem ordinem id feciſſe arbitrantur: eſt enim adiectum hoc quoque, ſed & phalera poſita, propter qua nomen equitum adiectum eſt. Anulos quoque depoſitos a Nobilitate, in Annales relatum eſt, non a Senatu vniuerſo. Loquitur autem de anulis aureis, vt etiam nuper, dum dixit, *Marcus; & prorſus ſic iſtra maximam autoritatem conciliauere auro, non quidem Romana; quorum more ferreum id erat, & bellicæ virtutis inſigne. De Regibus Romanis non facile dixerim: nullum habet Romuli in Capitolio ſtatua: nec prater Numa, Seruijque Tullij, alia: ac ne L. quidem Bruti*. Si ergo Regum aliquorum ſtatuæ aureum anulum habuere, ſi pariter Equites; quidni Senatores, qui medij ſunt inter Equites & Reges? Addit, *Longo certe tempore, ne Senatum quidem Romanum habuiſſe aureos, manifeſtum eſt; ſi quidem hi tantum, qui Legati ad exteras gentes ituri eſſent, anuli publici dabantur: credo quoniam exterorum honoratiores intelligebantur. Neque alijs vtimos fuit, quam qui ex ea cauſa publice accepiſſent: vulgoque ſic triumphabant. Et quum corona ex auro Etruſca ſuſtineretur a tergo, anulus tamen in digito ferreus erat, æque triumphantis, & ſerui fortaſſe coronam ſuſtinentis. Sic triumphauit de Iugurtha C. Marius: aureumque non ante tertium Conſulatum ſumpſiſſe traditur. Hi quoque, qui ob legationem acceperant aureos, in publico tantum vtebantur eis: intra domos vero ferreis*. Vnde conſtat, aureos anulos Romæ primum geſtatos a Regibus, dein a Legatis, deinde quoque a triumphantibus conſulibus, deinceps a toto Senatu, demum ab Equitibus dono publico; nec vnquam Equites habuiſſe anulum aureum, dum Senatores erant adhuc in ferreo. Quum autem Romana Nobilitas vniuerſa duplici contineretur ordine ſupra plebem, Senatorio, & Equeſtri; iam anulus aureus apud Romanos erat inſigne Nobilitatis; quod aperiſſime teſtatur poſt Cannenſem cladem Mago Car-
thaginenſis, de quo Liuius ita, (o) *Ad fidem deinde tam lætarum rerum, effundi* o lib. 23.
in veſtibulo Curiæ iuſſit anulos aureos: qui tantus aceruus fuit, vt metientibus di-

S mi-

midium ſuper tres modios expleſſe, ſint quidam autores: Fama tenuit, quæ propior vero eſt, haud plus fuiſſe modio. Adiecit deinde verbis, quo maioris cladis indicium eſſet, neminem, niſi Equitem, atque eorum ipſorum primores, id gerere inſigne. Non tamen ab aureis anulis abdicauit ideo Senatores; quod Senatus ad belligerandum non ibat, ſed Reipublicæ gubernandæ vacabant Romæ manentes Senatores; at intellexit Mago de militibus in pugna Cannenſi cæſis agere, qui fuerant omnes ex equeſtri ordine, quorum anulos aureos Carthaginem detulit, Nobilitatis Romanæ cæſæ proprium inſigne: de quo Grotius ita,

„ Anule, Cannenſis quo ſanguinis indice, menſa eſt

„ Carthago modijs Romula caſtra tribus.

p l. d. dogm. Plat. Sed & Athenienſes olim conſtat ad Nobilitatis teſſeram auribus anulos aureos geſtaſſe, præſertim florenti ætate, vt ait (p) Apuleius: etſi omnes ad idem ſymbolum Nobilitatis, cicadas ex auro ferrent in pileis; vnde dicuntur a Thucydide [*TETTIGOPHOROI*,] Cicadiferi nuncupantur: &

q in limin. pag. Græci pariter omnes nobiles, præſertimque Lacedæmonij comam alerent,

r Iliad. (r) Homeri, (ſ) Ariſtophanis, & (t) Plutarchi relatu. Quin & ſemicir-

ſ in Auib. culus ille, quo nobiles Romani aureo calceos exornabant, ad anulum Nobi-

t in Solon. litatis referri poteſt; ſiue Numa voluerit eo ſymbolo Romanam antiquitatem referre ad Arcades, qui ſe Luna priores & aſtris iactitabant, vt aſſerit

u l. 1. Ouidius in (u) Faſtis: ſiue, quod ego malim, indicarit, Romanam Nobilitatem ortum habere a Centum primis illis Senatoribus, quos Romulus Vrbi ab ſe conditæ præfecit, nota illa C. nobilis Centenarij propagines obſignans: de quo ſigno, quod Lunam falcatam referret Poetæ meminerunt ſub nomi-

x ſat. 7. ne Lunæ; ita (x) Iuuenali,

„ ——— & nobilis, & generoſus

„ Appoſitam nigræ Lunam ſubtexit alutæ,

y l. 1. ep. 17. ita (y) Martialis,

„ Lunata nuſquam pellis, & nuſquam toga.

z l. 5. ita Statius in (z) Siluis,

„ Genitum te curia ſenſit,

„ Primaque Patricia clauſit veſtigia Luna.

Poni vero voluit hunc ſemicirculum aureum Nobilitatis indicem in calceis, vt ante oculos ſemper haberent antiquam originem nobilem, & in via virtutis graderentur, quam auos & atauos ſuos triuiſſe ſciebant.

De Anulis ad fidem faciendam, qui ſignatorij, ſeu ſigillaricij fuere. Cap. XXVII.

22 an. finis. COmmunis vſus ac finis anulorum fuit ad fidem faciendam de quapiam actione voluntateve anulo ſignantis: Fuerunt autem hi, de quibus Ateius Capito, ex Etruſcorum libro Pontificali, tractat apud Macrobium ita,

a 7. ſatur. c. 13. (a) *Veteres non ornatus, ſed ſignandi cauſa anulum ſecum circumferebant; vnde nec plus habere quam vnum licebat; nec cuiquam, niſi libero, quos ſolos fides deceret, quæ ſignaculo continetur: ideo ius anulorum famuli non habebant. Imprimebatur*

an-

autem ſcalptura materiæ anuli, ſiue ex ferro, ſiue ex auro foret: & geſtabatur, vt quiſque vellet, quacunque manu, quolibet digito: poſtea vſus luxuriantis ætatis pretioſis gemmis cœpit inſculpere. Poſt anulos apiros, & alithos, de quibus (*b*) Ariſtoteles, fuerunt anuli cum pala ſine lapillo; de quibus alio loco dicit Ariſtoteles, (*c*) *Senſus eſt id, quod eſt ſuſceptiuum formarum ſine materia, vt cera anuli, ſine ferro & auro, recipit ſignum: accipit autem aureum, aut æneum, ſed non in quantum aurum, aut æs:* vbi ſolius metalli meminit, non lapidis. Ex quo conſtat, primos anulos ſignatorios fuiſſe prorſus alithos, quod figuram in metallo ſculptam haberent, non in gemma, ſicuti poſteriores. De his & Valerianus agit inquiens, (*d*) *Præcipuum anuli ſignificatum, hieroglyphicumque verum, eſt ingenui hominis fidem indicare; quandoquidem anulum veteres, non ornatus, ſed ſignandi cauſa circumferebant: nec plus habere quam vnum licebat* (& mox) *nam ſignum in vno tantum habere permittebatur: nec cuiquam niſi libero, quos ſolos fides deceret, quæ ſignaculo contineretur* (quæ omnia deſumpſit ex Macrobio: addit tamen de ſuo ſtatim) *In diuinis quoque literis anulus eſt fidei ſignum: quo ſpectare Euangelicum illud Theologi aiunt,* (*e*) *Date anulum in manum eius: & quod Pſal. legitur,* (*f*) *ſignatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine. De hoc Cic. ad Q. Fr. Sit, inquit, anulus tuus non miniſter alienæ voluntatis, ſed teſtis tuæ.* Sed hoc in loco Pierius difficultatem declinauit, mutilans contextum Tullianum, qui ſic habet integer, *Sit anulus tuus, non vt vas aliquod, ſed tanquam ipſe tu, non miniſter alienæ voluntatis, ſed teſtis tuæ.* Manutius hic, quem collaudat Sigonius, anulum vaſi comparat, Robortellus vadi; legit enim ille, *non vt vas aliquis;* vas autem Varrone (*g*) teſte, qui pro altero vadimonium promittebat. Aduerſus hunc eius Antagoniſta Sigonius pro Manutio pugnat inquiens, (*h*) In hæc Ciceronis, *Manutius ita, Non vt vas aliquod, quod aſſidue circumfertur: ſed vide quibus illum tradas, ne quis accepta pecunia, ſignet ea quæ tu non probas. Aduerſum hanc expoſitionem contendit Robortellus: primum autem telum, quod torſit in eam Robortellus, eſt verbi mutatio; legit enim, & quidem ex ingenio, vas aliquis, non aliquod: Deinde ait, vas non dolium hic, ſed vadem intelligi, id eſt ſponſorem; ait enim, inquit Cicero, videndum eſt, o Quinte, ne anulus tuus ſit tanquam vas alienæ voluntatis, id eſt, ne aliquis tuorum quæſtum hac ratione faciat in prouincia, dum anulo tuo prætorio ſignet te inſciente, corruptus largitione prouincialis alicuius: fuiſſet igitur anulus tunc vere ſponſor, & vas voluntatis alienæ, id eſt eorum, qui corrupti fuerant. Sed expoſitio Manutij cur nunc a Robortello improbetur, non video. Monet enim Cicero Fratrem, ne temere committat alteri, vt liberto ſuo, quem plurimum amabat, Statio, anulum obſignatorium; ſed ſecum perpetuo haberet; nam ſi eum, vt vas aliquod omnibus dabit vtendum, fiet vt ſit miniſter alienæ voluntatis, non teſtis ſuæ; qui enim anulum eum habuerit, is quæ placuerit pro libidine ſua obſignabit; corruptus ſcilicet pecunia ab ijs, qui ab ipſo prætore gratis id impetrare non potuerint. Apparet autem, translationem a vaſe ſumptam eſſe: nam præterquam quod anulos ſcimus tanquam vaſa fuiſſe, quum ijs condi venena etiam ſæpe ſolita tradat Plinius; hoc etiam declarauit Cicero, quum ſubiecit: Non miniſter alienæ voluntatis: nam quod dixerat, Anulus tuus non ſit tanquam vas aliquod, explicat dicens, Non miniſter alienæ voluntatis: quod dixerat, ſed tanquam ipſe tu, extollit; Sed teſtis tuæ voluntatis. Opponit ergo vas Ciceroni, id eſt, inſtrumentum*

b 3. phyſ. t. 62.

c 2. de an. t. 121.

d Hierog. 41.

e Luc. 15.

f Pſal. 4.

Cic. explic.

g l 5. de lin. lat.

h 2. emend. in c. 17.

Domino: & vſum inſtrumenti, quod etiam ad alienos transferri poteſt, vſui proprio, quo debet eſſe teſtimonium voluntatis Domini. Quod ſi Robortellum, audias, primum verbum, Aliquod, corrumpes: deinde, vadem, id eſt ſponſorem dixeris, qui nihil ad Miniſtrum, quam vocem attulit Cicero, vt tranſlatum illud Vas declararet: poſtremo præclara hac antitheta non ſeruabis, & omnem ſententiæ venuſtatem obſcurabis. Ego vero, qui ſemper odi textuum mutationes, hac præcipue de cauſa Pierij mutilationem æque ac Robortelli mutationem laudare nequeo, ſed Manutio, Sigonioque ſubſcribendum cenſeo; vel in hoc dicto Ciceronis obſeruans Anulum præclare fidem facere, quod eſſe dicatur teſtis voluntatis;
i 1. rhetor. c. 15. nam teſtis proprium eſt, fidem facere, vt ait (*i*) Ariſtoteles; quodque prohibeatur eſſe miniſter, quum miniſtri non ſit fidem facere, ſed famulatum
k Hierog. 41. ſeruitiumque præſtare. Bene tamen addit illico Pierius, (k) *Sane apud veteres teſtamentorum tabulæ, ſeptem teſtium ſignis anularibus muniebantur, quæ facti teſtamenti fidem facerent. Quod vero ſeruis, atque libertis ius anulorum negaretur, quo tamen impetrato, ingenuitas ſimul impetrata intelligeretur, XL. Digeſtorum lib. Papinianus, Neratius, Paulus, & Vlpianus oſtendere.* Verum enimvero quemadmodum ego quidem his addendum arbitror, ſignari potuiſſe ſolis anulis
L. Ad teſt. ff. qui teſt. fac. poſ. teſtamenta, non alio vllo ſigni genere; nam Iuriſconſultus ait, (*l*) *Si ab ipſo teſtatore anulum accepero, & ſignauero; teſtamentum valet, quaſi alieno ſignauerim. Si ſigna turbata ſint ab ipſo teſtatore, non videtur ſignatum. Si quis ex teſtibus nomen ſuum non adſcripſerit, verumtamen ſignauerit, pro eo eſt atque ſi adhibitus non eſſet. Et ſi, vt multi faciunt, adſcripſerit ſe, non tamen ſignauerit, adhuc idem dicemus. Signum autem verum anulo tantum impreſſum adhibemus; an vero ſi non anulo, verum alio quodam impreſſo? varie enim homines ſignant: Et magis eſt vt tantum anulo quis poſſit ſignare, dum tamen habeat* [*CHARAKTHRA*,] imaginem ſcilicet, ſiue ſignum. Ita circa dicta Valeriani alia tria me retardant; primum quidem eſt, vnitas anuli ſignatorij, qui vt antiquiſſimis temporibus vnicus eſſe potuit apud vnumquemque ſignantem; attamen pluribus etiam anulis video ſignaſſe priſcos; etenim non ſolum apud Romanos inter initia Imperij Cæſar Auguſtus anulo ſignatorio Sphingis imaginem impreſſam habuit, donec lepore non infaceto eorum, qui quæ reſcripta & edicta acciperent, ænigmata vocabant, eo perductus eſt, vt Alexandri Ma-
m l. 47. c. 1. gni imagine ſignaret; quod & Plinius adnotat, cui (*m*) *Diuus Auguſtus inter initia Sphinge ſignauit: Duas in matris anulis iam indiſcreta ſimilitudinis inuenerat: altera per bella ciuilia, abſente eo, amici ſignauere epiſtolas & edicta, quæ ratio temporum nomine eius reddi poſtulabat, non infaceto lepore accipientium, ænigmata afferre eam Sphingem. Quin etiam Mæcenatis Rana, per collationem pecuniarum in magno terrore erat. Auguſtus poſtea ad euitanda conuitia Sphingis, Alexandri Magni imagine ſignauit.* In publico tamen anulo regio Mecœnatem vſum fuiſſe,
n tit. de Legat. ſcribit Cl. Panciroli (*n*) Scholiaſtes. Auguſto (*o*) Rhodiginus tertium aſſignat anulum inquiens, *Anulum ſigillaritium pro ſignatorio, apud recentiores*
o l. 6. c. 12. *comperies. Qua in re ſciendum amplius, Sphingis imagine Auguſtum ſignaſſe primo, mox Alexandri, poſtremo ſua: Qua, vt prodit Tranquillus, & Imperatores alij poſtea vſi: at Galbam excipit Dion; hic enim ſignatorium habuit anulum maioribus ſuis familiarem, cuius erat ſculptura, Canis e prora ſeſe præclinans.* Verum etiam

apud

apud Græcos Alexander Macedo duplici ſignabat anulo; nam duos anulos
habuit; alterum, quo ſignabat literas in Europam; alterum, quo mittendas
in Aſiam; ita ſiquidem Alexander ab Alexandro de Magno Macedone ſcri-
bit, (*p*) *Ipſe tamen* Alexander *deuicto Dario, quas deſtinabat in Aſiam literas,* *p* l. 2. c. 19.
Darij anulo imprimebat; quas vero in Europam, ſuo. Secundum eſt, quod non
accipimus a Pierio, interdictio anuli ſignatorij ſeruis; nam vt facile conce-
dam, ſeruis interdictum fuiſſe ius anuli tum militaris, tum nobilitatis, & au-
rei ſimpliciter; non ita tamen gratis dedero, ſignatorium anulum omnem
ſeruis olim negatum fuiſſe; nam Alexander ab Alex. ſcribit, (*q*) *Athenienſi-* *q* l. 2. c. 19.
bus autem etiam ſeruis nequiſſimis ferreo anulo ſignare permittitur: ſicut Babylonijs,
qui anulo ſignatorio vtuntur omnes. Hac de re multo prius, vt antea notaui
pulcherrimam texit narrationem (*ſ*) Apuleius. Interdictus ergo fuit an- *ſ* 10. me-
tiquitus ſeruis anulus aureus, & gemmatus, non autem ferreus ſignatorius tam.
ad fidem faciendam; quia ſerui ſæpe fidem facere tenebantur de ſuiſmet
actionibus; & quam verbis nudis apud alios, etiam iurati, fidem facere non
poterant, anulo proprio ſignatorio facere valebant, & cogebantur acta ſua
comprobare ſerui quoque nequiſſimi; vt conſtat ex Apuleio. Tertium mihi
difficile videtur, antiquos dici non ornatus, at ſolum ſignandi cauſa circum-
tuliſſe anulos; nam in oppoſitum reclamant Hiſtoriæ; Liuio (*t*) ſiquidem, *t* l. 1.
antiquiſſimi Sabini gemmatos magna ſpecie anulos habuerunt. Ceterum
eiuſcemodi anuli ſignatorij ſculpturam alias in ſolo metallo, alias habebant
in gemma; namque Plinio, (*u*) *Non ſignat Oriens, aut Aegyptus, etiam nunc li-* *u* l. 33. c. 1.
teris contenta ſolis. Multis hoc modis, vt cetera omnia luxuria variauit, gemmas
addendo exquiſiti fulgoris, cenſuque opimo digitos onerando, mox & effigies varias
cælando; vt alibi ars, alibi materia eſſet in pretio. Alias deinde gemmas violari nefas
putauit: ac ne quis ſignandi cauſam in anulis eſſe intelligeret, ſolidas induit. Quaſ-
dam vero neque ab ea parte, qua digito occultatur, auro cluſit, aurumque millibus la-
pillorum vilius fecit. Contra vero multi nullas admittunt gemmas, auroque ipſo
ſignant, vt Claudij Cæſaris principatu repertum. Ego vero in hiſce Plinianis il-
lud accipere nequeo, Non ſignari in Oriente, nec in Aegypto, literisque ſo-
lis res agi tempeſtate ſua; nam in ſacra pagina multo vetuſtiore legitur,
(*x*) Aegypti Regem anulum (*y*) ſignatorium tuliſſe de manu ſua, & Ioſe- *x* Gen. 41.
pho dediſſe, dum eum totius Aegypti proregem conſtituit: & (*z*) Aſſue- *y* Ioſe. ant.
rum Regem tuliſſe ſigillaritium anulum Amano, dediſſeque Mardochæo ad Iud. l. 2. c. 3
literas regias obſignandas. Et Iezabel (*) ſcripſit literas nomine Achab, *z* Eſther. 8.
& ſignauit eas anulo eius, & miſit ad maiores natu. Minus accipio, reper- *3 Reg. 21
tum fuiſſe morem ſignandi metallo ſine gemma principatu Claudij Cæſa-
ris; quia multo prius id factitatum in Græcia, conſtat ex (*a*) Ariſtotele, qui *a* 2. de an.
Claudio longe vetuſtior, meminit anulorum ſigillaritiorum ſine gemma, ex t. 121.
auro, ferro, & ære ſimplici, vt antea notaui. Alexander ab Alex ſcribit in
propoſito, (*c*) *Superior Africanus Sardonicen, quod ſola gemmarum ceram non au-* *c* l. 2. c. 19
ferret, Polycratis anulo celebratam. Lentulus aui figuram, Africani filius patris ef-
figiem inſculpſit anulo. Nonnulli Hippocrate, & Aegyptijs Dijs vſi ſunt. Notaque
eſt Pyrrhi gemma, in qua Apollo & Muſæ cum ſuis inſignijs, non efficta, ſed natiua
ſpecie viſebantur. In his primum obſeruo, Sardonichæ ceram non auferenti

Gor-

d Dactyl. p. 1. c. (d) Gorlæum adiungere Sardam, Onychen, & Achaten; hæ vero gemmæ ceram non auferunt, quod ob ſuæ ſubſtantiæ compactionem vniformem, &
Gemmæ ceram quæ ſcalpturæ auferant, & cur. qualemcumque pinguedinem, atque mollitiem, lapideæ naturæ congruam, in ſcalptura retinent ſuperficiem læuigatam; aliæ vero gemmæ ſcalptura ſcabrioſiores & aſperiores fiunt, ob ſubſtantiæ ſicciorem durioremque naturam, qua ſcabritie ſicca ceram facile ſecum auferunt. Dein obſeruo Pyrrhi Regis Achatem notam quidem & celebrem eſſe; verum ea nihil omnino ſignari potuiſſe, quod a natura varijs coloribus pictæ, non autem ſculptæ forent varijs eminentijs ac depreſſionibus in ea Muſarum & Apollinis imagines, vt
e l. 37. c. 1. ait Plinius, cui (e) *Poſt hunc anulum Polycratis, regia fama eſt gemmæ Pyrrhi illius, qui aduerſus Romanos bellum geſſit; namque habuiſſe traditur Achatem, in qua nouem Muſæ & Apollo citharam tenens ſpectarentur, non arte, ſed ſponte naturæ ita diſcurrentibus maculis, vt Muſis quoque ſingulis ſua redderentur inſignia.* Subdit
f loc. cit. autem Alexander ab Alex. (f) *Et anulus Syllæ, in quo traditus Iugurtha inſculptus erat: celebratur quoque Rana Mecænatis, & enſifer Leo magni Pompeij in gemma, & Seleuci anulus fatalis, in quo anchora effigiata viſebatur: cuius imago in femore poſteris familiæ natiua apparuit. Sicut Thebis ab ore lanceam genitiuis notis Spartorum nomini & Familiæ datum erat. Inter quos fertur in brachio Dacorum, notam originis quarto quoque partu regenerari. Et Auguſtus corpore maculoſo in modum & ordinem cæleſtis Vrſæ notas habuiſſe.* Quas quidem notas vt ab imaginatione vehementiore prægnantis matris impreſſas fætui fuiſſe, probabile
g cap. 26. ſatis oſtendimus olim agentes De (g) perfecta conſtitutione hominis in vtero; ſic eiuſcemodi vehementem imaginationem imprimi potuiſſe ab anulo ſignatorio Seleuci Regis vxori propriæ, conſtat ex eo, tum quod Cicero ſcri-
h in 5. Verr. bit, (h) *Annulus aureus ſcribæ tui me deterret*; tum quod Ariſtoteles ex Home-
i 2. œcon. c. 1. ro refert, (i) *Et ſi ipſe ſibi maxime dominetur, optimus totius vitæ rector exiſtet, & vxorem talibus vti docebit; nam neque amorem, neque timorem abſque verecundia laudauit Homerus, ſed vbique amare præcepit cum modeſtia, & cum pudore: eo quidem more Helenam ſumere Priamum, inquit, ita dicentem,*

» O metuende mihi ſemper, ſemperque tremende
» Chare ſocer ————

Sic igitur anulus, quo Seleucus reſcripta ſignabat & edicta, valde timebatur ab vxore, perinde anulus ſcribæ a Cicerone; mulierisque mentem aſſidue multum percellebat, & imaginationem plurimum mouebat; vt facile fuerit, eius grauidæ prolem eo ſigno notari tam femineam, quam maſculeam, atque deinceps familiæ poſteros ad femur inſigniri, vi naturæ ſibi ſi-
k de aer. aq. & loc. miles etiam in accidentibus generantis, eo modo, quo dudum (k) Hippocrates obſeruauit, nonnullis puellis enatis a matre capita in acumen faſtigiata per aliquot ſucceſſiones, proceſſu temporis vniuerſam gentem ſemper
l loc. cit. exortam acuminato vertice. Subdit autem Alexander (l) idem, *Præ ceteris autem magnis effertur laudibus Nonij Senatoris anulus, gemma viginti millibus ſeſ-*
m l. 37. c. 6. *tertijs taxata, propter quam ab Antonio proſcriptus fuit.* (De qua (m) Plinius; at non conſtat, fuerit ea ſculpta, nec ne.) *Proditumque memoria eſt, Macriarorum familiam hoc habuiſſe proprium, Magni Alexandri imagines tam viri quam feminæ in anulis deferaret, & reliqua ſuppellectile effictas. Iſte tamen deuicto Dario,*

quas deſtinabat in Aſiam literas, anulo Darij imprimebat; quas vero in Europam, ſuo. Quibuſdam vero Epicuri imagines non in anulis modo, ſed & poculis haberi, magna cu-ræ fuit: hoc fauſti ominis generi & nomine ſuo eſſe arbitrati. (Hoc idem ait Cice-ro, (n) Nec tamen Epicuri licet obliuiſci; cuius imaginem non ſolum in tabulis, ſed & in poculis, & in anellis habebant.) Addit (o) Alexander ex (p) Plinio, Clau-dij vero Cæſaris principatu compertum eſt, non gemma ſignare, ſed auro: quod viola-re ſignis gemmas nefas ducerent. (At hoc oſtendimus eſſe falſum ex (q) Ariſto-tele, & ex hiſtoria (r) ſacra: Quorum teſtimonijs ratio poteſt addi, quia Sar-da, Iaſpis, Achates, & id generis gemmæ non ita pretioſæ ſunt, vt eas in-ſculpere ditiſſimi Romanorum recuſauerint, parcentes pretio.) Quomodo Commodus Imperator ſigno Amazonis ſignaſſe dicitur: donec ſecutis temporibus paſ-ſim id inſigne appeti cœpit. Anulorumque frequens vſus fuit, & promiſcuus, ita vt Romani milites ſine delectu, & demum libertinæ conditionis homines; Quin etiam fœminæ, & extrema mancipia, quod antea non licuit, aureorum anulorum iure dona-rentur. Quorum plurima deſumpſit Alexander is a (s) Plinio. Illud au-tem non eſt omittendum, conſueuiſſe priſcos Imperatores, exercituumque Ductores, hoſtium cæſorum anulos detrahere, quibus vel inſignes viuenti Collegæ mortui, vel hoſtis Ducis interfecti, veluti ſpolium ſecum haberent: ſic Alexander anulo Darij a ſe deuicti ſignabat epiſtolas Aſiaticas: ſic (t) Plutarcho teſte, Annibal extra vllius periculum, cædi nunciata Marcelli, ipſe con-feſtim properat in tumulum: Corpus contemplatus, poſtquam diu & robur & ſpeciem conſiderauit, nullum dictum excidit arrogantius, nec lætum vultu, vt alius fortaſ-ſis acri, & graui ſublato hoſte, præ ſe tulit; ſed admiratus eius mortem obſtupeſcens, anulo eius ablato, corpus eximie ornatum & cultum honorifice cremauit. Reliquias in argenteam conditas vrnam iniecta aurea corona, remiſit ad filium. & paulo (*) poſt agens de Annibale ſcribit, Annibal poſtquam M. Marcellum, qui maxi-me ex Romanis ducibus repreſſerat curſum victoriarum ſuarum, interfectum audi-uit, ſubito in collem, vbi pugnatum fuerat, tranſtulit caſtra ſibi inuentum Marcelli corpus honorificentiſſime ſepeliri iuſſit. Ex quo perſpici licet, quantum valeat apud omnis generis homines animi magnitudo excellentiaque virtutis, quum interitum præſtantiſſimi ducis ne crudeliſſimus quidem hoſtis honore ſepulturæ paſſus ſit carere. Romani interim altero Conſule amiſſo, altero ſaucio, extemplo ſe in proximos montes receperant, & in loco tuto poſuerant caſtra. Ipſe autem Criſpinus ad vicinas ciuita-tes nuntium miſerat, quia Collega occiſus eſſet, & Anulo eius potitus eſſet hoſtis, ne li-teris nomine Marcelli compoſitis crederent. Salapiam paulo ante Criſpini nuntius vene-rat, quam literæ ab Annibale afferuntur, ſignificantes Marcelli nomine ſe ea proxima nocte venturum. Salapitani cognita fallacia viri, nuntio auerſo, intentiſſima cura hoſtium aduentum expectant. Quarta vigilia Annibal ad vrbem venit. In primo agmine locati ex induſtria erant perfugæ Romanorum, vt Latine loquentes fi-dem facerent Marcellum adeſſe. Horum quum ad ſexcentos oppidani introduxiſſent, clauſa porta reliquas copias telis repellunt; introductos ad internecionem cædunt. Ita Annibal irriti incepti pertæſus caſtra mouet, & in Brutios proficiſcitur. & ali-bi, (u) Pompeium paulo poſt egreſſum ex naui contrucidauerunt, necaueruntque. Hic exitus Pompeij fuit. Haud multo poſt in Aegyptum itaque delatus Cæſar veniens, eum, qui caput Pompeij ſibi obtulit, vt deteſtabilem auerſatus eſt. Anulum eius acci-

n 5. de finib.
o 2. genial.
p l. 33. c. 1.
q 2. de an. c. 121.
r Gen. 41.
s l. 33. c. 1. & 37. c. 1. 6
t in Marcello.
*in Annib.
u in Pompeio.

piens illacrymauit : inſculptus Leo erat enſem tenens. Achillam autem & Pothinum
x in Demetr. *interfecit* : qui nempe Pompeium interemerant. Sic alio in (x) loco, *Demetrius vero, poſtquam in eam decidit fortunam, mandauit filio ſuo Ducibusque & amicis, qui Athenis & Corinthi erant, ne literis vel anulo ſuo fidem adhiberent, ſed vt ſi mortuus ſit, referuarent oppida & reliquias regni Antigono.* Illud tamen memo-
†3. de ſym. c.9. rabile, quod ait inclytus (†) Petra-ſancta, Carolum Magnum, non in anuli gemma, ſed in gladij capulo ſigillum habuiſſe; vt edicta, & leges obſignaret; putabat enim eiuſdem gladij debere eſſe, leges tueri, ac eas promulgare: ſed fortaſſe nolit vti Cancellario, cui tribueret anulum, at ipſemet ſuæ fidei cuſtos eſſe; proindeque ſatis excuſari de apiſtia, ſi gladium non daret, quam excuſare non ita facile poterat, ſi ſigillum in anulo geſtare conſueuiſſet. Quin & antea multo Pauſanias in enſis capulo cælatam quadrigam habuit, quæ frequens fuit apud antiquos imago anuli ſignatorij; ſic apud Va-
*l.1. c.vlt. lerium Maximum, (*) *Eodem oraculo Macedonum Rex Philippus admonitus, vt a quadrigæ violentia ſalutem ſuam cuſtodiret; toto regno diſiungi currus iuſſit, eumque locum, qui in Bœotia quadriga vocatur, ſemper vitauit: nec tamen denunciatum periculi genus effugit; nam Pauſanias in capulo gladij, quo eum occidit, quadrigam habuit cælatam.* Sed & illud etiam eſt mirabile, quod olim non ſolum Imperatoris literis aliorum ſibi fidem comparabant, quod quidem frequens, & ſolemne, ſed aliquando etiam ſola cera Imperatorio anulo ſignata: Habetur
y l.3. hiſt. c. 47. hoc a Ioanne Cantacuzeno (y) dicente, *Interea quidam Baſilus nomine ab Imperatore adueniens, non ille quidem literas, ſed ceram anulo eius ſignatam fidei cauſa afferebat* (& paucis interpoſitis) *Accedens rogauit, vt, quoniam tempore excluſus ſcribere literas non poſſet, ſignum ex anulo impreſſum daret, quo ſibi geſta memoranti Didymotichenſes crederent. Tempeſtiue locutum arbitratus Imperator, ita fecit.* Ceterum variæ quum fuerint imagines in anulis cuiuſque ſignatorijs, Plinij iunioris anulus quadrigam habebat impreſſam, vt ipſe monet ad Im-
z l.10. epiſ. 16. peratorem Traianum ita ſcribens, (z) *Callidromum, Domine, mittendum ad te putaui; quod paulo tardius feci, dum requiro gemmam, quam ſibi habentem imaginem Pacori, & quibus inſignibus ornatus fuiſſet, ſubtractam indicabat. Volui enim hanc quoque, ſi inueniri potuiſſet, ſimul mittere, ſicut glebulam miſi, quam ſe ex Parthico metallo attuliſſe dicebat: ſignata eſt anulo meo, cuius eſt apoſphragiſma quadriga.* Licet autem imago quadrigæ frequentiſſima fuerit in anulis antiquorum, nam Gorlæus antiquos ponit vigeſimum ſeptimum argenteum inauratum, cum gemma onychina inciſa Apolline quadrigam agente: centeſimum decimum ſextum aureum eadem gemma inciſa Neptuno quadrigam aurigante, iaculato in aerem tridente: centeſimum vigeſimum tertium aureum cum gemma Sarda inciſa ſigno victoriæ alatæ coronam porrigentis, & quadrigam gubernantis: atque centeſimum ſexageſimum ſecundum aureum cum Onyce inciſa victoria quadrigam regente, præterque coronam geſtante ramuſculum oleæ, ſymbolum pacis ad quam victoria dirigi debet: Plinius tamen tantus vir etiam quadrigam anulo proprio non dubitauit inſculpere. Qua in re prætermittendum non duco, veteres quatuor equos in quadriga iungere currus temoni pares, non vt æuo noſtro binos temoni, binos alios extra ſeu an[illegible]monem diſtantiores a curru; quod factum fuiſſe reor dupli-

cem

R

cem ob cauſam; altera fuit, quod antiqui vias latiores habebant, per quas facile quadrigis vehi poterant; noſtrae autem viae plerumque ſunt anguſtiores, per quas non niſi bini ſimul equi valent currum trahere: fuit altera, quod grauius pondus trahere poſſunt equi quaterni ſimul ad temonem iuncti; nam procul a curru diſtantes illi, qui *Bilancini* vulgo nuncupantur, non afferunt tantam vim currui trahendo quantam a temone nuncupati; namque magis ac velocius moueri mobilia, quae ſunt viciniora mouenti, docuit (*a*) Ariſtoteles. Verum & Socrates, vt obſeruat Pignorius (*b*) noſter, non raro comparet in antiquis gemmis ſignatorijs, Antiſthenes, Plato, & alij aliquando viri magni nominis. Ceterum anulos huiuſcemodi ſignatorios, vt priuatae conditionis homines quiſque ſuum digito geſtabant, Principes tamen ſui vicem gerentibus, aut Cancellarijs appellatis geſtandos dabant, quibus edicta Principum, epiſtolas, reſcriptaque regia ſignarent; ita non ſolum Aegypti Rex Pharao tulit (*c*) anulum de manu ſua, & dedit eum in manu Ioſephi, quem conſtituit proregem atque gubernatorem totius Aegypti; quum Hiſtoricus Ioſephus (*d*) afferat illum anulum fuiſſe ſignatorium: verum etiam & Aſſuerus Rex infenſus Amano proteruo ademit anulum ſuum ſignatorium, deditque Mardochaeo patruo ſuae coniugis (*e*) Eſtheri, quo ſignaret literas regias in omnes ſibi ſubditas prouincias, ad periclitantium Iudaeorum ſalutem celeriter mittendas. Quin & apud Romanos, notatu Dionis (*f*) Caſſij, Auguſtus promiſcue ſigillum praecipuum credidit Mecoenati & Agrippae; tantumque tribuit ambobus, vt literas ad Senatum ſcriptas, vel alio, impune relegerent, & immutarent. Atque Xiphilinus in Auguſto memorat, Mecoenate mortuo, Auguſtum aegrotantem in XI. Conſulatu, deplorata ſalute, vt credebat, poſtquam de Republica multa grauiter differuiſſet, Calpurnio Piſoni Conſuli Collegae libellum dediſſe, in quo ſcriptae erant copiae & reditus Ciuitatis, tradito Agrippae anulo, tanquam ipſi obſignandorum reſcriptorum & libellorum curam iniungeret, & iuſtitiae ſollicitum prae ceteris iudicaret. Adeo magnum habebatur Regium anulum cuſtodire; hoc eſt poſt Principem in publica gubernatione praeſtare, quo nihil poteſt eſſe ſublimius. Nam anuli curam habere, quod ex Trogo Iuſtinus, eſt ſuſtinere dignitatem Cancellarij; quae vox habetur in Inſcriptionibus antiquis apud (*g*) Grotium. Fuit autem antiquiſſimus anulus obſignatorius, quem alij ſigillaricium appellant; etenim praeter datum a Pharaone (*h*) Ioſepho Proregi totius Aegypti, Iudas (*i*) anulum ſuum ſigillaricium nurui Thamari ſcortum ſimulanti dedit arrabonem pro haedo ſtupri praemio promiſſo; nam Hebraica litera legit *Chotam*, quod eſt ſigillum. Ceterum anuli ſignatorij fiebant in Bithynia praeſtantiſſimi pulcherrimique, qui propterea vocabantur chirographi Tynij, vel cyrographi, cerographi ve Tynij; nam libenter hic audio eruditiſſimum (*k*) Salmaſium, cui chirographi anuli apud Catullum ſignatorij ſunt, qui in Bithynia fiebant, & ex eo Thyni ab illo dicuntur,

„ Remitte pallium mihi meum quod inuolaſti,
„ Sudariumque ſetabum, chirographoſque Thynos.

hodie in editione etiam Scaligeri, *catagraphoſque Thynos* excuſum eſt; quum

a 8. phyſ. t. 84.
b epiſt. 1.
c Gen. 41.
d 2. ant. Iud. c. 3.
e Eſther. 3. 8.
f lib. 52.
g pag. 647.
h Gen. 41.
i Gen. 38.
k hiſt. Aug. in Fl. Vop. Lot. p. 412. col. 1. n. 40.

ipſe fateatur ſe reperiſſe in libro ſuo *cyrographos*, ex quo faciebat *Typographos*. Sed libri omnes, vidi etiam aliquot, legunt *cyrographos*: hoc eſt *chirographos*. ſic *cyragra* in veteribus libris non raro ſcriptum occurrit. Sic *cyrus* apud Iſidorum vetuſtiſſimæ etiam membranæ præferunt: *manus quas Græci cyras vocant*. ita etiam apud Adelmum in veteri codice, vel potius veteris exemplaris apographo, quem a Franc. Iureto habui, ſcriptum eſſe memini,

„ Pulcra comis, cyriſque decens, & candida vultu.

ad oram vetus Gloſſa erat appoſita: *cyris idest manibus*. in editione Caninij vulgatum eſt; *cyriſque decens*. *chirographi* igitur Thyni, ſunt anuli Thyni ſignatorij ſculpturæ Bithynicæ. vt ſindones aut veſtes in Bithynia texi ſolitas accipiamus, qua ratione poſſumus induci? quis veterum meminit veſtium Bithynica textura nobilitatarum? At Thyni anuli ex politura Bithynica celebres & nominati. De quibus leguntur verſus apud Iſidorum ab omnibus fere doctis diuerſis temporibus, tacti, tentatique, nunquam tamen recte emendati. eos ponemus, vt legi emendarique debent.

„ Lucentes, mea vita, nec ſmaragdos:
„ Berillos mihi, Flacce, nec nitentes:
„ Nec percandida margarita quæro.
„ Nec quos Tynia lima perpoliuit
„ Anellos: nec Iaſpios lapillos.

ſic autem habet vulgata,

Lugente mea vita, nec ſmaragdos
Berilloſque mi Flacce, nec nitentes
Per candida margaritas quæro.
Nec quos Thinica lima perpolibit
Anulus, nec Iaſpius lapillus.

Chirographos olim legebam in verſibus Catulli: nunc placet magis *cirographoſque Tynos*: hoc eſt cerographos, & ceram imprimentes, & ſignantes anulos accipi. [*KHROGRAPHTON*] eſt de cera pictum: [*KHROGRAPHON*] autem, quod ceram pingit & ſignat vel charaxat, quod anulorum ſigillaritiorum eſt proprium. Ceterum hic illud omittendum non eſt, antiquos anulos ſignaſſe non ſolum in cera, quod frequentiſſimum fuit; ſed

* act. 5. etiam in creta, de qua pulchre Cicero, tum in Verrem ait, (*) *Quum Valentio eius interpreti, epiſtolæ Agrigento allatæ eſſent, caſu iſte ſignum animaduertit in cretula; placuit*, &c. tum etiam pro Flacco dicit, *Hæc, quæ a nobis prolata laudatio, obſignata erat creta illa Aſiatica, qua vtuntur omnes in publicis & priuatis literis*. Certe de Tynis anulis intelligendum illum Catulli locum nemo niſi nullius rei prorſum intelligens poſſit infitias ire. De anulo ſignatorio pulcherrime Grotius ita,

„ Anule, qui miſſæ ſignas arcana tabellæ,
„ Legitimi ſacrum pignus & arra thori.
„ Anule ſecreti vindex cuſtodia veri,
„ Qui perhibes pactis muneribuſque fidem.
„ Anule, cui moriens & villas credit & agros,
„ Tutelamque ſuæ prolis, opeſque pater.

De

De Anulo ad Silentium ſecretorum imperandum.
Cap. XXVIII.

ANulo præterea veteres imperare conſueuiſſe ſilentium, dum illum ori alicuius admouiſſent, præclare nos edocet Plutarchus, ita de Alexandro ſcribens, *In ditandis amicis & ſtipatoribus ſuis quam fuerit prolixus, declarat Olympias epiſtola, quam ad eum ſcripſit. Bene merere alias, inquit, de amicis, & ſplendore vtere. Enimvero nunc omneis regis officis pares, multosque amicos eis paras, temetipſum vero reddis ſolitarium. Ea quum identidem ad illum ſcriberet Olympias: ſeruabat in abdito epiſtolas. niſi ſemel Epheſtioni, vt aſſueuerat, ſolutam epiſtolam ſecum legenti non vetuit: verum detracto digito anulo ſigillum ori illius admouit*, ita ſilentium ſecretorum iubens amico. 23 an.finis.

De anulo ad rerum cuſtodiam, ſiue ad claues.
Cap. XXIX.

PRiſcis etiam temporibus communis vſum anulorum fuit ad rerum materialium cuſtodiam. Eiuſcemodi autem anuli fuere claues, vti noſtrates, at loco longi manubrij tenebant anulum digito inſerendum. De hoc anuli genere (*a*) Plautus in Amphitruone ſic, 24.an.finis.

» *A.* Enimvero præter alia miror maxime *a* act. 2. ſce.2.
» Si habet hæc pateram illam. *S.* An etiam id credis,
» Quam in hac ciſtula tuo ſigno obſignata ferunt.

ideſt anulo tuo. Plinius nullos anulos, & ſpeciatim hos ad claues rebus cuſtodiendis inuentos, ait extitiſſe Homeri tempeſtate, dum ait, (*b*) *Nec Iliacis temporibus vllos fuiſſe anulos video: nuſquam certe Homerus dicit, quum & codicillos miſſitatos epiſtolarum gratia indicet; & conditas arcis veſtes, ac vaſa aurea argenteaque, & ea colligata nodi, non anuli, nota.* & mox. *Denique vt plurimum opum ſcelera anulis fiunt. Quæ fuit illa priſcorum vita, qualis innocentia, in qua nihil ſignabatur? at nunc cibi quoque ac potus anulo vindicantur a rapina. Hoc profecere mancipiorum legiones, & in domo turba externa; ac ſeruorum quoque cauſa nomenclator adhibendus. Aliter apud antiquos ſinguli Marcipores Luciporesve dominorum gentiles omnem victum in promiſcuo habebant, nec vlla domi cuſtodia a domeſticis opus erat: nunc rapienda comparantur epulæ; pariterque qui rapiunt eas, & claues quoque ipſas ſignaſſe non eſt ſatis.* De hoc anulo ad claues Tacitus, deſcribens mores Vononis Parthorum Regis, (*c*) *Accendebat dedignantes & ipſe, diuerſus a maiorum inſtitutis, raro venatu, ſegni equorum cura, quoties per vrbes incederet lectica geſtamine, faſtuque erga patrias epulas: irridebantur & Græci comites, ac viliſſima vtenſilium anulo clauſa.* Quem locum loculente tractat in Notis Lipſius addens, Signatorium anulum intelligit, ſiue, vt alij appellant ſigillaricium, qui habet [*CHARAKTHRA.*] De quo Vopiſcus in Aureliano, *Vxori & filiæ anulum ſigillaricium quaſi priuatus inſtituit.* Moris autem Ro- *b* l.33.c.1. *c* 9. annal. init.

mani, vt domi ſupellex penusque omnis eo ſignaretur: ne quid negligentia aut furto periret, Apud Plautum materfamilias,

„ Obſignate cellas, referte anulum ad me,
„ Ego huc tranſeo in proximum ad meam vicinam.

& alibi ſeruus,

„ Iſti parcipromi, qui ſalinum ſeruis obſignant cum ſale.

Plinius XXXIII. *At nunc cibi quoque & potus anulo vindicantur a rapina.* Ab hoc more Martialis lib. IX.

„ Septem poſt calices Opimiani
„ Denſo quum iaceam triente læſus,
„ Adfers neſcio quas mihi tabellas,
„ Et dicis, modo liberum eſſe iuſſi
„ Zenam, ſeruulus eſt mihi paternus.
„ Signa cras melius, Luperce, fiet:
„ Nunc ſignat meus anulus lagenam.

Et ſimile, quod mater Ciceronum amphoras vinarias ſignare ſolita etiam inanes. Clemens lib. III. Pædag. feminis Chriſtianis talem anulum dat. *Tribuit etiam feminis anulum aureum, non hercle adornatum, ſed ad ſignandum ea, quæ domi cuſtodienda ſunt, propter curam domeſticam, quæ illis incumbit. Si enim omnes a pædagogo recte inſtituti eſſemus; ſuperuacua eſſent ſignacula, omnibus ex æquo bonis, ſeruis, dominisque. Sed quoniam aut nulla, aut mala inſtitutio cauſam magnam præbet iniuriæ, opus habemus ſigillis.* Vbi vides etiam illo æuo morem priſcum. Anulos eiuſmodi ſignatorios (ferreos tamen, vt appareat ſeruorum fuiſſe, aut vulgarium militum) complures editos ipſi vidimus in Batauis cum adiuncta claui, ad duplicem ſcilicet vſum, ſignandi aperiendique. Eorum hæc forma, magnitudine minimiſſimi digiti. Plinius Iliacis temporibus ignotum anulorum vſum fuiſſe docet, *quoniam conditas arcis veſtes vaſaque aurea & argentea, & ea colligata nodi, non anuli, nota.* Verſus Homeri, quos reſpexit, ſunt Odyſſ. θ

Ipſe nunc vide de operculo, ſtatim vero vinculum circumliga
Ne quis tibi in itinere damnum offerat. ———

Ad hos anulos pertinere velim Valerij locum lib. VII. cap. vlt. *Inſuperque anulos ſuos ei tradidit: videlicet ne quid ex ea hereditate, quam non erat aditurus, amitteret. Quos cuius vir diligens, ſed morientis amici plenum contumeliæ ludibrium, in locellum repoſitos, & a præſentibus obſignatos diligentiſſime, heredibus illius exheres ipſe reddidit.* Ad quod quidem anulorum genus ego libentiſſime

(d) l. II ep. 9. referrem, tum de quo Cicero ſcribit ad (d) Atticum, *Nam quod deſignata*
v. Aldr. de *ſunt, habet opinor eius ſignum Pomponia*: tum de quo (e) Flaccus,
ſell. p. 174 „ Comis in vxorem poſſet qui ignoſcere ſeruis,
(e) l. 2. epiſ. 2 „ Et ſigno læſo non inſanire lagenæ.

tum quos ponit Plautus in manu ſerui fidiſſimi patrifamilias, cui dominus cuſtodiendam crediderat ſupellectilem domeſticam; inducit enim ancillam Aſtaphium ita ſeruum Stratilaum in Truculento præ contantem,

„ ——— *ASTAPH.* Dic quod te rogo,
„ Mancupio, vnde accepiſti quos geſtas ahenos anulos?
„ *STRAT.*

„ *STRAT.* Dignis dant. ———————

nempe quorum fidei ab hero domeſtica res omnis cuſtodienda creditur, & ſignanda clauibus anulatis. Huiuſcemodi anulos cum claui antiquiſſimos vidi nuper æneos apud Cl. Virum Ioannem Galuanum Patauinum Iuriſconſultum, rei antiquariæ ſtudioſiſſimum, quorum vnus eſt valde ſimilis Lipſianis, ſolum illis magnitudine cedens, & clauem habens ab anulo paulo magis exertam. Alter non ita videtur exacte delineatus a Cl. Pignorio de Seruis agente; cui dederat eum Galuanus ad effigiandum, vtriuſque ſummam vetuſtatem facile noſcas ex rubiginis ſpecie, qua obducuntur. Pulcherrimum anulum nobis deſcribit Cl. Gorlæus quadrageſimum ſecundum æreum, cum gemma onyche in funda, temonem inter duas tritici ſpicas inſculptas inciſum habente, a cuius fundæ latere clauis erigitur conſimilis Galuaniæ: caret attamen Galuanius anulus pala ſignatoria & lapillo penitus. Horum imagines (*f*) antea propoſuimus vna cum multis alijs. De *f* cap. 4.
hoc anulorum vſu Cl. Gorlæus ita, (*g*) *Romani ab exteris acceptum hunc anulis* *g* pag. 8.
ſignandi ritum, tam auide amplexi ſunt, vt non ſolum in epiſtolis vltro citroque mittendis, aut rebus pretioſis condendis vterentur; quin etiam cibos & potus hac ratione a rapina vindicarent, clauesque etiam ipſas ſignarent. Certe matronam quod loculos, in quibus erant claues cellæ vinariæ, reſignaret, a ſuis inedia mori coactam inter vetera exempla legimus. Hinc, & illud Comici: Omnes relcui ſerias: ſcripſitque M. Tullius, matrem ſuam lagenas etiam inanes obſignare ſolitam fuiſſe, ne dicerentur inanes aliquæ fuiſſe, quæ furtim eſſent exſiccatæ. Sed quomodo claues etiam ipſas, quæ ſunt anuli ſignatorij priſci ſignarent, ego quidem non ſatis aſſequor; niſi forte velit, antiquos alias claues anulata claui ſeorſum in loculo ſignaſſe adiecta ſigilli ſculpta figura. Aſt hoc ſigilli, anuliue genus conſtat antiquiſſimum eſſe non ſolum ex ijs, quæ referuntur ab Ariſtotele in Admirandis
Auditionibus, dicente, (*h*) *In Elide domicilium quoddam ineſſe legitur, quod ab* *h* nu. 118.
opido ſtadiorum diſcrimine maxime diſtat; in quo, quum Dionyſia perſoluuntur, tres vacuos lebetes imponunt: at hæc ita agentes Græcum peregrinum, quem volunt vaſa explorare, fores domicilij ſigillo concludere adhortantur: & poſtquam portas aperire decreuerint, ſigilla ciuibus aduenisque oſtendunt, foresque aperiunt: qui vero ingrediantur, lebetes vino repletos, locique pauimentum ac eius parietes minime oblaſos inueniunt: qua de cauſa nequaquam ſuſpicandum eſt, vt id arte aliqua incolæ moliantur: tum ex ijs, quæ multo prius exarata fuerunt apud Danielem, primo qui-
dem, ita (*i*) *Tunc Rex præcepit, & adduxerunt Danielem, & miſerunt eum in la-* *i* cap. 6.
cum Leonum. Dixitque Rex Danieli: Deus tuus, quem colis ſemper, ipſe liberabit te. Allatusque eſt lapis vnus, & poſitus eſt ſuper os laci: quem obſignauit Rex anulo ſuo, & anulo optimatum ſuorum, ne quid fieret contra Danielem. ſcilicet, metuebat ab hominibus inimicis Danielis, quod Deum cogitaret non cogere voluntates hominum, quibus datam ſemel arbitrij libertatem, non adimit; ſed facile poſſe Leonum ora prohibere ne Danieli ſeruo ſuo nocerent; Rex itaque ſecurus de Leonibus, quorum ora ſatis obturare poterat innocentia Danielis, illi metuebat ab inuidia ſuorum hoſtium, qui niſi ſigillis diſruptis, non poterant aliquid mali contra Danielem moliri per ſe ſe; quod & factum
eſt. Deinde vero ſic, (*k*) *Erant autem ſacerdotes Bel ſeptuaginta, exceptis vxori-* *k* cap. 14.

bus & paruulis & filijs. Et venit Rex cum Daniele in templum Bel; & dixerunt ſacerdotes Bel: Ecce nos egredimur foras: & tu Rex pone eſcas, & vinum miſce, & claude oſtium, & ſigna anulo tuo: & quum ingreſſus fueris mane, niſi inueneris omnia comeſta a Bel, morte moriemur, vel Daniel qui mentitus eſt aduerſum nos. Contemnebant autem, quia fecerant ſub menſa abſconditum introitum, & per illum ingrediebantur ſemper, & deuorabant ea. Factum eſt igitur poſtquam egreſſi ſunt illi, Rex poſuit cibos ante Bel: præcepit Daniel pueris ſuis, & attulerunt cinerem & cribrauit per totum templum coram Rege: & egreſſi clauſerunt oſtium: & ſignantes anulo Regis abierunt. Sacerdotes autem ingreſſi ſunt nocte iuxta conſuetudinem ſuam, & vxores, & filij eorum, & comederunt omnia, & biberunt. Surrexit autem Rex primo diluculo & Daniel cum eo. Et ait Rex; ſaluane ſunt ſignacula, Daniel? Qui reſpondit, Salua, Rex. Statimque quum aperuiſſet oſtium, intuitus Rex menſam, exclamauit voce magna: Magnus es Bel, & non eſt apud te dolus quiſquam: Et riſit Daniel: & tenuit Regem, ne ingrederetur intro: & dixit: Ecce pauimentum, animaduerte cuius veſtigia ſunt hæc. Et dixit Rex, video veſtigia virorum, & mulierum, & infantium. &c. De conſimilibus anulis ad cuſtodiam loquitur etiam

l Matth.27 Euangeliſta dicens, (l) *Conuenerunt principes Sacerdotum & Phariſæi ad Pilatum, dicentes, Domine recordati ſumus, quia ſeductor ille dixit adhuc viuens, Poſt tres dies reſurgam. Iube ergo cuſtodiri ſepulchrum vſque in diem tertium: ne forte veniant diſcipuli eius, & furentur eum, & dicant plebi, Surrexit a mortuis: & erit nouiſſimus error peior priore. Ait illis Pilatus: Habetis cuſtodiam; Ite, cuſtodite ſicut ſcitis: Illi autem abeuntes, munierunt ſepulchrum, ſignantes lapidem cum cuſtodibus.* ſcilicet, vt hi cuſtodes procul arcerent diſcipulos a furto cadaueris, munierunt ſepulchrum militibus; & ne ſubornari poſſent cuſtodes a diſcipulis, corrumpique pecunia, permittereque furtum defuncti Magiſtri, ſignauerunt anulis proprijs impoſitum lapidem ſuper os monumenti.

De Anulis ad ſomniorum Diuinationes.
Cap. XXX.

25.*an.fin.is* At vero nec illud omittendum duxi, veteribus anulos etiam in ſomnijs viſos vſum habere præſignificandi futura. Namque Daniel ille, qui Oneirocritica pridem edidit, aperte fatetur, *Dormientibus anulos accipere, ſecuritatem ſignificat: & anulos dare, vel perdere, dolorem ſignificat.* Quin & Plu-

a in Alex. tarchus hiſtoriam de propoſito pulcherrimam attulit inquiens, (a) *Alexander ex gente Herculis per Caranum, & genere materno Acacidem per Neoptolemum fuiſſe pro certo creditur. Fama in Samothrace initiatum cum Olympiade Philippum, quum eſſet ipſe tum adoleſcens, illam item puellam parentibus orbam amaſſe, atque inde parata fratris voluntate Arybbæ nuptias coiſſe. Sponſa ante noctem, qua thoro geniali iuncti fuere, viſus eſt Ioue tonante venter ſuus de cælo tangi, atque ex ictu largum ſucceſſum ignem, qui mox erumpens in flammas paſſim diſperſas diſſiparetur. Philippus ſpatio aliquo poſt nuptias vidit in ſomnis, vxoris ſe ventrem conſignare: habebat ſigilli ſculptura, vt viſa ei eſt, imaginem Leonis. Ea viſione vatibus interpretantibus cæteris Philippo cuſtodijs acrioribus ſepiendam coniugem, Ariſtander Telme-*

meſius vterum illam ait ferre: nihil enim, quod inane ſit, ſignari: ac concepiſſe eum infantem animoſum & natura leonina. Viſus draco etiam ad dormientis Olympiadis corpus exporrectus: idque præcipue Philippi erga eam amorem & familiarem conſuetudinem aiunt extenuaſſe, vt raro cubitum ad illam commearet: quod vel timeret faſcinationes eius & veneficia; vel conſuetudinem eius, vt quæ conſueſceret cum maiore, denitaret. Alij aliter de his memorant, omnes iſtius regionis feminas Orphicis & Liberi patris ſacris antiquitus contactas, Clodonaſque & Mimallonas cognomento dictas multa Edonidibus ac Threſſis Aenum accolentibus agere conſimilia: vnde [THRHSKEYEIN] *dictio tributa eſt immodicis & ſuperſtitioſis ſacrificijs. Olympias autem præ ceteris motum lymphaticum æmulans, & fanaticum peragens ritu in horridiore ſpectaculo, ſerpentes manſuefactos trahebat thiaſis ingentes, qui ex hedera ſubinde & myſticis cunis obiter prorepentes, thyrſoſque & coronas circumiecti percellebant viros. Verum Philippo, qui poſt eam ſpeciem Megalopolitanum Charonem Delphos miſit, ſortes referunt fuiſſe ab Apolline allatas iubente, vt Ammoni ſacra faceret, atque hunc Deum coleret imprimis: amiſiſſe vero eum alterum oculum, quem rima oſtij admouens Deum conſpexit ſerpentis figura cum vxore ſua concubantem. Olympias, vt Eratoſthenes eſt autor, quum euntem ad bellum proſequeretur Alexandrum, arcanum ortum eius ſoli detexit, hortata vt pro natalibus gereret animos. Alij hoc illam aiunt abdicaſſe ac dixiſſe: Non deſinet Alexander in crimen me apud Iunonem vocare?* Ceterum vt eiuſmodi mirabilium ſomniorum, potiſſimum ex anulis, aliquam rationem in Peripato reddamus, omnino præmittendum eſt, ex Ariſtotele trium eſſe generum ſomnia diuinantia, & a triplici cauſa prouenire poſſe; trium quidem generum, quod alia res futuras aut longiſſime diſtantes a ſomniante ſolum iudicent vt ſigna; alia eaſdem producant vt cauſæ; alia per accidens iis vtcunque nectantur: a triplici vero cauſa prouenire poſſunt inſomnia diuinatoria, nimirum a Deo mittente viris optimis & ſapientibus; ab anima quomodocunque libera a corporis perturbationibus, quam Ariſtoteles naturam Dæmoniam appellat, vt oſtendi latius in reſponſo ad Quæſitum Cl. (*b*) Naudæi; atque a caſu, ſiue fortuna. *b* de Quæſ. ep. 34. Verba Magiſtri clariſſima ſunt in opere proprio de Diuinatione per ſomnum, (*c*) *De diuinatione vero, quæ in ſomnis fit, & dicitur accidere a ſomnijs, neque contempſiſſe facile, neque ſuaſum eſſe. Nam quod omnes quidem, vel plures exiſtimant habere aliquam ſignificationem ſomnia, præſtat fidem, tamquam ab experientia dictum. Et quod de quibuſdam ſit diuinatio in ſomnis non eſt incredibile, habet enim aliquam rationem. Ideo & de alijs ſomnijs ſimiliter vtique quis arbitratur.* *c* cap. 1. Sic ergo concedit Ariſtoteles reuera dari ſomnia diuinatoria, tum ex communi hominum conſenſu, tum ex experientia. Monet attamen dubium id aliquatenus eſſe, nec eui lenter ac neceſſario certum apud omnes, quia nulla propoſiti ſit cauſa cunctis euidens atque manifeſta, ſubdens, *Nullam vero rationabilem cauſam videre, ſecundum quam vtique, fiat hoc non accedere facit.* Et quia diuinatio non videtur conuenire vulgo niſi ſomnijs illis, quæ a Deo mittuntur, qui ſolus exiſtimatur agnoſcere futura; quum omnia ſomnia diuinatoria non ſint a Deo, quippe multi tum praui, tum fatui prævidens in ſomnis; propterea nulla videtur aſſignari poſſe cauſa propoſiti; quod multorum dubium illico refert Ariſtoteles, *Nam Deum quidem eſſe mittentem, cum*

alia

alia irrationabilitate, & non optimis & prudentiſſimis, ſed quibuslibet mittere inconueniens. Ablata vero, quæ a Deo, cauſa, nulla aliarum conueniens eſſe videtur cauſa: quandoquidem eorum, qui ſecus Herculeas columnas, & qui in Boryſthene præuidere aliquos, ſupra noſtram videatur eſſe prudentiam inuenire originem horum. Sed non obſtante tali quorundam dubitatione, ſtatim Ariſtoteles diuinantia ſomnia refert ad tres ſpecies, addens ex propria ſententia, *Neceſſe igitur ſomnia vel cauſas eſſe, vel ſigna eorum quæ fiunt, aut accidentia, vel omnia, vel aliqua eorum, vel vnum ſolum: Dico autem cauſam quidem vt Lunam defectus Solis, & laborem febris; ſignum vero defectus, ſtellam ſubintrare: aſperitatem vero linguæ, febriendi; accidens vero, aliquo ambulante deficere Solem; neque enim ſignum deficiendi hoc eſt, neque cauſa, neque defectus ambulandi: ideo accidentium nullum neque ſemper fit, neque vt plurimum. Sunt ergo ſomniorum, hæc quidem cauſæ, illa autem ſigna, velut eorum, quæ circa corpus accidunt. Dicunt enim & Medicorum elegantes, quod oportet valde intendere ſomnijs. Conueniens autem ſic exiſtimare & artificibus quidem, conſiderantibus autem aliquid & philoſophantibus.* Poſt hæc explicat ſingula ſomniorum genera; & primum quidem id, quod eſt futurorum ſignum; inquiens, *Nam qui in die motus, niſi magni valde fuerint, & fortes, latent ſecus maiores, qui in vigilando ſunt motus: in dormiendo autem contrarium, parui magni videntur eſſe. Manifeſtum autem ex ijs, quæ in ſomnis accidunt, frequenter: arbitrantur enim fulgura cadere ac tonitrua fieri, quum paruus ſonus in auribus fit; & melle, & dulcibus ſaporibus perfrui, minima pituita defluente; & ambulare per ignem, & calefieri vehementer, quum paruus calor circa quaſdam partes fit: Quum autem expergiſcuntur, hæc manifeſta hoc modo ſe habere. Quare quoniam parua omnium principia, manifeſtum quod & ægritudinum & aliarum paſſionum, quæ in corporibus debent fieri. Manifeſtum ergo, quod neceſſarium hæc in ſomnis eſſe euidentia magis quam in vigilando.* Deinde vero id, quod eſt futurorum cauſa ſubdens, *At vero quædam quidem, quæ in ſomnis, phantaſmata cauſas eſſe propriorum cuiusque actuum non eſt irrationabile: quemadmodum enim debentes agere, & in actibus exiſtentes, aut operari, recta ſomnia ſæpe his contuemur & agimus: cauſa autem, quod præparatus exiſtit motus a diurnis inchoationibus: ſic rurſus neceſſarium eſt, eos, qui in ſomno ſunt, motus frequenter principium eſſe diurnorum actuum, eo quod præparata ſit retro & horum cogitatio in phantaſmatibus nocturnis. Sic ergo contingit ſomniorum quædam ſigna & cauſas eſſe.* Denique vero id, quod eſt accidens futuris vtcunque reſpondens, addens, *Plurima vero accidentibus aſſimilantur: maxime autem & tranſgredientia omnia, & quorum non eſt origo in nobis, ſed de nauali bello, & de ijs, quæ procul accidunt, ſunt: De his enim eodem modo ſe habere veriſimile eſt, vt quando alicui memoranti de aliquo contigerit hoc factum eſſe: Quid enim prohibet & in ſomnis ita? magis autem veriſimile multa huiuſmodi accidere. Quemadmodum igitur meminiſſe de aliquo, neque ſignum, neque cauſa accedendi ipſum; ſic nec ibi eueniſſe ſomnium videnti, neque ſignum, neque cauſa, ſed caſus: Ideo & multa ſomniorum non eueniunt; fortuita enim neque ſemper, neque frequenter fiunt.* Poſt hæc ſomniorum tres cauſas afferens affert, primum oſtendens non omnia ſomnia mitti a Deo, clare ſupponit aliqua mitti a Deo, ſcilicet hominibus optimis, & cordatis, *Omnino autem quoniam & aliorum animalium ſomniant quædam, a Deo vtique miſſa non erunt ſomnia, neque facta*

ſunt

ſunt huius gratia: dæmonia tamen; natura enim dæmonia; non diuina. Signum autem, valde enim degeneres homines prævidentes ſunt, & recte ſomniantes, tanquam Deo non mittente. Sed quorumcumque quaſi loquax natura eſt, & melancholica, multimodas viſiones vident. Quod autem nomine naturæ Dæmoniæ ſignificauerit hic Ariſtoteles animum rationalem vtcumque a corporis perturbationibus abdicatam, a ſenſuum ſomno ſopitorum agitationibus liberam, adeoque valentem agnoſcere leuiores motus cauſarum effectus mox euehituros producere potentium, abunde ſatis (*d*) alias explicaui, ſicuti notabam. *d* de Quæſt. per epiſt. 34
Illico vero docet quomodo a caſu, & fortuna ſomnia diuinantia fiant, addens; *Eo vero quod ſecundum plura & multifariam moueantur, aſſequuntur: ſicut quidam tota contendentes, rapiunt; nam quemadmodum & dicitur: ſi multa iacias, alias aliud iacies: & in his hoc accidit. Quod autem non eueniunt multa ſomniorum, nihil inconueniens; neque enim eorum, quæ in corporibus ſunt, ſignorum, & cæleſtium, velut quæ aquarum, & quæ ventorum: ſi enim alius vehementior iſto acciderit motus, a quo futuro factus eſt, non fit ſignum,* &c. Quoniam vero ſimilitudo quæpiam fere ſemper intercedit inter ſignum & rem ſignificatam, inter cauſam & effectum, nulla vero inter accidentia & id cui accidunt; propterea priora ſomnia facilius eſt interpretari, quam fortuita; & illorum interpretatores aptiores ſunt, qui rerum ſimilitudines magis agnoſcunt; vt ait mox Ariſtoteles aſſerens, *Artificioſiſſimus autem eſt iudex ſomniorum, qui poteſt ſimilitudines inſpicere; recta enim ſomnia iudicare cuiuſque eſt; dico autem ſimilitudine, quoniam ſimilia accidunt phantaſmata eis, quæ in aquis ſunt, ſimulachris, ſicut & prius diximus: ibi vero, ſi multus fiat motus, non ſimilis fit imago & ſimulachra veris. Promptius vero erit imagines iudicare ſufficienter, qui poteſt cito inſpicere & ſentire diſſipata & diſtorta ſimulachrorum quod ſunt hominis vel equi aut cuiuſcumque, & ibi itaque aliquid ſimile poteſt ſomnium; motus enim impedit rectum ſomnium.* His ita conſtitutis, allatorum ſomniorum cauſas afferre poterimus in Peripato; nam quod anulos accipere, ſecuritatem ſignificet; & anulos dare vel perdere, ſignificet dolorem; id mihi videtur caſu temereque contingere; quoniam hoc nulla neceſſario nititur ſimilitudine; ſiquidem & vir ſponſæ ſuæ tribuit anulum, a qua liberos, leuamen curæ familiaris, & gaudium habet: & Princeps cancellario ſuo dat anulum, nihil inde doloris habens. Niſi forte dicamus, anulos ad claues indicare cuſtodiam rerum, & ſecuritatem obſignatorum; & moribundos tradere conſueuiſſe ſuperſtitibus anulos, atque ni tradiderint, ab eis eripi ſolitos, vt (*e*) infra latius apparebit. Ce- *e* cap. 54.
terum Philippi de Alexandro ſomnium aptiſſime fuit interpretatum a Telmeſio; fuit autem ſignum futuræ vitæ Alexandri, non cauſa, & non a caſu, nec a natura Dæmonia, quæ fuerit anima Philippi, quantumuis a ſenſuum ſopitorum perturbationibus libera; quia mens humana tam longinqua præuidere non poteſt; vix enim moribundi vicina futura vaticinantur, vt de morte Achillis Hector apud (*f*) Homerum. *f* Iliad. 22.

Hunc autem moriens allocutus eſt galeam mouens Hector:
Certe te bene noſcens prauidebam: neque ſine eram
Perſuaſurus: certe enim tibi ferreus intus animus:
Conſidera nunc ne quo pacto tibi Deorum vltio fiam

Die illo, quando te Paris & clarus Apollo
Strenuum exiſtentem perdent in Scæis portis.
Sic igitur ipſum locutum finis mortis cooperuit.

Quod præſagium euentu confirmatum fuit. Sed a Deo miſſum fuiſſe ſom-
nium id bifariam dici poteſt; primum, quidem a vero Deo, ſi audias Ioſe-
g 2. ant. phum hiſtoricum (g) aſſeuerantem non ſolum, ſicut Hebræis mare rubrum,
Iud.c.7. ita *Alexandri ductu Macedonibus Pamphylium mare ceſſit, & aliam viam non ha-
bentibus illac iter aperuit: quum Deus eius opera ad deſtruendum Perſarum impe-*
h 11. ant. *rium vti decreuiſſet.* verum etiam infra, (h) *Quum Phœnices, ac Caldæi ſpera-*
Iud. cap.8. *rent ſibi licere quicquid iratus Rex poſſet permittere, direptionem Vrbis, & Pontificis
exquiſitum ſupplicium: plane contrarium euenit: Alexander enim vt vidit e longin-
quo candidatum populum, & ſacerdotes ante agmen in amictu byſſino, Pontificemque
in ſtola hyacinthina auro diſtincta, tiaram in capite geſtantem cum præfixa aurea la-
mina inſculpta Dei nomine; ſolus ad eum accedens, Nomen illud adorauit & ſaluta-
uit Pontificem: Iudæis autem omnibus vno ore Alexandrum conſalutantibus, & in
orbem cingentibus, Syriæ Reges, & reliqui obſtupuerunt, vix credentes Regem mentis
compotem: Solus Parmenio propius accedens rogauit familiariter, quid ita quum ipſe
adoraretur ab omnibus, nunc adoraret Iudæorum Pontificem? at ille, non hunc ſe
adoraſſe reſpondit, ſed Deo, cuius Pontifex eſſet, honorem eum exhibuiſſe; hunc enim,
inquit, vidi & antea hoc ipſo habitu, quum adhuc eſſem in Dio Macedoniæ, qui me de-
liberantem quomodo Aſiam poſſem ſubigere, hortatus eſt forti eſſe animo, & ſine mo-
ra exercitum traijcere; nam ſuo ductu potiturum me Perſarum imperio; quapropter
quia nunc primum talem habitum vidi aggreſſus hunc, & viſionis memor, quæ me
ad hanc expeditionem impulit, puto me non ſine Numine in Darium exercitum duce-
re, & breui fore victoriæ compotem: & ſublato Perſarum imperio, ceſſura mihi omnia
ex ſententia. Hæc locutus ad Parmenionem, & comiter complexus Pontificem, de-
ducentibus ſacerdotibus in vrbem peruenit: & aſcendens in Templum immolauit Deo
ex ſacerdotis præſcripto, ac Pontifici quoque ſuum honorem exhibuit. Oſtenſoque ſibi
Danielis libro, in quo Græcum quendam Perſas debellaturum ſignificat, hunc ipſum ſe
eſſe interpretatus lætus dimiſit multitudinem.* &c. Ex quibus veriſimile ſatis eſt,
Deum ſummum, qui Danielem de Alexandro prophetari voluit, quique
Alexandro in ſomnis apparuit, & in Aſiam contra Perſas mouere cohorta-
tus eſt facile ſomnium miſiſſe non ſolum Olympiadi matri, ſed etiam Philip-
po patri, quo præmoniti de gloria, & fortitudine naſcituri, filium erudirent
in bellicis & regijs exercitationibus. eſt autem id vtrunque ſomnium, non
fortuitum, non cauſa rei futuræ, ſed ſignum diuinum ac ſupernaturale vitæ
i 8. moral. celebris Alexandri Magni. D. autem (i) Gregorius præter ſomnia a Deo
c. 13. miſſa, & quæ naſcuntur ex naturali cauſa, ſiue ſint euentuum futurorum ſi-
4.dial.c.48 gna, ſiue ſint eorundem cauſæ, ſiue fortuita & per accidens, de quibus Ari-
ſtoteles, recte meminit etiam ſomniorum, quæ dormientibus immittuntur a
Dæmone: licet hæc ad ſupernaturalia referantur, & vtcumque ad ea, quæ
mitti dicuntur ſimpliciter a Deo, tum quia fiunt permittente Deo, vel iuben-
k Matth.1. te Deo; iubente quidem, Angeli ſomnia mittunt, vt olim (k) Ioſepho Vir-
& 2. ginis coniugi non ſemel, & Magis ſanctis: permittente vero, cacodæmones
l Amos 3. etiam ſomnia mittunt; quæ ideo a Deo mitti dicuntur, iuxta illud, (l) Non

eſt

eſt malum in ciuitate, quod non faciat Dominus; malum quidem pœnæ, non raro poſitiue; malum vero culpæ nonniſi permiſſiue: tum quia Dei nomen apud (*m*) Ariſtotelem ſumitur in ampliſſima ſignificatione, communiter ad omnes ſubſtantias ſeparatas, ſiue bonas, ſiue malas, vt fuſe probamus in opere De Pietate (*n*) Ariſtotelis. Itaque priſcis etiam anulorum vſus fuit ad ſomnia diuinatoria. Quanquam illud vere dixerit Heliodorus, (*o*) *Oracula & ſomnia vt plurimum ex euentibus iudicantur*. Sed iam redeamus ad anulos veros & materiales; hi ſiquidem ſomniantium apparentes fuerunt & imaginarij, non autem reales.

m 3. hiſt. c. 20. & 2. ma. mor. c. 18.
n lib. 2. c. 5. & 6.
o l 2. inf.

De Priſcorum Anulis ad ornatum.
Cap. XXXI.

POſt hæc agendum nobis eſt de priſcorum anulis ad ornatum. Qua quidem in re video pleroſque cum Macrobio conſtituere ex Atteio Capitone, proferente libros Pontificales Etruſcorum, non ita vetuſtos eſſe anulos ad ornatum, *Veteres*, (*a*) inquit, *non ornatus, ſed ſignandi gratia anulum ſecum circumferebant; vnde nec plures habere quam vnum licebat, nec cuiquam niſi libero; quos ſolos fides deceret, quæ ſignando continetur*. In oppoſitum tamen habemus tum Liuium, tum potiſſime ſacram hiſtoriam; Liuius enim ait, (*b*) *Nouiſſimum ab Sabinis bellum ortum, multoque id maximum fuit; nihil enim per iram aut cupiditatem actum eſt: nec oſtenderunt bellum prius quam intulerunt: conſilio etiam additus dolus. Sp. Tarpeius Romanæ præerat arci: huius filiam virginem auro corrupit Tatius, vt armatos in arcem acciperet: aquam forte ea tum ſacris extra mœnia petitum ierat; accepti obrutam armis necauerunt: ſed vt vi capta potius arx videretur, ſeu prodendi exempli cauſa, ne quid vſquam fidum proditori eſſet; additur fabula, quod vulgo Sabini aureas armillas magni ponderis brachio læuo, gemmatoſque magna ſpecie anulos habuerint, pepigiſſe eam, quod in ſiniſtris manibus haberent: eo ſcuta illis pro aureis donis congeſta*. Quum certum cuique ſit, Sabines in primordio Romæ naſcentis anulos gemmatos magna ſpecie nonniſi ad ornatum circumtuliſſe, vt & aureas armillas magni ponderis. Moſes item multo vetuſtior Etruſcis Pontificibus ait, Deum hæc ſibi mandaſſe, (*c*) *Facieſque veſtem ſanctam Aaron fratri tuo in gloriam & decorem. Et loqueris cunctis ſapientibus corde, quos repleui ſpiritu prudentiæ, vt faciant veſtes Aaron fratri tuo in gloriam & decorem, in quibus ſanctificatus miniſtret mihi*. & mox, *Facies in rationali catenas ſibi inuicem cohærentes ex auro puriſſimo & duos anulos aureos, quos pones in vtraque rationalis ſummitate: catenaſque aureas iunges anulis, qui ſunt in marginibus eius: & ipſarum catenarum extrema duobus copulabis vncinis in vtroque latere ſuperhumeralis deorſum, quod reſpicit contra faciem iuncturæ inferioris, vt aptari poſſit cum ſuperhumerali: & ſtringatur rationale anulis ſuis cum anulis ſuperhumeralis*. & inferius, (*d*) *Quicquid ad cultum & veſtes ſanctas neceſſarium erat, viri cum mulieribus præbuerunt, armillas, & inaures, anulos, & dextralia: omne vas aureum in donaria domini ſeparatum eſt*. & adhuc infra, (*e*) *Fecerunt in rationali & catenulas ſibi inuicem cohærentes de auro puriſſimo: & duos*

a 7. Satur. c. 13.
b lib. 1.
c Exod. 28.
d cap. 35.
e cap 39.

vncinos, totidemque anulos aureos: Porro anulos poſuerunt in vtroque latere ratio-
f cap. 32. *nalis, &c.* Sed & quum paulo (f) ſuperius habeatur, *Dixit Aaron: Tollite inau-*
res aureas de vxorum, filiorumque, & filiarum veſtrarum auribus, & afferte ad me.
Fecitque populus quæ iuſſerat, deferens inaures ad Aaron: quas quum ille accepiſſet,
formauit ex opere fuſorio, & fecit ex eis vitulum conflatilem. & mox, *Quibus ego*
dixi; Quis veſtrum habet aurum? Tulerunt, & dederunt mihi, & proieci illud in
ignem, egreſſusque eſt hic vitulus: hunc locum afferens Tertullianus inquit,
g lib. adu. Iudæor. (g) *Quum ex monilibus feminarum, & anulis virorum aurum fuiſſet igne confla-*
tum, & proceſſiſſet eis bubulum caput. &c. Iudith (*) etiam *aſſumpſit dextrario-*
* Iud. c. 10 *la, & lilia, & inaures, & anulos, & omnibus ornamentis ſuis ornauit ſe.* Quin &
h l. 3. c. 4. Ioſephus in Antiquitatibus Iudaicis ait, (h) *His dictis profert duas tabulas*
continentes decem præcepta deſcripta, in ſingulis quina; erat autem Dei manus ea
ſcriptura. Illi vero præſentia ſermoneque Moyſis læti, pro ſe quiſque certatim ad ſtru-
cturam tabernaculi conferebant aurum, argentum, cuprum, materiam ligneam elegan-
tem & contra cariem firmam, pilos caprarum, & ouium pelles partim hyacinthina,
partim purpurea tinctura, quaſdam etiam candidas colore, & alias purpuræ flore in-
fectas: adhæc lanas eiſdem coloribus, tinctas, & byſſinum: lapillos quoque pretioſos,
qui ad ornatum auro includi ſolent. nimirum anulos aureos gemmatos. Vt
iam aperte conſtet, antiquiſſimum extitiſſe vſum anulorum ad ornatum.
Ceterum apud Græcos, & Romanos etiam anuli ad ornatum antiquitus
erant & grandes, & multi, & gemma pretioſiore micantes: qua de re Cælius
i l. 6. ant. lect. c. 12. ait, (i) *Qui vero anulis digitos onerant, confragoſo verbo in Nebulis Ariſtophanes*
Sphragidonycargocometas vocauit. & Plautus in Milite glorioſo,

„ *MI.* Ab illa quæ digitos deſpoliat ſuos, & tuos digitos decorat:
„ Nam hunc anulum ab tui cupiente huic detuli huic porro.

k cap. 32. Apud Arbitrum etiam, impuritatum illum puriſſimum ſcriptorem, (k) *Tri-*
malcio habebat etiam in minimo digito ſiniſtræ manus anulum grandem ſubauratum,
extremo vero articulo digiti ſequentis minorem, vt mihi videbatur, totum aureum,
ſed plane ferreis velut ſtellis ferruminatum: & ne has tantum oſtenderet diuitias,
dextrum nudauit lacertum armilla aurea cultum, & eboreo circulo lamina ſplen-
l lib. 33 c. 1 *dente connexum.* In eandem ſententiam Plinius de anulis agens infit, (l) *Mul-*
tis hos modis, vt cetera omnia luxuria variauit, gemmas addendo exquiſiti fulgoris,
m l. 37. c. 6. *cenſuque optimo digitos onerando, ſicut dicemus in gemmarum (m) volumine: mox*
effigies varias cælando, vt alibi ars, alibi materia eſſet in pretio. Alias deinde gem-
mas violari nefas putauit: ac ne quis ſignandi cauſam in anulis eſſe intelligeret, ſo-
lidas induit. Quaſdam vero neque ab ea parte, qua digito occultatur, auro cluſit;
aurumque millibus lapillorum vilius fecit. Contra vero multi nullas admittunt
gemmas, auroque ipſo ſignant, vt Claudij Cæſaris principatu repertum. Necnon &
ſeruitia iam ferrum auro cingunt, alia per ſe ſe mero auro decorant; cuius licentiæ
origo nomine ipſo in Samothrace id inſtitutum declarat. Singulis primo digitis geri
mos fuerat, qui ſunt minimo proximi: ſic in Numæ & Seruij Tullij ſtatua videtur:
poſtea pollici proximo induere, etiam Deorum ſimulachris: dein iuuit & minimo da-
re: Gallia Britanniaque in medio dicuntur vſa: hic nunc ſolus excipitur, ceteri om-
nes onerantur. Sunt qui tres vni minimo congerant; alij vero & huic vnum tan-
tum, quo ſignantem ſignent (emendare vult Gelenius legens, *quo ſignanda ſi-*
gnent.

guent: Sed ego cenſeo nihil immutandum; nam exiſtimo, velle Plinium, per anulum vnum digiti minimi ſignari, hoc eſt vel oſtentari videntibus manum alium anulum prętioſiorem in proximo digito latentiore; quo pretioſiore anulo literæ, teſtamenta; & id generis alia ſignentur ad fidem: vel etiam claudi tanquam claui pretioſiorem illum ſigillaricium in theca, qui non ita ſemper digito geſtaretur; quod indicant apertiſſime verba Plinij ſequentia) *Conditus ille, vt res rara, & iniuria vſus indigna, velut e ſacrario promitur: & vnum in minimo digito habuiſſe, pretioſioris in recondita ſuppellectilis oſtentatio eſt.* Verum & priorem meam coniecturam euidentiſſime comprobare videtur apud (n) Macrobium Atteius Capito, cui *Electus eſt in ipſa laeua manu digito minimo proximus, quaſi aptior ceteris, cui commendaretur anuli pretioſitas; nam pollex, qui nomen ab eo quod pollet, accepit, nec in ſiniſtra ceſſat; nec minus quam tota manus, ſemper in officio eſt; vnde apud Græco [ANTICHEIR] vocatur, quaſi manus altera; pollici vero vicinus nudus & ſine tuitione alterius oppoſiti videbatur; nam pollex ita inferior eſt, vt vix radicem eius excedat: medium, & minimum vitauerunt, vt ineptos, alterum magnitudine, breuitate alterum: & electus eſt qui ab vtroque clauditur, & minus officij gerit, & ideo ſeruando anulo magis accommodatus eſt*: quem propterea Plinius (o) condum ac veluti ſacrarium apte nuncupat, e quo promeretur anulus gemma ſignatoria pretioſior, quæ veluti condita ſignificaretur, & indicaretur ab anulo minimi digiti patentiore. Hoc etiam oſtendit, apud veteres anulos fuiſſe geſtatos ad ornatum, quod ex Diodoro Siculo legimus, (p) *Zaleucum lege lata ſanciuiſſe, Mulierem liberam neque aureis circumponi ornamentis, neque contextis indumentis, neque laboratis venuſtari, niſi quum ſcortari, atque amatorem ſibi moliri ſtuduerit: neque viros anulis aureis ſplendeſcere, neque Milesia veſte contegi, niſi quum lenocinari, aut adulteria committere niterentur. Atque ita facillime pœnæ genere, vituperio ſcilicet probri, perniciem deliciarum omnem, atque intemperantiæ labem coercuit, excluſitque licentiæ procacitatem, maxima impudentiæ irritamenta: nemo enim tam perditæ libidinis inueniri poterat, qui domeſtica atteſtatione & proprio ſuæ turpitudinis teſtimonio, vellet ſe perpetuo inter ciues probro ludibriove damnare.* Sed & hanc anulorum ad ornatum antiquitatem comprobat Iulius Pollux, dum recenſens Mundi muliebris nomina meminit in primis anulorum ita, (q) *Quæ vero in digitis, anulus, anellinus* (ita vertere lubet [DAKTYLIDION,] potius quam cum Interprete, *Condulus*) *ſigillum, ſignatorius: ſic enim ſignatos anulos vocarunt: ſigilla autem gemmas continentes. Digito autem minimo anulum geſtabant, qui [AKARE] propter paruitatem dicebatur, & alter Corianeum dictus, medio aptatus digito.* Scilicet mulieres antiquitus ad ornatum ſimul plures anulos geſtabant, nimirum & in digito minimo paruulum, quem vocabant [AKAREN,] ſiue [DAKTYLIDION,] nos Itali *anelletto*: alium ſignatorium, nempe clauem ad ſignandum habentem: quales propoſuimus antea Galuanios: alium item maiorem in digito prope minimum, quem ſigillum, & [DAKTYLION] appellant, vt pote ſignandis epiſtolis inciſa gemma deſtinatum: tertium in medio digito aptatum, ad ornatum tantum, quem anulum Corianeum dixere. Apud (r) Iſidorum Gracchus in Mæuium, *Conſiderate Quirites ſiniſtram eius, en cuius autoritatem ſequimini, qui propter mulierum cupiditatem, vt mulier*

n 7. Satur. c. 13.

o l. 33. c. 1.

p lib. 12.

q lib. 5. c. 18.

v. Hip. de dec. orn. medici.

r l. 19. c. 31.

eſt

eſt ornatus. Ad anulos ad ornatum geſtatos illud facit, quod olim Romani Imperatores, quum hoſtes ſuperaſſent, optime geſta re publica, ſcribas ſuos anulis aureis in concione donare ſolebant. Vnde Cicero (*ſ*) queritur, quod indigniſſimos in concione eo munere ornaſſet Verres. In anulorum genere, qui ad ornatum ferebantur, inaures aureas eſſe, nemini dubium eſt; has nedum feminas geſtaſſe, vt notat Plautus in Epidico, vbi ſeruus heræ virgini ait,

ſ in Verr. orat.4.

„ Non meminiſti me inaurem auream ad te afferre natali die?

verum etiam viros, potiſſimum barbaros Reges hoc ornamenti genere vſos, comprobat Plutarchus in Mario talia de Iugurtha ſcribens, *Marius deportatis ex Africa legionibus, ipſis Calendis Ianuarij, quem diem Romani initium anni celebrant, conſulatum inijs, & triumphauit, atque incredibile populo Romano ſpectaculum exhibuit vinctum Iugurtham: quo viuo nemo ſperauerat ſe prouinciam illam confecturum: adeo erat verſutus ad ſe omni fortunæ accommodandum, magnoque animo miſto cum vafricie præditus. Verum tunc ante currum ductus de gradu, vt perhibent, deiectus eſt. Poſt triumphum in carcerem condito alij tunicam violenter dilacerauerunt, alij vi demere auream inaurem accelerantes vna infimam auriculam auulſere. Vbi detruſus nudus & eiectus in infimum carcerem eſt, attonitus & cauillans, Papæ, inquit, quam eſt frigidum veſtrum hoc balneum! At hic cum fame ſex dies luctatus, atque ad extremum vſque vitæ cupiditate hians, dignum ſceleribus ſuis exitum inuenit.* Itaque anulorum vſus ad ornatum antiquiſſimus fuit atque præcipuus inter homines. Quum Catena ſit ex anulis confecta, quin & ipſa recte numeretur in anulorum ſerie, dubio procul ad anulos ornatui dicatos apud antiquiores attinet, quod Albertus Crantzius refert agens de Suetia ſic, (*t*) *Nobiliſſima Gens Suecorum templum habuit, quod Vpſala dicitur: Sedes hodie metropolitana Regni ibi perdurat, non longe a ciuitate Sictona & Birca. In hoc templo (quod totum fulgebat ex auro) ſtatuis trium venerabantur Deorum, antequam Chriſto crederent*. & paulo poſt: *Arbor iuxta templum ſtabat ingens, patulis diffuſa ramis, æſtate & hieme iuxta virens: genus eius nemo potuit edicere. Fons ſcaturiit ad locum ſacrificiorum: Sacrificaturi hominem hic immerſere viuum, qui ſi facile mergeretur, fauſtum renunciauere votum. Aurea Catena fertur cinxiſſe templum, ad mœnia ædis domusque faſtigia ſuſpenſa, late rutilans acceſſuris: nam templum in planitie ſitum montibus ambitur*. De hoc Vpſaliæ templo ſumptuoſiſſimo delineationem habet Olaus Magnus in (*u*) Hiſtoria Septentrionalium Regnorum, ac teſtimonium præclarum Olaus Vvormius in ſuis (*x*) Monumentis Danicis.

t l.1. præf.

u l.3 cap.6

x l.1. c.3.

De Anulis ad ianuas ornandas, claudendas, pultandas & aperiendas. Cap. XXXII.

27 ar. ſi. is

QVod apud noſtrates hoc æuo paſſim vſuvenire conſpicimus, domorum valuas, potiſſime luculentarum, affixum anulum habere, plerumque fabrefactum artificioſe ſatis, frequentiſſime rude atque ſimplex e ferro, vel e cupro, æreve, ad eas attrahendas a claudente foriníecus exeunte, pari-

riter ad eas pultandas a mox ingreſſuro reſerationem poſtulante, ſimul & ad
eas exornandas: id ipſum apud antiquos etiam in more poſitum fuiſſe, præ-
clare docet in ſuis (a) Monumentis Danicis eruditiſſimus Vvormius ita, a l. 1. c. 3.
*Nec minoris æſtimij fuiſſe videtur fanum & lararium, quod in Noruegia prope Ni-
droſiam extitit in Laden. Quod ab Haquino Comite Ladeiari dicto, magnifice exor-
natum erat. Refert namque Snorro Sturla in hiſtoria Olai Tryggonis, eum, quum
Noruegiam ad Chriſtianam religionem perducere conaretur, huius fani Idola confre-
giſſe, tectum diruiſſe, & ingentem ex auro Anulum, qui Ianuam & Valuas exorna-
bat, tanquam magnificentiæ teſtem abſtuliſſe. Quem Anulum deinde Sigridæ Stor-
radæ dono miſit, quum eius ambiret coniugium.* Apud noſtrates tamen & hoc
æuo fere templorum ianuis non affiguntur anuli, ſed valuis domorum; &
potius ad eas pultandas, atque trahendas, quam ad exornandas; propterea
non ex auro, ſed ex viliore metallo cuduntur.

De Anulo Iuramenti.
Cap. XXXIII.

CONſueuiſſe veteres in Altaribus anulos habere ſacros, præſtando iura- 28 *an. finit.*
mento publico deſtinatos, aperte conſtat ex Arngrimi Crymogea:
Quem locum nobis affert eximius Olaus Vvormius item in ſuis Monumen-
tis Danicis inquiens, (a) Nec Iſlandia ſuis deſtituebatur delubris & fanis, a l. 1. c. 3
Arngrimo noſtro *Lararia* dictis; quorum delineationem ex eiuſdem (b) Cry- b l. 1. c. 7
mogæa hic repetere licet. *Lararium quodlibet*, inquit, *pro ratione huius terræ,
magnifice extructum erat. Quorum duo leguntur fuiſſe CXX. pedum longa:
vnum in Præfectura Madſidal Iſlandiæ Borealis: alterum in Rialarnes meridionalis
Iſlandiæ: & hoc quidem pedes latum LX. Singula ad hæc Lararia Fanum in Sacelli
morem ſibi adiunctum habebant. Hic locus ſacratiſſimus: Hic Idola & Dij manu
facti in Suppedaneo, ſeu Ara quadam conſiſtebant: quos circum pecudes ijſdem ma-
ctandæ diſponebantur.* Mox poſt quædam ex Mackhyrna, characteribus Da-
nicis, quæ Runæ dicuntur, delineata, *Ante Deorum illud Suppedaneum in præ-
dictis Fanis ſitum, Ara extructa ſtabat ferro ſuperne inueſtita; ne igni, qui ibi peren-
nis eſſe debuit, læderetur. In ara etiam lebes, ſeu aneum vaſculum repoſitum erat,
quo hoſtiarum ſanguis exciperetur; adiuncta luſtrica & aſpergillum, ad victimarum
cruorem aſtantibus aſpergendum. In Ara præterea Anulus aſſeruabatur argenteus
(vel ex orichalco) unciarum XX. quem forenſi alique munere fungentes, iuſiuran-
dum iam præſtituri, victimarum illinitum cruore, religioſe inter iurandum contre-
ctabant. Ad victimas vt plurimum quadrupedes deſtinabantur in ſacrificantium
epulas conuertendas. Quemuis interim (dolendum) comperiam cæcos ethnicos vi-
ctimis humanis etiam vſos loco prædicto Rialarnes: vbi pro lararij foribus puteus pro-
fundiſſimus, in quem victimæ humanæ demergebantur. Qui puteus a ſacrificio Blot-
felda dictus eſt.* Sic ergo veteres anulum, ſuo ritu ſanguine victimarum con-
ſecratum, ac ex Ara depromptum, manibus contrectabant, dum Iudicum
perſonam agentes in foro iuramentum ſolemne præſtabant: Non aliter &
nos iuramenta facimus apud Iudices in foro ſolemnia, manu tangendo por-
re-

rectas ab ipſis ſacras Scripturas: & noſtri Sacerdotes apud eoſdem Iudices iurare conſueuerunt manu tangentes proprium pectus, quod ſacrum eſt. Vt ſemper iuramenta fieri conſueuerint contrectatione rei cuiuſpiam ſacræ; quę priſcis Iſlandis Idololatris fuit anulus magnus argenteus, aut ex oricalcho, victimarum ſanguine perlitus, & in Ara fani ad hunc vſum conſeruatus.

De Anulis ad artes. *Cap. XXXIV.*

29. an. finis. AD artes etiam exercendas, velut inſtrumenta quædam oportuna, planeque neceſſaria, veteres anulos adhibuiſſe, non difficile probatu ſit: non

a cap. 5. ſolum enim apud Oribaſium de Machinis agentem, (a) *Anuli adhibentur ad organa tractoria, vt alligari poſſint; ad alia vero, vt machinationes contineant, quemadmodum in Menecriti Bucranio, vbi axis continetur, atque eadem de cauſa in alijs organis forfices in organis arcte tranſuerſaria cum*

b Exod. 25 *crucibus iungunt*: verum etiam legimus in vetuſtiſſima ſacra (b) pagina, *Faciesque ſupra coronam auream per circuitum, & quatuor circulos aureos, quos pones per quatuor arcæ angulos: duo circuli ſint in latere vno, & duo in altero: Facies quoque vectes de ligno Sethim, & operies eos auro: inducesque per circulos, qui ſunt in arcæ lateribus, vt portetur in eis: Qui ſemper erunt in circulis: nec vnquam extrahentur ab eis.* & infra, (c) *Et fecit illi coronam auream per gyrum conflans quatuor anu-*

c cap. 37. *los aureos per quatuor angulos eius: duos anulos in latere vno & duos in altero. Vectes quoque fecit de lignis Sethim, quos veſtiuit auro: & quos miſit in anulos, qui erant in lateribus arcæ, ad portandum eam.* Ceterum & ad artes etiam viliores anulorum vſus fuit ab antiquo cum ipſiſmet artibus incipiens; namque pat eſt, artibus coæua fuiſſe neceſſaria illis inſtrumenta; vt puta ſutoriæ arti digitalius anulus medio digito impoſitus, quo acus impellitur, aut etiam indici; cuiuſmodi ſutorium anulum antiquum antea retulimus valde diſſimilem a noſtratibus digitalijs, nempe verum anulum cum latiore pala, plurimis cauitatibus excauata ad excipiendam aciculæ baſim, & in gyrum circumdata limbo quodam eminentiore, ne tranſcurrere poſſet acus extra fundam; cuius imaginem Roma tranſmiſit ad me cum alijs eruditione pariter ac nobilitate Illuſtriſſimus Caſſianus Eques a Puteo cum iſta deſcriptione, *Il quarto era vn anello, che ſeruiua di ditale per cucire, molto più commodo de ditali noſtrali; haueua, come ſi vede, vna piaſtretta di ferro, incauata tutta di què piccoli ſegni, che V.S. vedrà; la quale haueua come vn orletto rileuato, acciò l'ago non ſcorreſſe, ſe non ſi fermaua bene in quelle intacche; & era la piaſtra attaccata, non nel mezo, ma da vno de lati, per poterla far venire al polpoſtrello del dito, e che quiui ſpianaſſe bene, per poter far forza allo ſpignere dell'ago nella roba, che veniua cucita.* Conſimiliter anuli fuerunt vſui arti nauigiorum effectrici, cuiuſmodi fuit olim Noemi tempore ad ſeruandos iuſtos homines paucos ab vniuerſali diluuio; cui quidem arti neceſſarius eſt anulus coriaceus biceps, quo digiti minimus & minimo proximus in apice veſtiuntur ad ſecure tenendum ferreum ſcalprum, quo pellitur ictu mallei per tabularum rimas intorta ſtuppa, ne per eas commiſ-

miſſuras introgrediatur aqua ſubmergens. Quin & alterum anulum coriaceum pariter artifex ille gerit in pollice, ne teratur digitus is ab eodem ferreo ſcalpro, cuius per eum digitum motus eſt frequentior. Et quum anuli fere omnes alij ad artium opera manum dexteram artificis arment, hi ſoli ſiniſtra induuntur; quia dextera malleum ligneum tenet, quo ſcalpellum ictibus impellit. Ars itidem coriariorum ad conſuenda coria conſueuit anulo vti coriaceo; ſed quæ recentes pelles inſuit ad primam earum conditurani, pollici dexteræ manus ita induit, vt extra eum anulum nudus pollex exertus ad ſui radices habeat anuli palam craſſiorem, qua totam fere volam contegente violenter impellitur acus ad conſuenda coria madida craſſiora: quæ vero coria ſicca conſuit in calceos, & ocrea, coriaceum pariter habet ars ad inſtar Zonæ latioris, in quam non digiti, ſed manus tota ſupra digitos inſeritur; quo quidem anulo, non impellitur acus, ſed trahitur filum, quo duriora coria ſiccioraque ſtringuntur arctius. Alij vero veſtium ſutores, & mulieres communiter ad conſuendas veſtes, & ad varia ornamenta formanda digitum medium dextræ manus armant anulo qua ferreo, qua argenteo, qua eburneo, qua chalceo ad acum impingendum ſine digiti detrimento. Plinio (*d*) quoque Perſica eſt arbor in Aegypto, cuius *lignum intus grandis, firmaque duritia, ex quo velares detornant anulos*: nimirum per quos, vt ait (*e*) Pollux, rudentes trahuntur; etenim & hodie tales in ſeptentrionalium nauiculis cornei, ac ligni conſpiciuntur, quibus vela antennis pendent, R hodij teſtimonio; ferreis plurimis vtuntur ad varios vſus in arte nauigandi ſuis in nauigijs Itali nautæ. Ad hanc rem faciunt, quæ contra Dalechampium animaduertit (*f*) Caſaubonus apud Athenæum, dicens, *Ne quem deciſiant qui iſta paulo poſt corrigunt*, [*PSILOTAPIDA ECHONTA KRIKOTHN KATHAPER TOYS STROMATEIS EVTELH*,] ideſt, *ſuper tapete leui anulos habente, vt illa ſequeſtria, quibus anuli inuoluuntur*. Habuiſſe [*TOYS STROMATOYS*] anulos, quibus vtebantur in conſtringendis ſtragulis, teſtis locuples (*g*) Theophraſtus loquens de arbore Cucifera, quam & ipſam Plinius vocat Cuci. Habet, inquit, [*PYRHNA MEGAN KAI SPHODRA SKLHRON. EX OY TOYS KRIKOYS TORNEYSI, TOYS EIS TOYS STROMATEIS TOYS DIAPOIKILOIS*.] Plinius vertit, ſed accommodans ſententiam ſeculo ſuo, *lignum intus grande, firmeque duritia, ex quo velares detornant anulos*. Vberius iſta in commentario de lectis veterum. I nunc, & lege [*KROKOTHN*] cum Dalechampio, ac de croceo colore interpretare. Hæc ille. Verum præter antiquos inuenerunt etiam æui noſtri Medici celebrati nominis anulos ad artem; nam ſi meticuloſi ægri in apoſtematum apertione aſtu fallendi ſint, anulos parandos monet Cl. Ambroſius (*h*) Paræus, quibus idonei ſcalpelli occuluntur, quique, ægro non animaduertente, exerti, in tumorem adigantur: formamque anuli delineat aptam ad hoc munus. Aptiorem tamen ad id anulum efformauit Iulius Caſſerius, non ita pridem Patauinus Anatomicus Cl. viri Fabricij ab Aquapendente diſcipulus & ſucceſſor; nam reperit anulum, e cuius inferna parte ad volam emineret acuta cuſpis, qua manum ducens Chirurgus veluti frictionem leuem agens, locum affectum in-

[*d* l. 13. c. 9.]
[*e* l. 1. c. 9.]
[*f* 12. animad. in Ath. c. 12.]
[*g* 4. hiſt. plan.]
[*h* l. 6. Chirur. c. 10.]

X opi-

opinantibus incideret. Nec minus aptam, ſed in praxi commodiorem Am- 39
broſiana compertam ſibi dicit Veslingius noſter anulorum Chirurgicorum
efformationem, quæ thecam ſcalpelli digito ſubiectam habet, & incidendo
tumori aduerſam; nam impulſo ad ſecundum vſque indicis articulum anu-
lo, exſerta ſcalpelli cuſpis, facile pollice proximo, digitoque longiore com-
prehendi, atque in tumorem obuium impelli poteſt. Denique Rouſeius
agens de partu Cæſario, commendat anulos ad impediendum vteri prola-
pſum e leui materie paratos, diuerſa magnitudine pro loci conditione exa-
ctos: idque vel hoc nomine potiſſimum, quod intra ſinum pudoris inuerſum
hoc anulare peſſarium mulieris cum viro [*SYNEYSIAN*] congreſſum
non impediat.

De Anulis violentiæ.
Cap. XXXV.

30 an. finis. NOn valde varium a propoſito genus aliud anulorum fuit apud anti-
quos, quod a violentia denominare libuit, quam afferunt naturali cui-
piam actioni, propenſionique: ſiquidem naturale ſuibus eſt roſtro terram
ſcindere, vt radicibus, & bulbis tenerioribus, potiſſimumque tuberibus eru-
tis veſcantur; id ne facerent, roſtro ferreus vel æreus anulus inſerebatur
etiam antiquitus; nam dolorem inferens in effoſſione durior anulus belluam
ab hoc opere procul arcebat: Antiquiſſimum extitiſſe eiuſcemodi anulo-
rum vſum conſtat ex Salomone, qui eiuſdem meminit, agens de anulo aureo
a Prou. 11. in naribus (*a*) ſuis, tanquam de re incongrua, & reprobanda, comparans
illi mulierem pulchram & fatuam; *Circulus aureus in naribus ſuis, mulier pul-
chra, & fatua*: tam enim dedecet pulchritudo fatuam mulierem, quam anu-
lus aureus narem ſuillam. Itidem bubalus animal eſt in genere bouis ſilue-
ſtris, natura liberum; ſed violentia cogitur ad humana ſeruitia; nam homi-
ni famulatur violenter tractus anulo perforatus aures; cui comparatur a
b cap. 40. „ Iobo (*b*) patiente diabolus Leuiathan; An extrahere poteris Leuiathan
„ hamo, & fune ligabis linguam eius? Nunquid pones circulum in naribus
„ eius, aut armilla perforabis maxillam eius? Præterea feminarum vterus
hiat natura ad excipiendum genitale maſculi pro ſobolis procreatione;
vt infauſto naſci dicantur omine mulieres, quæ concreto genitali gignuntur;
c l. 7 c. 16. qualem ortam (*c*) Plinius ait Corneliam Gracchorum matrem; quam ne-
d 4. de gen. ceſſarium fuit aperire ferro, vt de vacca Perinthi memorat (*d*) Ariſtoteles.
an. c. 4. f. Frequenter attamen anulo clauditur vterus equarum, aſinarum, & id gene-
ris, ne maſculos admittant: quin & inuenti ſunt inter homines, qui zelotypi
proprias vxores anulo clauſerint. Huiuſcemodi feminarum iniuria vide-
tur apud Lydos ortum habuiſſe, caſtrationisque nomen meruiſſe; nam apud
† l. 12. c. 3. E Atheneum dicentem, (†) ex Xantho, (*) *Lydiorum Regem Andramyrin femi-
* l. 2. Ly- nas primum caſtrauiſſe, & eunuchorum loco vſum illis fuiſſe*: notat Dalecham-
diorum. pius, *caſtratas illas feminas fuiſſe putari mulicbribus infibulatis, vt equarum quas
concipere & parere nolunt ferreis circulis ordine traiectis naturalia clauduntur, quod*

Galli

Galli vocant, *Boucler*. Immo vero maſculos, vt nunc etiam apud turcas, ita pridem annulo magno pudendum infibulatos, ne veneris deſiderijs ſatisfacere, iuſſibusque naturæ poſſent obtemperare, neminem latere cenſeo.

De Annulis priſcis ad emblemata, ſiue hieroglyphica, texentibus aureum Cornu vetuſtiſſimum nuper in Dania repertum.

Cap. XXXVI.

OLaus Vvormius Danus Medicus admirabilis cornu recens inuenti fa- 31 *an. finis.*
bricam explicans edito libello ſcribit ad verbum, *Anno M DC XXXIX. regnante in Dania Christiano Quarto, Daniæ, Noruegiæ, &c. Rege auguſtiſſimo, menſis Iulij die XX, puella quadam Dana Chriſtina Suenonis filia nomine, pagi Oſterbij, diſtantis a Megeltundero Diœceſis Ripenſis Opido, vix dimidio milliari, eo itura, in itinere in cornu hoc aureum caſu incidit. Quod quum annoſæ arboris prominentem exiſtimaret radicem (cœno enim & luto vndique obſitum erat quod ſe inconſpectum dedit) baculo, quem manibus tum geſtabat, quid rei eſſet, quod hic greſſum moraretur, pertentare cœpit. Sed quum hoc medio nil ſe detegeret, quod animum pelliceret, nullius pretij radicem eſſe autumans, iter ſuum perſequendo intactum illud reliquit. Octiduo elapſo rurſus Oſterbya Meltunderam tendens, duabus alijs comitata ancillis, quæ ad pagum Galhuſam nomine, non procul inde diſtantem, proficiſcebantur, iterato in biuio in idem impegit cornu. Quod cum diligentius aliquanto non ſine indignatione luſtraſſet, rarum quid, nec radicis propaginem eſſe animaduertit. Quia vero baculi tum deſtituebatur adminiculo, digitis terram fodere incipit, magnoque conatu obuium eruere. Dum ita operi intenta eſſet, pergunt in itinere reliquæ; non tamen prius deſtitit, quam totum vi ſumma erutum, manibus teneret. Aliquouſque progreſſas comites, in altera biuij ſemita Galhuſam tendente, mox læta acclamauit, ſe ſiſterent, aut accelerarent, viſum quid rari offenderit. Erutam ſimul tractantes prædam, nil aliud, quam caſcum venatorium cornu, eſſe concludebant, quod tanquam inutile, nulliusque momenti, vt abijceret, hortabantur. At illa: quia tanto mihi conſtitit labore, ad vrbem ferre non recuſabo. Progreſſa vlterius in aquæ dulcis incidit riuum, cuius latice erutum cornu abluere, & a cœni, ac luti quiſquilijs, quibus obductum erat, purgare cœpit. Tum commune cornu, venatorijs vſibus deputatum eſſe vt crederet, ei diſſuadebat & operis moles, & pondus, & metalli paulatim detectæ micantes ſtriæ. Hinc animoſior facta, omnino (diſſuadentibus comitibus ob ponderis, & grauitatis molem onus ſarcinæ, quam geſtabat, duplicaturam) in opidum ſecum deferendum decreuit. Culeo igitur incluſum Tunderam detulit. Sed quia ex ære confectum putabat, tunc temporis nemini examinandum tradidit: Domum reuerſa, reliquis eiuſdem familiæ oſtendit; qui ſtultitiam & temeritatem puellæ increpabant, quod in re nauci tantum poſuerit operæ. At illa, ſequenti die, vlterius poliendo cornu incubuit; in quo dum occupatur impenſius, interuenere viri duo, de conatu interrogantes, quibus reſpondit, ſe inuentum heri cornu mundare, vt ex quo conſtet metallo commodius explorare poſſet. Illi opus aliquantulum luſtrantes, Tubicinem quemdam hoc olim vſum fuiſſe, regerebant, eamque rem ſibi commodam facturam, ſi talis rurſum venderet profeſſionis homini. Puella in errore eos verſari arguebat,*

Inuentio cornu aurei diligẽter deſcribitur.

bat, ex eo, quod tot conſtaret partibus (dum enim violenter e terra illud euellebat, annulos quoſdam ex ijs, quibus interior cingitur lamina, a reliquo corpore extraxit) Tunderam ſe rurſum ituram aſſerens, vt certius de vſu & materia huius cornu ab alijs edoceretur. Eo iterum vbi ſe contuliſſet, femina cuidam aurifabro examinandam vt offerret, eius tradidit particulam: (verebatur namque, ſi per ſe negotium expediret, ne deciperetur, veritatem diſſimulante Artifice.) Redijt illa; ſententia Aurificis aurum eſſe referens. Quo reſponſo quantum ſit recreata quiuis facile colliget. Hinc fama de aureo inuento cornu longè lateque ſpargebatur, multoſque pellicebat Oſterbiam, viſum theſaurum vt tenderent. Tandem ad Tunderenſem præfectum delata res vbi fuit, nuncium puellę miſit, ad ſe vt aduolaret, inuentumque ſecum deferret theſaurum: illa parens monitis, ſe cornuque ſiſtit, rogans ſibi faculeatem currumq. dari, quo Regiam Maieſtatem coram conuenire, inuentumq. cornu afferre poſſet; at ille prius Præſidi Regio territorij Ripenſis monſtrandum vrſit: Non repugnauit puella; vna igitur itineri Ripas verſus ſe accingunt: eo vbi peruentum, Præſidem non inuenere; alio enim, negotiorum publicorum curandorum cauſa, conceſſerat. In eius igitur aduentum cornu aſſeruandum ratus arcis Scriba, puellam domum dimiſit, ſe cuncta accurate expediturum pollicitus. Præſes vbi redijt, puellam ad ſe vocari iuſſit, rem geſtam præſens vt exponeret, atque num plura eius generis ibidem loci reperiri poſſent, edoceret. Illa diſertis quæ iam retuli eſſata, ſe neſcire an plura eius generis in dicto extent biuio proteſtata eſt; interim ſi periculum facere luberet, locum monſtraturam. Mox, duce puella, ablegati ſunt, qui diligentius cuncta luſtrarent, terram effoderent, & in theſauros accurate inquirerent; ſed nihil inuenere momenti quod eſſet alicuius. Interea Tychopolim, quam Gluckſtadium vulgo vocant, (vbi tum cum filio Principe commorabatur Rex noſter Chriſtianiſſimus) appulit quidam, inter ſocios rem geſtam narrans, aureique huius cornu præſtantiam miris encomijs depredicans: tantum theſaurum ſolis Regibus & Principibus dignum, ab indignis tractari, nefas eſſe iudicans. Vnde ad aures Regias delata hac fama, an vera narraret homo, diligentius inquiri iuſſum eſt. Ille non modo rem geſtam, vt fide dignorum relatione accepit, narrare, ſed & locum, & tempus, & puellam, & reliquas circumſtantias a primo ouo enumerare pergens, vbi iam hoc extaret aureum cornu, ſubiungere non deſtitit. Meruit narratio fidem; tantumque apud Magiſtratum obtinuit, vt aduena acrius aſſertionem documentis euidentibus confirmante & defendente, ablegatus ſit probæ fidei vir, qui cuncta accuratius exploraret, & inuentum cornu ad Regiam Maieſtatem actutum deferret. Is rediens & aurum ipſum, & rei geſtæ ſeriem literis conſignatam attulit. Spectaculo tam iucundo dum oculos paſcunt præſentes; animaduertit Maieſtas Regia Sereniſſimum Principem magnopere eo delectari: Liberali igitur animo dono dedit, vtque in rei memoriam & antiquitatis honorem, ex eo poculum conficere curaret, quod perenne eſſet inuenti theſauri monumentum, iniunxit. Tam præclarum antiquitatis [KEIMHLION,] deſtruendum aut temerandum, ſano conſilio, diſſuaſere conſiliarij, autoreſque fuere Principi, a ſordibus purgari curaret, ne dumque in poculi vſum vt conuerteret: quum ex hiſtorijs conſtet, maiores noſtros cornibus poculorum loco in hiſce regionibus vſos fuiſſe antiquitus. Non diſplicuere Principi conſilia; quocirca non ſolum Aurifabro mundandum & poliendum tradidit; ſed & vocatam ancillam, quæ illud e terra eruit, vbi rem geſtam præſens accurate expoſuiſſet, ample ditauit honorario. Purgatum aurum, nitidiſſi-

*mum & pretioſiſſimum iam præbet poculum, in quo arte priſca variæ emicant homi-
num, & animalium figuræ hieroglyphycæ, quæ myſticum earum ſenſum indagantium
ingenia indies fatigant. Aureum hoc Sereniſs. Principis cornu ex duplici conſtat la-* *Fabrica.*
*mina, quarum interior ſolida & integra, lauis vtraque ſuperficie; exterior vero non
continua eſt, vt prior, ſed ex vndecim conflata contiguis quaſi latis anulis* (etſi ego
treſdecim numerem in ſchematiſmis delineatis ab hoc autore) *ſuis internodijs diſtinctis, & diuiſis: qui tamen omnes eiuſdem nec ſunt latitudinis, nec craſſitiei.
Maiores excipiunt minores hoc pacto, vt quamuis ſuis articulis* (commiſuris) *arcte
claudantur, circumuolui tamen poſſint, & eximi pro lubito, ſalua* (immotaque)
*interiori lamina. Anuli hi lauitate cedunt interiori ſubſtantiæ; duum enim generum
figuris ſunt exornati, quarum altera punctulis quibuſdam conſtant, ſtylo lamina impreſſis; altera eminentes ſunt & ſolidæ, non quidē malleo e ſuperficie protuſa encolapticé, vt iam in eiuſmodi fieri ſolet operibus, ſed ex ſolido auro fuſa & fabrefacta, ac peculiari arte agglutinata anaglyptice, vt extent & emineant ſupra laminam ſecundam;
apparent namq. in quibuſdam rimulæ inter laminam & imagines, quæ diuortium aliquale conſtituunt: ſi cohærerent hæ ſtatuæ, ſigna, ſeu imagunculæ, ac tanto interuallo
ſegregatæ non eſſent, tertium conſtituerent operis corpus. Materia ex qua conſtat* *Materia.*
cornu, puriſſimum eſt obrizum Vngarico ferme præſtantius, niſi quod interior ei paululum cedat lamina. Magnitudinem quod concernit, rotundum quum ſit & incur- *Magnitudo.*
uum, prona ſui parte (*ſepoſito cochleato epiſtomio, nuper claudendo orificio minori aptato*) *longitudine æquat pedes duos Romanos, cum quinque pollicibus: ſupina pedes
duos cum pollice vno: linea recta ab vna extremitate tranſuerſim ad alteram ducta
pedem continet vnum & pollices nouem. Orificium maius, ex quo bibitur, in circumferentia præciſe pedem habet vnum, in diametro pollices quatuor: minus, quod
cochlea clauditur, ambitu quatuor eſt pollicum, in diametro vnius cum ſemiſſe ferme. Liquoris capit duos ſextarios cum ſemiſſe, qui conſtituunt menſuram noſtratem
cum quarta vna. Pendet, abſque globo cochleato nouiter addito, vncias nonaginta* *Pondus.*
nouem cum drachmis duabus: centenas olim compleuiſſe mihi perſuadeo; ſed dum incautius id eruendo tractauit puella, & a cœno & quiſquilijs purgauit Aurifaber, reliquum periiſſe puto. Æſtimatur mille ducentis Imperialibus; ſed ob antiquitatis *Pretium.*
ſplendorem & raritatem nullus theſaurus ei comparandus. Globulus cochleatus, ei *Globulus*
nupere additus, octangulus eſt: in ventris circumferentia inſcriptionem continens *cochleæ ad-*
.... DENNE SKRVFVE ERGIORT AF NY 1639. *quod ſonat:* *dita.*
COCHLEA HÆC FABREFACTA EST ANNO MDCXXXIX.
curante ſcilicet Sereniſſimo Principe CHRISTIANO *Quinto, cuius nomen
exhibet C litera coronata cum incluſa quinarij numeri nota. Aurum vero, ex quo
conſtat hac cochlea, quamuis probioris ſit notæ, ſi tamen in comparationem cum reliquo, quoad colorem veniat, præ eo orichalcum eſſe iurares. Hunc vero globum eo fine
aptari curauit Sereniſſimus Princeps, ne quid liquoris incluſi efflueret. Anuli, ex* *Anulorum*
quibus exterior conſtat lamina, pro ratione proportionis ipſius cornu, quod conſti- *proportio ad*
tuunt, magnitudinem & amplitudinem ſortiuntur diuerſam: ampliſſimus & latiſſi- *inuicem in*
mus omnium eſt, qui labrum, ſeu ſummitatem cingit: ſtrictiſſimus & minimus, vl- *magnitudi-*
timus, vicinus globo cochleato: intermedij ratione proportionis (*apte inuicem coniun-* *ne.*
cti) *ſe habent. Sed quod omnium oculos maxime in ſe conuertit, eſt imaginum &* *Imagines*
ſtatuarum mira, & iuxta ſeculi iſtius morem, rudis ſatis ſtructura, ac antiquitatis *inſculptæ in*
mate- *anulis.*

Vſus cornu, & emblematum in anulis. maieſtatem commendans. In quoſnam olim fabricatum ſit vſus, non minus anxie diſquiritur, quam quid Emblemata ſibi velint, quibus exornatur. Sunt qui tubæ aut litui vices in bello ſuſtinuiſſe reantur, ad accendendum militum animos, & inclinantem aciem erigendam, claſſicumque canendum: ſunt qui in venationibus ad ſocios & canes conuocandos, Reges eo vſos exiſtiment: Sunt qui in ſacrificijs Scaldros, Runas, & Sacerdotes noſtros eius ſonitu & boatu populum conuocaſſe & inuitaſſe putent: ſunt qui in Regum inunctionibus, pretioſo cuidam balſamo aut oleo capiendo deputatum velint, vt per orificium grandius infuſus liquor vnctuoſus, per anguſtius in caput diſtillaret: alij vices poculi ſubijſſe dicunt. Et poſt multa de cornibus in genere prolata, ſubnectit.

Cornu fuiſſe lituum. *Non poſſumus quin ſtatuamus Buccinæ vices in bellis ſubijſſe aureum noſtrum cornu: atteſtatur fabrica, teſtatur materia, teſtatur locus vbi inuentum. Dum primum in auras extractum, amplo ſatis dotatum erat foramine in apice, per quod flari commode poſſet; oblongum præterea eſt, & ſtrictum, tubarum in modum: quod ſi poculi partes ſuppleuiſſet, pro ratione proportionis amplius [illegible] fuiſſet neceſſum eſt. Interior præterea illius lamina, duriori conſtat auro, quam exterior, vt contuſionibus reſiſteret melius, & reboaret fortius: flatus namque per mollius protruſus metallum, nec adeo diſtinctum, nec tanto cum impetu ſonum explodit. In via arcta & anguſta inuentum, per quam eius poſſeſſor in fugam forſan coniectus, dum ab hoſtibus arctius premeretur, ruptis vinculis quibus corpori alligabatur, illud amiſit; atque ſic ab inſequentibus conculcatum, terra ac luto altius quoque infixum, ibidem relictum eſt, cœno ita in dies magis magiſque obrutum, donec caſu iam in lucem productum. Niſi forte res ita ſe habeat, vt in calce huius diſcurſus dicam. Regeret forſan quiſpiam anſulis deſtitutum, per quas traiecti funes vel cerasbola illud corpori alligarent; manibus namque in bello ſemper geſtare non potuit, qui arma tractare, hoſtique reſiſtere tenebatur: at harum vices ſupplebant internodia & prominentes circuli, inter quos commode ligari lora potuerunt aut funes alij, quibus indigere videbatur. Et hæc forſan cauſa fuit cur exciderit & perierit; ſtrictius namque eius corpus coercuiſſent anſæ. Concludamus igitur, quod*

,, Hæc tuba terribili ſonitu Taratantara dixit.

Poculum non fuiſſe. *Poculum non fuiſſe olim, vniuerſa eius euincere videtur ſtructura; ventre enim procul dubio fuiſſet ampliori, nec in eam longitudinem productum. Interior præterea lamina ex eodem conſtitiſſet auri metallo cum exteriori, immo nobiliori; vt potus ex eo vim cordialem acquireret maiorem, ac inſpicientibus color eſſet gratior. Sed omnium euidentiſſime hoc euincit, foramen in apice exiſtens, per quod commode flare etiamnum quis poteſt, nullo epiſtomio olim obturatum: poculum enim ſi fuiſſet, liquor ei infuſus continuo eodem impetu per illud effluxiſſet. Nec eſt quod exiſtimes, extremitatem violenter a puella abruptam, quum maximo illud e terra extraheret niſu, ſiquidem aliquot eius anuli ſe a lamina interiori ſepararunt eodem impetu. Res ſi ita ſe haberet, ruptionis & fractionis inæqualitate extremitatum, relicta aliqua fuiſſent veſtigia; molle, & ductile auri metallum non commode frangi, ſed potius flecti & incuruari ſe patitur; fracturam animaduertiſſet procul dubio inuentrix, antequam violentius proceſſiſſet, & fruſta collegiſſet. Iam vero in poculum cupa ſit conuerſum, nihil detrahit priſtino eius vſui.*

Non eſſe venatorium cornu. *Venatoribus vtile eſſe non potuit; boatum enim edit canibus inſuetum, diuerſum longe ab eo, quem taurina proferunt, quum ijs canes conuocantur. Vt nihil dicam de pondere & longitudine, quibus ijs impedimento potius quam*

vſui

vſui futurum fuiſſet. Nec tantum theſaurum per dumetorum aſpera, montium iuga, ſiluarum inuia, ſine periculo venatorem,

Siluarum canibus dum inuia luſtra pererrat,

deferre potuiſſe, quiuis ſanus facile intelligit. Nullo præterea nititur fundamento, quod quidam aiunt, in ſacrificijs vſum obtinere potuiſſe ad populum conuocandum: vbi enim hoc aut ſcriptum, aut pictum? conſule Saxonem, conſule vetuſtiſſimos de rebus Danicis ſcriptores, ne gry quidem inuenies, quod huic opinioni fauere queat. Quæ veterum Danorum fuerit olim ſacrificandi ratio lib. 1. Monumentorum Danicorum ex probatis autoribus delineauimus; hactenus nullibi inuenire potuimus, ad conuocandum populum Runas noſtros vſos fuiſſe cornibus aut tubis. & mox; *Quin moles & capacitas aurei noſtri Cornu ab huiuſmodi vſu prorſus abhorrere videtur, vt ſi nil aliud eſſet, hæc abunde euincerent, eo traduci non poſſe. Regum inunctionibus illud qui deputarunt, procul dubio permoti ſunt loco a nobis ſupra citato ex 1 Samuelis cap. 16. v. 1. vbi Samuel cornu ſuum oleo implere iubetur, vt Dauidem in Regem more populo Iudaico conſueto inungeret. At nondum a quoquam demonſtratum, eundem extitiſſe ritum Reges Danicos inaugurandi, per vnctiones, quo inaugurabantur Iſraelitici. Aliud nos docet Saxo noſter, vir antiquitatum noſtrarum, ſi quis alius, callentiſſimus: Lecturi Regem veteres, inquit lib. 1. affixis humo ſaxis inſiſtere, ſuffragiaque promere conſueuerunt, ſubiectorum lapidum firmitate, facti conſtantiam ominaturi. Idem totidem ferme verbis repetit Crantzius. Certe non tanta pompa, tanta ſolemnitate, tot adhibitis ſymbolis olim creabantur Reges, vt nunc fieri conſueuit: priſca ſimplicitas paucis contenta, potius egregijs facinoribus, quam externa pompa, ſe Regio throno dignam reddidit. Ratum igitur nobis eſto, aureum hoc Sereniſſimi Principis poculum olim buccinam aut tubam fuiſſe, non vero poculum.* & mox, *Cælaturam vero noſtri Cornu rudiorem eſſe quid miri? quum Plinij ſeculo nullus inuentus ſit artifex, qui auri cælatura claruerit? ſic enim ille l. 33. c. 11. Mirum in auro cælando inclaruiſſe neminem, argento multos, maxime tamen laudatus eſt Mentor. Inter ſigillata etiam locum inueniat. Sigillata enim vaſa dicebantur, quæ ſimulacra Deorum vel Heroum, vel alterius rei continebant, Græci [AGALMATA,] & [AGALMATIA,] item [EIDH THEON] appellant, quo facit ſu. Cic. in Verr. act. 6. Quum ſederem domi triſtis, occurrit Venerius: iubet me ſcyphos ſigillatos ad Prætorem ſtatim adferre.* & mox, *Cruſtatum dico quod dixeris, eo quod interior eius lamina, pluribus cruſtis anulorum forma exterius tegatur. De talibus Cic. in Verr. Cybiratæ fratres vocantur, pauca improbant; quæ probarunt, ijs cruſtæ aut emblemata detrahebantur. Sic Haluntini, excuſſis delicijs, cum argento puro domum redierunt. Hinc Cruſtarij dicti, quorum artificio vaſa cruſtis illigabantur. Vide Turneb. aduerſar. l. 8. c. 10. vbi inter reliqua hæc habet: Cruſtas & Emblemata nominat Cicero vaſorum ornamenta, inter quæ videtur interfuiſſe, quod Cruſtæ tectoria quædam erant, & tanquam bractea quædam illita, & lamina inducta, inauratæque: Emblemata pretioſiora erant & operis exquiſitioris, exemptiliaque erant, quum illigata eſſent vel affixa: cruſtæ autem etſi reuelli poterant, tamen firmius inhærebant. Hinc facile quiſpiam etiam collegerit, ad emblematica referri quoque poſſe. Sed quid noſtrum cornu cruſtatum, ſuis nobis notet cruſtarum ſigillis, altioris eſt indaginis, nec certo quis facile demonſtrauerit. Nobis in tantis tenebris cæcutientibus, diuinare ſi quid licet, ſaluo meliorum iudicio, paucis mentem aperiemus. Cornua olim di-*

Non conuocaſſe populos ad ſacra.

Non ad Regum inunctiones.

Emblematum enodatio difficilis.

gni-

gnitatis, potentiæ, fortitudinis, imperij & autoritatis apud omnes gentes extiterunt inſignia, etiam in Sacris ipſis, vnde iſta, Samuel. 2. v. 1. Exultauit cor meum in Do-
,, *mino, exaltatum eſt cornu meum in Domino. v. 10. Dominus iudicabit fines terræ, &*
,, *dabit fortitudinem Regi ſuo. & ſublimabit cornu Chriſti ſui*: & *apud Profanos quoque: eodem enim collimat Horatius in Epod. inquiens,*

,, ——————— *namque in malos acerrimus*
,, *Parata tollo cornua.*

& *Plautus in Pſeudol. act. 4. ſce. 3 v. 5.*

,, *Ne in re ſecunda nunc mihi obuertat cornua.*

Eleganter Paſchalius coron. l. 10. c. 4. Quum Regum & ſublimium hominum ſit po-
,, *tentia, in hoc hominum genere per effigiem Cornu ſignificatur ſumma illa, cuius in*
,, *omnia imperium eſt, potentia & autoritas. (& paulo poſt) Nulla cauſa eſt, qua-*
,, *propter quiſquam miretur, ſi Cornu cenſetur inter præcipua ſymbola Regiæ ſublimi-*
,, *tatis: ſi ipſum inter diademata & coronas locum inuenit. &c. Verum cur quædam ex ijſdem cornibus, in quo cenſu aureum noſtrum eſt, peculiaribus inſignIuerint emblematis & hieroglyphicis, diſpiciendum. Sunt qui arbitrentur fortuita ferme hæc eſſe, ab arbitrio artificis dependentia, nihil ſignificantia; ſed ornatus tantum gratia addita, nequaquam eo fine, vt reconditum quid ſapiant, & de myſticis ſpectatores admoneant. Non diffiteor quandoque talia inueniri in poculis & alijs monumentis ornamenta: ſed de noſtro hoc aureo Cornu ſi loquantur, vehementer falluntur; ita enim ſunt comparata in eo ſigilla, vt non poſſint non quidpiam indicare: cur eadem figura bis quandoque repetita? cur aliter atque aliter diſpoſita? Maioribus noſtris in more poſitum animaduerto, quum aliquid ornatus ſaltim gratia, ſiue cornibus, ſiue lapideis monimentis mandare voluerunt, plexibus pampaneis, gyris, labyrinthis & intricatiſſimis linearum circumuolutionibus id præſtare; quum vero memorabile quid ac myſticum, præter literas, animalium & hominum figuras, varie diſpoſitas, appingere: quod euincunt, tot in ſaxis & cautibus inciſa emblemata, memoriæ defunctorum deputata; tot in aulæis & cornubus acu picta & ſculpta hieroglyphica; conſule, ſi lubet, ſaxa Huneſtadenſia, Iellingenſia, aliaque, de quibus in noſtris monumentis Danicis pluribus diſſeruimus.* (& mox) *Ita noſtrates quoque Runæ duobus modis populum de rebus neceſſarijs erudierunt: plane & aperte, per literas Runicas, de quibus fuſe in noſtra Literatura diſſeruimus: tecte & hieroglyphice, per animalium figuras, aliarumque rerum paradigmata, quorum veſtigia adhuc, tam in relictis monumentorum ſaxeorum ruderibus, quam in lignis, oſſibus, cornubus, & tapetibus acu pictis extant. Non igitur abſone Cauſinus in Horum, Apud Aegyptios*
,, *frequentius celebratam eſſe hieroglyphicorum rationem aſſerit, ſed late deinde in alias*
,, *gentes manaſſe. Quinimmo hanc ſcribendi normam, Septemtrionalibus populis non fuiſſe ignotam, ibidem oſtendere allaborat. Schytis quoque, & Aethiopibus: ne quis exiſtimet nos paradoxa proponere, dum noſtratibus noſtra tribuimus hieroglyphica, imagines nempe & figuras ad aliquid ſignificandum ex hominum arbitrio determinatas. De Schyticis hieroglyphicis memorabile illud eſt* &c. *Quid igitur vetat, quin ſtatuamus imagines, emblemata & ſtatuas in aureo hoc cratere contentas, Danica noſtra eſſe hieroglyphica, ad mores informandos, politiam ſtabiliendam, virtutumque ſtudium excitandum ſpectantes? quod vt commodius oſtendamus, ſigillatim ſingulos anulos, ſeu circulos luſtrabimus, hieroglyphica examinabimus, & quid probabiliter*

Emblemata Cornu non eſſe ad ornatum tantū.

ex ijs colligere nos poſſe ſperamus, breuibus indicabimus: nihil ſine ratione, & proba-
torum autorum euidentibus teſtimonijs producturi. Circulus primus labro vicinus, Circuli pri-
maior eſt & amplior reliquis; duplici quocirca donatur emblematum & hieroglyphico- mi.
rum ſorte, quas vtraſque eo directas arbitror, vt humanam miſeriam ob oculos ponant, 1. Explicat.
mediaque oſtendant, quibus ex ea eluctari, & tutum ſe reddere quiuis valeat ab in-
ſultibus illorum, qui animum varijs modis oppugnant, & ad illicita ac minus honeſta
pellicere conantur. I. Emblema. Occurrit homo nudus in anguſtijs conſtitutus, 1. Emblema
manibus ac pedibus expanſis, ſuam quaſi miſeriam deplorans, quum vtrinque a ſer-
pentibus in ipſum impetum facientibus, virusque ſuum eiaculantibus petatur. Quo
quid aptius humanam exprimere poſſit miſeriam, non video. A dextris antiquus ſer-
pens Diabolus aſſidue hominem vellicat, prauas cogitationes inſpirando &c. A ſini-
ſtris ſerpens hoſtium corporeorum ſpicula ac virus minatur; quibus vtrimque ita
vellicantibus, non poteſt non externo habitu, membrorumque lineamentis, lamentum
præſeferre, opemque implorare. Serpente veteres perniciem, malum, terriculamenta,
aliaque eius generis incommoda indicaſſe teſtis & Pierius l. 16. &c. Hinc legimus
Tiberium Gracchum non ſine cauſa timuiſſe, quum in galea, qua in bellis vti conſue-
uerat, angues offendit oua peperiſſe, fœtusque iam formatos, paulo ante quam multi-
tudine Quiritum oppreſſus interficeretur. Serpentes igitur nudum hominem vndi-
que petentes, miſeriam, in qua in hac mortali vita conſtitutus eſt, indicare reor.
II. Beſtia humano capite vtrinque aſſidet homo manibus ad cælum porrectis: Per 2. Embl.
beſtiam humano præditam capite, procul dubio, hominem vitiorum cœno immerſum,
& ad beſtialitatem redactum inſinuat, cui opem ferro aſſidentes conantur, a ſuperis
petendum auxilium geſtibus docentes &c. III. Prauis reſiſtendum inſpirationibus 3. Embl.
innuit ille, qui telo vel haſta, irruentem abigit viperam. IV. Luxuriæ, ingluuiei, & 4. Embl.
gulæ non indulgendum, monet vultur auidius impetum in piſcem faciens, quem inſti-
gare quaſi videtur a tergo ſerpens, capite & rictu facinus approbans. Piſcis olim ga-
neæ & popinæ ſymbolum fuiſſe ex multis liquet. Heraclitus omnem carnem corpus „
eſſe aiebat, vel corporis partem; maritimorum vero vis tanquam anima compacta, „
gratiam & voluptatem illis comparaſſe. Hacque vnica fuit cauſa, quare ſacerdotes
Aegypti maritimis abſtinuerint, ſic caſteque vt viuerent. &c. Vulturem vero cun- „
ctis auibus voraciorem notat Epiphanius in ſuis expoſitionibus: quadraginta diebus „
cibo abſtinet, inquit, quem quum inuenit, totidem ſe ex illo libris ingurgitat, vt qua- „
dragenariam abſtinentiam, quadragenaria ingluuie compenſet. Frugalitati igitur
& ſobrietati ſtudendum eſſe monet emblema; nec ſuauibus ſerpentis venenati ſibilis,
ſe permoueri ſinet quiſquam, aurea frugalitatis vt tranſiliat limites, & delicijs ac
voluptatibus ſe emancipet &c. V. Homo admirabundus quaſi in medio relictus, 5. Embl.
eandem ferme repetitam delet fabulam, coercereque videtur auem (Miluium puto)
piſcem rapaci roſtro petentem. Hoc vero quamuis eodem dirigi poſſe videatur; quia
tamen & auis figura diuerſa, & piſcis alius; ſi fugiendam rapacitatem, hoc nos mo-
neri dixero, nihil a ratione alienum produxiſſe ſpero: veteres namque Philoſophi, Pla-
to, eiuſque Interpretes, per eiuſmodi aues, piſces tanquam tardioris & imbecillioris
naturæ deuorantes, eos qui auaritiæ ſtuduiſſent, promptique ac parati eſſent ad im-
becilliorum expillationes, rapinas & violentas tyrannides, non ſolum denotarunt; ſed
& talium hominum animas in eiuſmodi aues migrare ſtatuerunt: de quo Socratem in
Phædone diſputantem conſule &c. Tyrannidem igitur, rapinas, ſubditorum emun-

Y ctiones,

Anuli primi ſeries altera. *ctiones, aliaque eius generis vitia fugienda monet emblema. I. Primi huius anuli ſeriem ſecundam, cum prima conuenire ſtatuarum & imaginum diſpoſitio oſtendit. Homo anguem vnum a ſe abigens, imminentem a tergo alterum non ſentit antequam lædatur: Circumſpectos, & in rebus gerendis cautos nos eſſe oportere, monet emblema: ita enim nobiſcum comparatum eſt in hac mortalitate, vt non vno premamur incommodo, ſed vndique hoſtibus quum cingamur, Argos eſſe decet; conſtanterque vigilandum tibi eſt, ne quum vni reſtiteris, plures ex improuiſo te incautum a tergo obruant. Ferunt Herculem mox in cunabulis angues trucidaſſe, innuere volentes, eum qui ad magna & præclara natus eſt, mox a teneris voluptates extinguere debere, vt per reliquum vitæ curſum reliquis vitiorum anguibus cautius reſiſtere diſcat* &c.
2. Embl. *II. Sequitur hominis in anguſtias conſtituti eadem ferme icon cum ea, quam in primo expendimus emblemate: quæ procul dubio nil aliud nobis indicabit, quam id quod ſupra diximus. Imaginum vero harum repetitio notat eiuſmodi monita nunquam ſatis inculcari poſſe, propter eorum tum neceſſitatem, tum vtilitatem* [DIS KAI TRIS TA KALA.] *Siniſtra caſu, an ſtudio amputata num ſit, vix dixero: quod ſi hoc, vult homini omnem præciſam eſſe elabendi oportunitatem, niſi mature ſe expediuerit, & manus victas vitijs haud dederit.*
3. Embl. *III. Repetitur deinde ſecundum primæ ſeriei lemma, ſed immutatum aliquantulum, alioque traductum. Cynocephalus enim ille inter duos medius, obtorto collo trahitur ab aſſidentium altero: ab altero baculus oſtenditur in ſpiras contortus, quo minitari repugnanti videtur. Hoc autem indicari puto, eos quos nec recta ratio, nec bona leges, nec proborum exempla & cohortationes in orbita honeſtatis continere poſſunt; iuſtitia habenis, & pœnarum baculo coercendos eſſe* &c.
4. Embl. *IV. Beſtia humano capite, piſcium pedibus tractans, hominem notat ſuis indulgentem cupiditatibus; qui licet facie ſit humana, beſtijs tamen annumerandus venit, quum ratione ſana neglecta, libidinibus delitijsque frena laxat: per piſces namque luxuriam, ganeam & libidinem notari, ſupra dictum &c.*
5. Embl. *V. Otij incommoda, & pericula vltimum monſtrat: deſes enim & otioſus aſſidue vitiorum telis petitur, venenatisque ſerpentis morſibus ſe obijcit; otium namque puluinar Diaboli vulgo iactatur:*

" *Otium Reges prius, & beatas*
" *Perdidit vrbes.*

inquit Horatius.

" [OS POLLA THNHTOIS H SCHOLH POIEI KAKA.]
" *Cernis vt ignauum corrumpunt otia corpus:*
" *Vt capiant vitium, ni moueantur, aquæ!*

Hoc eſt quod vult imago ſerpentis, brachium manumque deſidis vellicantis, &c.
Circulus ſecundus. *Circulus ſecundus: vt præcipua animi circa virtutes exercitia, prima ſymbolorum claſſe exhibuit cornu noſtrum: ita ſecundo hoc anulo ea proponit, in quibus corpus honeſte & commode occupari poteſt, quæque ignauo otio pellendo in primis conducunt.*
1. Embl. *I. Lemma primum equitationem ob oculos poni, quæ tanti ſemper a maioribus noſtris facta, vt ferme omnibus reliquis corporis exercitijs ſit prælata. De Alanis, &c. Ad equitatum igitur non immerito hortatur cornu noſtrum, Principes præſertim & magnates, quibus equos alendi facultas eſt.* &c.
2. Embl. *II. Armorum tractatio homine vtraque manu gladios ventilante innuitur. Alludit procul dubio ad priſcum noſtratum armis ludendi modum, quo ita gladios vtraque manu tractabant, vt alter ſemper in*

aere

uere quaſi pendulus librarctur, alter dextra alternatim extiperetur. &c. Maiores noſtros eo religione armis tractaſſe legimus, vt nihil facerent non armati: epulabantur armati, concilia armati inibant, pactiones armorum contactu firmabant: armati etiam iurabant; vel armata dextra, vel ſuper armis interdum honoratioris alicuius, vel proprijs. Vnde & armorum ademptio, apud omnes gentes grauiſſima habita eſt pœna. III. Venationis exercitium ob oculos ponit ille, qui arcu & ſagittis instructus feram proſternere nititur: Quum nihil æque corpus ad labores, & animos ad reſiſtendum hoſti corroboret, ac venatio, atteſtante Xenophonte de venatione, non mirum inter ea, in quibus Principem exerceri honeſte conuenit, hic etiam poni venationem, &c. 3. Embl.
In noſtro Emblemate notandum, arcu & ſagitta inſtructum depingi venatorem feras petentem; non vero bombarda aut alijs nouiter inuentis inſtrumentis: quod de antiquitate huius cornu teſtimonium præbet indubitatum, &c. IV. Vir grandæuus, barbatus, ſacerdotali habitu, cornu manibus tenens, ad mediocritatem in omnibus ſeruandam, & hilariori quandoque potu curas animi leuandas hortari videtur, dum cornu muſto repletum equiti porrigere tentat: vt enim exercitatio vehementior corpus frangit, calorem natiuum diſſipat, vires exhaurit (& mox) Cibo quin etiam & potu exhauſta reſarcienda: quod prudens hicce ſenex, medicum & ſacerdotem agens, ſuadere ſuo cornu videtur. Athenæus l. 5. refert Amphiaraum cornu manu geſtaſſe, [OS TA ENYPNIA DIA THS ALHTHS ANAGON,] vt vera ſomniaret: ſomnia enim vera per cornu, falſa per ebur proficiſci docuerunt veteres. Audi meum ſomnium, inquit quidam apud Platonem, ſiue per cornu venit, ſiue per ebur. Quod hiſce expreſſit Virgilius 6. Æneid. 4. Embl.

„ Sunt geminæ ſomni portæ, quarum altera fertur
„ Cornea, qua veris facilis datur exitus vmbris;
„ Altera candenti perfecta nitens elephanto.

Hinc vera ſomnia Ariſtides vocat, commemorationes venientes per cornua, ſplendidiores omni elephanto. Hoc ſenſu innuere forſan vult Emblema, aliquid animo tribuendum, lectioni, ſtudijs, hiſtorijs, alijſque regimini Principum commodaturis, vt ex ijs tanquam ſomnijs per cornu delatis, quid facto opus, erudiamur. Obſeruatu haud indignum, quod quum omnes reliquæ huius cornu ſtatuæ, quæ homines repræſentant, nudæ ſint, ſiue veſtibus: nuditatem proculdubio & infirmitatem noſtram in honeſti & virtutis ſtudio vt repræſentent, hæc ſola veſte talari & capitio cum ſyrmate oblongo in humeros propendente donetur: vt quales eſſe debeant aliorum Doctores & Magiſtri, oſtendat; virtutum nempe, ſcientiæ & pietatis tecta indumentis. Barbata quoque eſt, vt ſapientiam & prudentiam in eo requiri doceat: Cornu vero, quod manibus tenet, quum in apicem acutum terminetur, atque ita manibus apprehendatur, vt liquorem continere & exhibere poſſit, potius cum poculo, quo corporis exercitijs defeſſos recreare velle videtur ſenex, quam cum tuba aut buccina affinitatem habet. Obiter etiam hic nota, quo habitu tum vſi ſint Runæ, Scaldri, & Sacerdotes noſtrates, quum hoc cornu fabricaretur. III. Omnia huius tertij circuli Emblemata eo directa eſſe videntur, vt bellorum atrocitatem, feritatem, calamitatem & incommoda ob oculos pondat; quo eius fœditate deterriti Principes, non temere, ſed grauibus ſaltem de cauſis & coacti ſe eius rebus implicent &c. I. Homo hominem tractans & crebris vulneribus conficiens, immanitatem aduerſariorum & hoſtium oſtendit; & neſcio an alludat ad priſcum morem noſtratum, quo deuictis hoſtibus vt ægrius Circulus 3. 1. Embl.

facerent, eosque maiori ignominia afficerent, proſtratis gladium circa ſcapulas ad ſpinam dorſi adigebant, coſtasque ampliſſimo facto vulnere vtrimque a ſpina ſeparabant; quæ ad latera deducta alas repræſentabant aquilinas: hoc genus mortis vocabant, Aquilam in dorſo alicuius figurare: ſic Saxo l. 9. hiſt. Danic. de Hella a Siuardo & Barnone occiſo,
„ *Comprehenſi, inquit, ipſius dorſo plaga Aquilam figurante affici iu-*
„ *bent, ſæuiſſimum hoſtem atrociſſimi alitis ſigno profligare gaudentes. Olim etiam vt*
„ *in Ormſagu, Orm[illegible]rus euaginato gladio in dorſo Bruſi Aquilinam inflixit plagam,*
„ *ſeparatis a dorſo coſtis, & pulmonibus exemptis . . . . etiam vocatam inuenio,*
„ *in Iarlaſagu: Tunc comes Einarus in dorſo Alfdani Aquilinam excitauit plagam, ita*
„ *vt gladium dorſo adigeret, omnesque coſtas a ſpina ſepararet vſque ad lumbos, inde-*
„ *que pulmones extraxit.* &c. Verum hæc explicatio (quam tamen etiam vir Cl. cum hæſitatione proponit) non mihi videtur imagini cohærere; nam imaguncula non in dorſo, ſed in abdomine vulnera repræſentat, nec vlla coſtarum diuaricatio a ſpina, vt dicitur in alarum typum, a ſummo ad imum ducitur: ſed ſolum quatuor vulnera recta videntur a dextris ad ſiniſtra, vel e contra in imo ventre inter diaphragma & pubem inflicta. Neque vero virum Cl. in ſecunda editione ſcribentem audio, *Nec apodictica ex harum imaginum conſtitutione & circumſtantijs deprompi poſſe argumenta, exiſtimo: quum iſto æuo in tanta artificum ruditate, res vt potuerunt, non vt debuerunt, expreſſerint: ſupinum pro prono, plures pro vna atque altera fingere plagas, ipſis fuit æqua poteſtas:* etenim ob oculos ponuntur in iconibus vtriſque tam æneo, quam ligneo, propoſitis a viro Cl. figuræ mactati ſupinæ ſatis euidenter expreſſis, tum in facie, fronte, ſupercilijs, oculis, naſo, genis, ore, mento; tum in pectore mammis; tum in artubus flexura brachiorum interior ad cubitum, & manuum palmæ; crurumque genua: vt apertiſſime pateat figura ſupina, nec artificis imperitia confuderit eam cum prona, ſed ab illa diſtinxerit euidentiſſime.
a l. 7. Quare potius ego dixero cum (a) Strabone, repræſentari hoc emblemate mulierem Danicam veneficam, quæ ex extis captiui necati vaticinaretur ſuis Cimbris, victoriam acclamitans, vt infra ſuo loco patebit, allatis verbis e
2. Embl. textu Strabonis. Sed redeamus ad explicationem Cl. viri. *II. Centauri effigium, hominem moribus ruſticis & furibundum denotare docet Ariſtophanes in Auibus. Quum centaurus pube tenus humana facie, reliquo corpore equina fingatur, eo denotare voluere veteres, milites & bellorum ardore flagrantes, quamuis humana appareant facie, animum tamen calcitrantis & indomiti equi poſſidere, qui nullis frenis & repagulis coerceri poſſit, vbi ſemel bello furtis, rapinis, & latrocinijs aditus*
3. Embl. *eſt patefactus.* &c. *III. Idem volunt duo inuicem ſe prouocantes lupina aut canina facie, quorum alter gladio falcato armatus, aduerſarium ſecuri munitum adoritur: enormitatem, fœditatem, & tyrannidem bellorum, & rixarum oſtendit, quæ homines rationales in beſtias conuertit, canibus & lupis atrociores: vt pote qui in propriam ſæuiant ſpeciem, nihilque infandum patratu, ſibi non licitum eſſe putent. Hinc quam*

„ *Nulla fides pietasque viris qui caſtra ſequuntur!*

Circulus 4. *Pacis commoda bellicis tumultibus opponit Circulus quartus. Paſtorem enim armenta paſcentem, baculo ad pabula adigentem, & ſecuri lupos, aliasque immanes beſtias arcentem introducit, vt aureæ pacis iucunditatem & ſuauitatem felicius*

ex-

exprimat. Videtur mihi plane illud Comici delineare voluiſſe,

„[EIRYNH GEORGON K' AN PETRAIS TREPHEI KALOS:
„ POLEMOS DE KAN PEDIO KAKOS EPHEI.]
„ *Alit colonum vel in ſaxis Pax bene:*
„ *At bellum in ipſo noxium campo quoque.*

Quia olim maximam diuitiarum & felicitatis mundanæ partem, in armentorum & pecorum poſſeſſione ſitam fuiſſe, vel ex ſacris docemur Gen. 13. &c. Circulus quintus Circulus 5.
totus dicatus videtur Prudentiæ Commendandæ. Homines duo ſpeculum varijs virtutum gemmis illuſtre, homini in belluinam formam a vitijs redacto, oſtendunt; ſuam vt agnoſcens fœditatem, ab illecebris malorum ſe auertat, atque prudentiæ ope ad ſaniorem redeat mentem. Serpentum maiorum & minorum adſunt icones, voluptatum & libidinum piſces conculcantis ac coercentes; vt hoc prudentiæ munimine ſeptus, ſecurius curſum vitæ abſoluere quis valeat. Speculum explorationis olim fuiſſe hieroglyphicum, docet Pierius l. 61. propterea quod næuos, maculas & rugas latentes detegat & oſtendat. Pictores eo ſtatuam prudentiæ, eiſdem de cauſis ornare ſolent. Serpentibus vero ipſe Seruator prudentiam tribuit, dum Matth. 10. iubet vt ſimus ſimplices vt columbæ, ſed prudentes vt ſerpentes. &c. Circulus ſixtus. I. Iu- Circulus 6.
ſtitiam mihi adumbrare videtur. Caput grande oculis deſtitutum, inter beſtias duas locatum, Iuſtitiæ, vel Iudicis iuſti emblema eſt. Pingitur a multis Iuſtitia velata facie, vt non tam perſonas litigantes aſpiciat, quam cauſas auribus percipiat; vt ſuum cuique [ANEY PATHOS] tribuat. &c. A capite æqualiter dependent cirrhi; a collo diuaricationes in nullam inclinant partem; quod iubet Comicus inquiens,

„[BADIZE THN EYTHEIAN HN DIKAIOS HS.]
„ *Recta incede qui iuſtus es.*

Inter duas vero beſtias locatur, quarum accuſationes & cauſas audire; tyrannicas vero formas reſpicere non conuenit. Aegyptij contrario modo Iuſtitiam adumbrarunt per oculum,

„[OMMA DIKHS KATHORA TA GYGNOMENA.]
„ *Iuſtitiæ oculus quæ fiunt videt.*

inquit Poeta. Hinc illud [DIKYS OPHTHALMOS,] quo ſenſu & Plato, Iuſtitiam ſpeculatiuam & vindicem vocat: ſed alio reſpexerunt. Vt ſingula rerum momenta commodius expendat, perſpicacem eſſe oportet iudicem, & e ſuo Solis throno per cuncta propagare ſuos radios, omniaque, veluti Sol ipſe, dirigere conuenit, vt vult Proclus. Verum cognita rei ne in perſonæ ſplendore obfuſcetur, ſpe, metu, aut donis corrumpatur; cæcum hic oportet eſſe Iuſtitiæ adminiſtratorem. II. Fructum & 2. Embl.
præmium iuſtitiæ rite adminiſtratæ promittere mihi videtur flos ei comes, qui lilium repræſentat. Spei ſymbolum lilium eſſe docent inſcriptiones variorum numiſmatum. Alexandri, Pij, Auguſti, Emiliani, Claudij, in quibus cernere licet Deam lilium dextra tenentem, cum hac inſcriptione, Spes publica, Spes Auguſta &c. Totum negotium commodiſſime expreſſit Menander apud Stobæum. ſerm. 7.

„[OTAN TI PRATTEIS OSION, AGATHHN EN PIDA
„ PROBALL' EAYTO TOYTO GINOSKON, OTI
„ TOLMH DIKAIA KAI THEOS SYLLAMBANEI.]
„ *Quum quid ſanctum agis, bonam ſpem*
„ *Tibi propone, certus, quod*

Co-

,, *Conatum iuſtum etiam Deus adiuuat.*
,, ——— *ſi qua fata aſpera rumpas?*
,, *Tu Marcellus eris; manibus date lilia plenis.*

Celebratur a Saxone noſtro, ob Iuſtitiæ cultum, Ericus Rex, qui Nicolao ſucceſſit
,, *lib. 14. Interea, inquit, Ericus quæſitam armis pacem Iuſtitiæ ornamentis extollere*
,, *cupiens, conditas a Maioribus leges, ac tunc pene ingenti bellorum tempeſtate ſubuer-*
,, *ſas, ad priſtini rigoris habitum reuocauit; vtque fortitudine fuerat, ita iuſtitia inſi-*
,, *gnis apparuit, irrogatas minoribus iniurias ſuperiorum ſupplicijs penſabat; nihilque*
,, *familiaritati aut neceſſitudini parcens, aut ferro, aut laqueo inconſultam maiorum*
,, *auaritiam caſtigabat.* Quam ſane Iuſtitiæ patratæ notam in duplici crucis fi-
gura, & in ternis punctis quater in hoc anulo formatis, & in aſtro magno
ſtellam primæ magnitudinis efformante, cur omiſerit Cl. vir, mirari ſubit.

Circulus 7. A quo ſtatim adijcitur, *Circulus ſeptimus. Vltimus hieroglyphicis dotatus circu-
lus, vltimum etiam vitæ noſtræ exhibet finem, Mortem; quæ in omnibus noſtris actio-
nibus ante oculos ponenda, vt quæ recta ſint faciamus, quæ iniuſta fugiamus, Deum-
que ſincere timeamus: Mors, & exilium, & omnia quæ in malis habentur, ob oculos
tibi quotidie verſentur:* [MALISTA DE PANTON O THANATOS.]
*ſic nihil vnquam humile cogitabis, nec impenſe cupies quicquam, inquit Epictetus
Ench. c. 28. nam vt idem ait c. 10. Mors non eſt malum; ſed opinio de morte eſt, quæ
malum eam facit. Hinc recte eloquentiæ parens Cic. Tuſc. Quæ. Non deterret ſapien-
tem mors, quæ propter incertos caſus, quotidie imminet & propter breuitatem vitæ,
nunquam longe poteſt abeſſe. Oſſa bina inter duas lacertarum aut anguium combi-
nationes, vermium nos eſcam poſt obitum futuros admonet: nil iam triſtius eodem hoc
ſymbolo cranio enim humano & oſſibus ſerpentibus implicatis, ſtatum noſtrum poſt
fata præfigurare ſolemus.* (& mox) *Quidam duo hæc crurum oſſa intermedio quaſi
vinculo iuncta, H literam Latinorum exprimere putant: ſed falluntur; non enim ob-
ſeruarunt manifeſtiſſimos articulationum nodos; non obſeruarunt intermedium,
(quod vinculum eſſe volunt duarum linearum) continuum non eſſe; ſed interru-
ptum, & certis punctis dotatum; nec eo ano, quo hoc cornu elaboratum, vlla apud nos
extitit literarum Romanarum notio; cur præter hanc, nullam præterea adhibuiſſent?
ſed manet quod: Mors vltima linea rerum. Recte Democrates:* [O KOSMOS
,, SKHNH, O BIOS PARODOS HLTHES, IDES, APHL-
,, THOS.] *Mundus ſcena, vita tranſitus; veniſti, vidiſti, abiſti. Vide Simplicium
in c. 23. Epict. In quod ſubſiſtimus, ſi prius monuerimus, anguium, ſerpentum, dra-
conum, & Chymærarum varie intricatarum, & hinc inde per maiores circulos di-
ſpoſitarum imagines, punctulis notatas, nil aliud notare, quam cuivis æqui & honeſti
ſtudioſo, latentes vitiorum pungentium & irritantium pertimeſcendos eſſe ſtimulos;
quos a ſe vt abigat, virtutum contrariarum clypeo & armis diligenter animum mu-
niat neceſſum eſt: vbi vis enim locorum latet anguis in herba. In vltimo circulo ex-
tat quoque cordis imago, punctulis conſtans, & nouies repetita: quæ indicat hæcce hie-
roglyphicorum monita, ita comparata eſſe, vt non oculis ſolum eorum imagines obiter
vſurpare conueniat; ſed potius intimis cordis receſſibus, non nouies ſolum, ſed & mil-
lies, eorum ſtimuli condendi, vt in vſum quotidianum traduci, ac in tota vita factis
exprimi poſſint. Scita hæc in pectus demittenda ſunt, non memoria tantum commen-
danda, inquit Cl. Salmaſius in præf. ad Epict. Non verba hic exiguntur, ſed opera.*

[AI O.

[*APOLEIPETAI CHRHTHAI TOIS PARHGGELMENEIS, TOYTO AYTO MONON SEMNON ESTI:*] *monet Epictetus c. 73. Reliquum eſt vti præceptis: id quod ſolum præclarum eſt: nam* [*ANDRIANTA TO SCHHMA, ANDRA DE H PRAXIS KOSMEI,*] *inquit Demophilus, Statuam figura, virum actio ornat.* Ego vero nec abſolute iſtum anulum vltimum in cornu ſymbolicum cenſeo; quum videam minores iſtum ſequentes pluſculos lineis rectis & helicis ad normam effigiatis hieroglyphicum aliquod habere poſſe: nec abſque hieroglyphici declaratione relinquendos arbitror tum ſex illos orbes in duobus quadratis effictos ab vtroque oſſium dependentibus: tum etiam helicos illos veluti bacillos inter ternas rectas veluti columellas concluſos. Pergit autem vir Cl. poſtremum exponere quæ ſit, *Aetas huius Cornu*, dicens, *Supereſt vt de ætate aurei huius monumenti noſtram proferamus ſententiam. Malo hic* [*EPECHEIN,*] *quam inepte multa proferre: quum indicia hic videam rara, vel potius nulla, quibus coniecturas noſtras firmare liceat. Ne tamen nihil dixiſſe videamur: quum inter tot emblemata, nulla prorſus extent, quæ Chriſtianos ſapiant ritus aut Religionem* (ego tamen non omnino negligerem in anulo ſexto geminas illas Crucis imagines, & ſignum T. & literam Pythagoræ bicornem Y. licet illæ non ad religionem, ſed ad patibulum ſontium & ad eruditionem Iudicis ac Regis referri valeant) *opus quoque ipſum, omniaque ſculptilia, & imagunculæ ſummam præ ſe ferunt vt ruditatem, ita antiquitatem; adducor vt credam ante veri Dei cultum (cuius ſtricturas primulum ſub Rege Haraldo Blatand circa annum Chriſti 848. efficaciter ſenſimus) ad nos delatum, fabricatum fuiſſe. Quumque non priuati cuiuſuis fuerit eo ſæculo, ex tam nobili metallo tanti ponderis opus conflare; Regium plane duco; & inter theſauros ditiſſimi cuiuſdam Regis depoſitum. An vero alius quis hoc* [*KEIMHLEIO*] *dignior extiterit Frothone Magno, qui tempore nati Chriſti imperium in Danos, multasque alias regiones obtinuit, alijs diſpiciendum relinquo, Hoc certe ex Saxonis noſtri relatu l. 5. conſtat, eum ditiſſimum fuiſſe, & armillam vnam in rupe, quam Frothonis petram nominant; alteram apud Vuig prouinciam, habita cum Noruagienſibus concione, defixiſſe, edictæ a ſe innocentiæ experimentum daturus; ſubductis eiſdem, in omnis regionis præſides animaduertendum minatus. Itaque, ſubijcit Saxo, Summo cum præfectorum periculo, aurum abſque cuſtodia medijs affixum triuijs magnum auaritiæ irritamentum extabat, opportuna rapinæ præda, plena cupiditatis ingenia prouocante. An vero aureum hoc eius cornu, ex eorum extiterit numero, quæ in triuijs tractus Ripenſis locauerat, ac demum intactum, luto pluuijs liquefacto, obrutum fuerit, neſcio an aſſerere auſim. Tu Lector cenſe, & iudica: ego manum de hac tabula.* Hæc ille vir Cl. Quæ diligentius multis afferre volui, tum quod hiſtoria mira, noua, & noſtratibus ignota; tum quod Anulorum ad Emblemata, ſiue hieroglyphica notionem pulchram & admirabilem nobis exhibet. Quamuis autem Cl. Vvormius omne tuliſſe punctum videatur in huiuſce Cornu hiſtoria dilucidanda; tamen animi gratia liceat & mihi vires ingenij exercere in his emblematis iterum enucleandis. Cenſeo ſane Cornu fuiſſe Regis antiqui Daniæ, quæ Cimbrica Cherſoneſus a Magino dicitur: quod in ditione Ripenſi repertum; quæ præcipua regio Daniæ celebratur: quodque nouena corda retinet in Anuli

Aetas Cornu.

Cornu fuiſſe Danicū.

ſe-

ſeptimi hieroglyphicis; quum nouem corda ſint proprium inſigne Cimbrorum veterum; quia Cimbria tota in nouem ditiones, ſiue prouincias diſtributa continetur: armigeras, & bellicoſas apte per corda ſignificatas, vt puta cor facultatis iraſcibilis domicilium, ac fortitudinis propria ſedes, militiæ deditas prouincias mirifice refert: vnde vir Cl. Ioannes Rhodius Danus in laudem conciuis ſui carmen edidit,

„ Cimbria clara viris, & corde ſuperba noueno.

Refero facile Cornu tanti pretij ſolum ad Regem Daniæ, quod veriſimile non eſt alium vllum tantis opibus abundare potuiſſe, vt aureum Cornu pondere centum vnciarum ſibi fieri curauerit. Inter Reges autem duos eligendos arbitror cum viro Cl. Frothonem, & Haraldum: ſed vt Haraldum vtcumque ſignare videntur duæ Cruces effictæ in Anulo ſexto; nam illius æuo Dania Chriſto Domino nomina dedit: ita, quum Cruces illæ potius ethnicorum patibula denotare valeant, quam Chriſtianorum myſteria, Frothonem ſatis indicat inuentio Cornu in biuio, ſtructura ſine anſulis, & mos eiuſdem Regis ponendi pretioſas armillas in rupibus locisque non habitatis, ad experimentum ſumendum de cultu Iuſtitiæ a ſubditis pariter atque Præfectis: etſi Frothonem imitatus Haraldus armillarum vice, Cornu potuerit exponere. Nec obſtat, quod in Danicis opponit vir Cl. aſſerens, *creditu ſibi valde difficile, vſum cornu hoc alium obtinuiſſe nullum, quam vt eo Præſidum exploraret vigilantiam: quia hoc rudi maſſa aurea, aut minori labore in aliam redacta figuram, præſtari commode potuit.* Nam Regi nullus labor eſt Cornu artificioſe fieri mandare; nec alia figura careret eadem obiectione: rudisque maſſa facilius occultari poſſet a fure, quam Cornu miro conditum artificio. Mirum vere, difficileque mihi creditu ſit, hoc aureum Cornu Danicum adeo magnum, adeo graue, fabrefactum fuiſſe ad vſum litui, buccinæque, ſeu venatoriæ, ſeu bellicæ, cui nullæ forent anſulæ, quaſique manu geſtandum foret aſſidue, quod inter dimicandum, venandumve non exiguo fuiſſet impedimento. Nec ad commiſſuras anulorum eminentiæ tam extuberare, prominereque videntur, vt lora facile diſcurrere non permiſerit. Quare potius opinarim, vt armillas, ita Cornu fabrefactum ad tentandam Præſidum vigilantiam in regendis prouincijs, & populorum integritatem ad abſtinendum a furtis; atque ſponte proiectum, ſiue relictum in biuio Ripenſi; quod pridem tanquam obſoletum a viatoribus, Iuſtitiæ Regiæ ſeueritatem timentibus, intactum multo tempore viſum, ſed in biuio ſpectatum ſit, audente nemine periculoſius auro Tholoſano decerpere; quare neglectum ſenſim luto puluereque obrui cæpiſſe, tandemque penitus obduci, atque multo tempore delituiſſe. Simulacra vero in eo ficta cenſeo nihil aliud indicaſſe, quam optimi Regis Danici mores, & attributa tum belli, tum pacis tempore Regnum ſibi ſubiectum bene gubernantis, & Rempublicam prudenter & iuſte adminiſtrantis. Nam imagines illæ ſerpentum, paſſim tenuibus punctis fere per omnes anulos maiores efformatæ, mihi prudentiam indicare videntur, qua debet vti Rex bonus in qualibet ſui actione, ſeu bella gerat, ſeu iura dicat, ſeu propria negotia curet. Vt autem ad ſingulorum anulorum emblemata peculiaria propius accedamus: primus, qui omnium maximus & latiſſi-

Regis.

Ad quem vſum.

Emblemata

tiſſimus eſt, duoſque figurarum ordines habet, proponit ob oculos homi- *1. anuli ex-*
nem nudum manus ad cælos tendentem, & ſtantem medium inter ſerpen- *plicatio.*
tem a dextris, atque piſcem & alitem piſci inhærentem, ipſumque depaſcen- *1. embl.*
tem a ſiniſtris: etenim Rex homo debet eſſe dominium habens ſubiectæ ſibi *Rex.*
terræ, aquæ, & aeris vtramque tegentis; hoc eſt dominari debet ac præeſſe
viuentibus in terra, in aquis, & in aere: quare dominium terræ per ſerpen-
tem, aquarum per piſcem, & aeris per alitem inſinuatur apte; ales autem in-
hærere ponitur piſci, & illum veluti depaſci, quod aer aquis incubat, & ex
aqueis vaporibus aſſidue fiat, ac veluti nutriatur; quodque aues in ſacra pa-
gina (*b*) primam originem habuerint ex aquis; & apud Septemtrionales *b* Gen. 1.
paſſim tum Baroidæ aues nuncupatæ naſcantur ex arborum folijs in (*c*) aquas *c* 3. de ſp.
delapſis; & auium ortus primus e (*d*) mari fuerit, nec non auium plurimæ vi.or.c.47.
piſcibus e mari raptis enutriantur: vt aerem, & mare facile ſignificauerit Rex *d* Gen. 1.
Daniæ per alitem, atque piſcem ab alite comedente corroſum. Nudus Rex
fingitur, quia proprijs affectibus exutus, & omni priuatus paſſionum pro-
priarum habitu, totus eſſe debet in commodis ſubditorum; proprijsque
ſubſtantijs priuari, ac nudus etiam fieri, ſi oporteat, vt populorum commo-
dis & ſaluti conſulat. Manus inſuper ad cælum tendit; quia cælitus auxi-
lium ſibi petere debet ad populos bene gubernandos, vt (*e*) Salomon a Deo *e* 3. Reg. 3.
petijt; & Moſes eleuatis ad cælum (*f*) manibus orans, victoriam Iſraelitico *f* Exod. 17.
populo pugnanti impetrabat a Deo. Geminum eſt in hoc anulo ſimula-
chrum eiuſdem nudi hominis ad cælum manus attollentis, & inter ſerpen-
tem, alitem & piſcem ſtantis, vt inſinuaretur Regem eſſe vel electum, vel
hæreditarium, qui bene Regnum gubernat. In eodem primo ordine circuli, *2. embl. ſub-*
ſiue anuli, ponuntur quatuor ſubditorum imagines ad Regem palmas ten- *diti 4. gene-*
dentium, eumque tantum non adorantium; quorum vnus genuflexus eſt, in- *rum.*
tegro corpore, ſacerdotum chorum deſignat; tres alij ſedentes laicorum va-
ria genera repræſentant; etenim eorum medius corpore brutali facinoroſum
genus humano capite ſignificat; a dextris eius eſt homo frugi ſua viuens in-
duſtria: tertius a ſiniſtris indicat ordinem miniſtrorum Iuſtitiæ, qui quatuor
hominum ſtatus, ſacerdotes, laici probi, facinoroſi, & ſatellites ita ſub Re-
gia poteſtate ponuntur, vt eorum Rex curam habere debeat, & eos regere
cuſtodireque cum prudentia ſumma & vigilantia; quarum virtutum ſunt
ſymbola ſerpentes hæc hominum genera vndique ferme interſepientes. Sed
inter hos duos ordines emblematum in hoc anulo primo, duo ſerpentes in-
ter ſe complicati ſic, vt vnius cauda terminetur ad alterius caput, & pari
prorſus interuallo ſeptem roſæ punctulis itidem ſculptæ ſeu diſtinguant,
ſeu potius vniant vnum ordinem cum alio, mihi ſignificare videntur pru-
dentiam, qua debet Rex vti ſemper cum placiditate, ſuauitateque mo-
rum in adminiſtrando regno erga ſubditos omnium generum. Serpentes
enim ſymbolum prudentiæ ſunt, complicati manſuetudinis, & pacis, vt in
caduceo. Roſæ vero placiditatis, & ſuauitatis. Hæc autem emblemata
præterijt vir Cl. In ſecundo ordine primi anuli deſcribuntur modi præcipui *3. embl. 2.*
generales, quibus optimus Rex debeat iſta quatuor hominum genera bene *ordinis.*
gubernare; ac primum quidem genuflexus iterum ſacerdos eſt, manus ad

cælum tendens, ac orationi vacans pro Rege, & pro Regni populis; quod autem manu ſiniſtra truncus habeatur, id ſi non accidit iniuria temporis, apte poteſt indicare ſacerdotum actiones omnes eſſe debere ſanctas, rectas, & probas, nihilque ſiniſtre praueque vel turpe ipſum agere decere; ſiniſtra namque manus ad dexteram comparata ſignat imperfectionem; apud Va-
g l.35.hier. lerianum (g) *Cyrillus, vel Adamantius, per brachium a vulgo ſeparatum ſignificari ait, Pontificem debere dextera quaque, hoc eſt proba, & honeſta facere, vt qui tanquam lampas illuceſcit in atrio exemplo reliquis eſſe poſſit, non opinione tantum, verum etiam operibus, quam quiſque viam ad virtutem & pietatem ingreditur: contra vero ſiniſtra, hoc eſt praua & turpia non attingat; vitaque ſit omnino integra & inculpabili.* Quare ſacerdos manu carere ſiniſtra debet hoc ſenſu myſtico;
h Matth.6. quem ſine dubio reſpexiſſe videtur Dominus apud (h) Euangeliſtam inquiens ad Apoſtolos & Diſcipulos ſuos, ac ſub eorum perſonis ad omnes ſacerdotes, *Te autem faciente eleemoſynã, neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua*: vbi Gloſſographus: *Siniſtra, vitia: dextera, virtutes: quod ergo agit virtus, neſciat elatio, vel vana gloria, ſeu aliquod vitium: ſed lux recta operationis fuget te-*
i 35.hier. *nebras peccati.* Notatu quoque (i) Pierij, *Apud autores aliquos inuenias lauam manum pro furacitate poſitam: nam Plautus in Perſa vbi Sophoclidiſca lena Paegnij pueri manum depoſceret, atque ille dexteram porrexiſſet, reſpondit ea: Vbi illa altera eſt furtificalaua? Ita & Catullianum illud intelligitur de Marrucino, qui manu ſiniſtra non bene vtebatur, ſed in ioco atque vino tollebat lintea negligentiorum.* Huc mihi videtur etiam apte referri poſſe præceptum Domini prolatum de eleemoſyna; ſcilicet ne praua voluntas furetur aliquid de eleemoſyna, quam recta propinat integram; neve ſiniſtra manus eleemoſynam totam furetur, ac impediat, quam dextera molitur erogare. Profecto propter hanc rationem arbitror conſulto formatam fuiſſe ſacerdotis imaginem ſiniſtra manu truncam; non autem id vitij contigiſſe temporis iniuria; quod vel ex eo conuincas, quia reliquæ figuræ ſunt integræ; nulla prorſus in cornu mutila videtur inter plurimas ipſum adornantes, vt iſta ſola. Secundum ſimulacrum ſub humano capite bruti gerens effigiem in hac anuli primi ſecunda claſſe bis ponitur duplici pœnarum genere notatum; nam & collo catena vinctum, fuſtique veluti vibrato, ſeu verius virgarum faſci lictoris obuerſum, carceris, & verberum pœnis mulctatum: & piſci velut inſidens deſignat non minus ad triremes damnatum, quam ad inſulam exilio relegatum. Tertius homo facinoroſum catena vinctum detinens eſt iuſtitiæ miniſter ſatelles officio ſui miniſterij fungens. Quartus homo bis in eodem circulo inter ſerpentes collocatus, & ſemel inter ſacerdotem & lictoris virgas poſitus prope facinoroſum ſibi veluti minitantem, ob oculos ponit inſontem varijs anguſtijs circumſeptum, varijs terroribus & periculis expoſitum; cui tamen adeſt proximum Numinis auxilium ſacerdotis orationibus imploratum, quibus ipſe
Anuli 2. explicatio. proprias preces adiungere debet, vt indicat emblema. Secundus anulus vnico figurarum ordine mihi videtur oſtendere, quiſnam debeat ac mereatur in Regem vngi; nimirum qui non ſolum tempore belli nouit arma tractare, tum equitatus, tum pedeſtris militiæ ſcientiſſimus; verum etiam tempore pacis ad robur virium ſibi conſeruandum, & belli fortitudinem atque

ſpeciem iugiter exercendam, venationibus indulgeat, vacetque frequenter;
etenim, vt ait in Pædia Cyri Xenophon, (k) *Bellica exercitationis gratia eos ad* k l 8.
venationem educebat, quibus hæc exercenda exiſtimabat: hanc exercitationem rerum
bellicarum eſſe omnino ratus optimam, equeſtris autem veriſſimam: hæc enim in om-
nifariam locis equitantes maxime oſtendit: quoniam inſequi oportet feras fugienteis;
& hæc item reddit ab equis maxime agilis ad efficiendum opus, quoniam capiantur &
cupiditate, & honoris ſtudio: & hic etiam maxime familiareis aſſuefaciebat ad fe-
rendam & continentiam, & labores, & frigora, & calores, & famem ac ſitim. At-
que hoc etiam tempore Rex ac Regis familiares hæc aſſidue faciunt. Quod igitur
exiſtimaret neminem imperare decere, qui melior ſubditis non eſſet, & ex antedictis
omnibus patet; & quoniam ita ſuos exercens, multo etiam magis ipſe Rex *exercebat*
& continentiam, & bellicas arteis, meditationesque: etenim ad venationem alios edu-
cebat, quando aliqua manendi neceſſitas non eſſet: At ipſe in neceſſitate quoque domi
venabatur eas feras, quæ in hortis alebantur. Atque ipſe nunquam antecœnam ſu-
daſſet, cœnam capiebat: nec equis prius quam eſſent exercitati, pabulum inijciebat.
Quin etiam ad hanc venationem inuitabat ſceptriferos ſuos. Itaque longe ipſe Rex
in omnibus honeſtis operibus excellebat: longe etiam ſui præſtabant ob exercitationem
aſſiduam. Et de ſe quidem tale præbebat exemplum. Ac id ſane ſatis oſtendit in
hoc noſtri cornu anulo figura tum hominis in equo currentis cum venabu-
lo ad manum aptato; tum peditis vtraque manu gladium tenentis; ambi-
dexter enim miles pariter ac venator eſſe debet, ſi optime militiæ genus
vtrumque, contra feras inquam, & hoſtes homines exercere vult: tum etiam
homo ſagittans arcu fugientem feram: Cimbri ſiquidem bellicoſa gens ſcri-
bitur paſſim ab (l) Hiſtoricis. Poſt hęc tria ſimulacra militaris hominis, ac ve- l Lucan. l. 1
natoris, in anulo ſpectatur imago barbati ſacerdotis, talari tunica veſtiti, Caſ. bell.
cum dependente longiore cucullo ex capite poſt humeros ad vſque renes, Gal. l. 1.
manibus cornu geſtantis liquore veluti plenum; quem quidem liquorem po- & 7.
tius quam vinum ad vires reficiendas militis, aut venatoris exercitio de- Saxo Grā.
feſſi, reor eſſe ſacrum oleum vngendis regibus ab antiquo deſtinatum; nam Ol. Mag.
laſſos exercitio militari Reges, vino refocillare ſueuerunt miniſtri pocilla-
tores laici, non autem ſacerdotes, qui Regibus vngendis aptabantur; vt ex
hiſtoria ſacra conſtat de Samuele, (m) *Dixitque Dominus ad Samuelem: vſque* m 1. Reg.
quo tu luges Saul, quum ego proiecerim eum, ne regnet ſuper Iſrael? Imple cornu 8. 9. 15. 16.
tuum oleo, & veni, vt mittam te ad Iſai Bethleemitem: Prouidi enim in filijs eius
mihi Regem. & mox. *Miſit ergo & adduxit eum* (Iſai ſcilicet filium ſuum Da-
uidem) *erat autem rufus, & pulcher aſpectu, decoraque facie* (inſuper fortis ve-
nator aduerſum (n) feras) *& ait Dominus: Surge, & vnge eum, ipſe eſt enim. Tulit* n 1. Reg. 17
ergo Samuel cornu olei, & vnxit eum in medio fratrum eius, & directus eſt ſpiritus
Domini a die illa in David, & deinceps. Itidem & Dominus eidem Samueli
præcepit vngere Saulem in Regem, quando is erat (o) frugi, & eius pater o 1. Reg. 9.
Cis fortis robore: & erat ei filius vocabulo Saul, electus & bonus, & non erat vir de
filijs Iſrael melior illo. Ab humero & ſurſum eminebat ſuper omnem populum.
Itaque ſacerdos ille cornu tenens in anulo noſtro, ſignat in Regem vngi de-
bere, qui præter alias virtutes infra per alia ſimulacra notandas, obtineat
maxime robur virium, & fortitudinem bellicam aduerſus hoſtes, & contra

Z 2 fe-

feras in venationibus; cuiuſmodi Dauidem extitiſſe teſtatur Hiſtoria ſacra;
p 1. Reg. 17. (*p*) Ad Saulem quum fuiſſet adductus Dauid, locutus eſt ei de Gigante Philiſtæo fortiſſimo bellatore, *Non concidat cor cuiuſquam: ego ſeruus tuus vadam, & pugnabo aduerſus Philiſtæum. Et ait Saul ad Dauid: Non vales reſiſtere Philiſtæo iſti, nec pugnare aduerſus eum, quia puer es: hic autem vir bellator eſt ab adoleſcentia ſua. Dixitque Dauid ad Saul: paſcebat ſeruus tuus patris ſui gregem, & veniebat leo, vel vrſus, & tollebat arietem de medio gregis, & perſequebar eos, & percutiebam, eruebamque de ore eorum. Et illi conſurgebant aduerſum me, & apprehendebam mentum eorum, & ſuffocabam interficiebamque eos. Nam & leonem, & vrſum interfeci ego ſeruus tuus. Erit igitur & Philiſtæus hic incircumciſus quaſi vnus ex eis. Nunc vadam, & auferam opprobrium populi: quoniam quis eſt iſte Philiſtæus incircumciſus, qui auſus eſt maledicere exercitui Dei viuentis? & ait Dauid, Dominus qui eripuit me de manu leonis, & de manu vrſi, ipſe me liberabit de manu Philiſtæi huius.* Quem mox interfecit, & obtruncauit. Anulus autem
3. Anuli explicatio. tertius tria monſtra referens armata, centaurum, hominem ſerpentino capite, atque Cynocephalum, & inſuper duos homines, quorum alter alterius ventrem plurifariam ab ſe diſciſſum intuetur, duas habere poteſt interpretationes: vna quidem reſpicit officia Regis, potiſſimum Cimbri tempore belli; nam conſueuit Cimbrorum gens olim e proprijs finibus egreſſa tam equitatibus, Centauro notatis; quam peditum turmis, non ex maribus tantum, ſed etiam ex feminis coactis, galea brutali effigie horrorem hoſtium cuilibet incutientibus; rapinis & cædibus cuncta complere; quod gemina figura cynocephali, & altera duplicem peditum ſexum innuere videtur. Alia vero ſtatua refert mulierem incantatricem captiui exta inſpicientem ad augurium victoriæ præſagiendum exercitui Cimbrico: Quæ cuncta ſatis aperit ipſe Strabo dicens, (*q*) *Huiuſmodi autem Cimbrorum morem fuiſſe, ſcriptores commemorant, vt eorum vxoribus in militando ſocietate coniunctis, conſequentes nonnulla diuinationis perita ſacerdotes adhærebant, quibus canus capillus erat, alba veſtis, lintea e carbaſo ſuper tunicam fibulis annexa, ahenis incinctæ Zonis, pedes nuda. Captiuis per caſtra ſtrictis occurrebant enſibus, quos ſternentes humi, ad æneum pertrahebant craterem, viginti capacem amphorarum. Habebant & pulpitum, quo agiliter aſcenſo, tollentes in ſublime captiuum, ſuper lebete iugulabant: tum profuſo in craterem ſanguine, inde, quum ſtillaret, vaticinium edebant. Alia vero ſciſſo ventre, inteſtina ſpeculabantur, ſuis victoriam acclamitantes.* Quem ſane morem ad vnguem exprimere videtur ille tertius anulus cornu. Cuius altera eſt explicatio, quod illæ tres monſtroſorum hominum imagines facinoroſos indicant, de quibus in quarta iuſſu Regis tam pace, quam bello ſumitur

q lib. 7.

r l. 4. ſupplicium; namque Centaurus (*r*) Valeriano typus eſt meretriciæ procacitatis, effrenisque libidinis: ſecundum emblema furem atque rapacem hominem rictu pariter & adunco gladio repræſentat. Effigies tertia canino, vel vrſino capite, ſecurim manu minaci velut adigens, iracundos & homicidas oſtendit; ad quæ tria ſceleſtorum genera, luxuria venerea, furtis, & homicidijs infames, omnia fere facinoroſorum hominum, bonum Reipublicæ ſtatum perturbantium, referuntur. De his optimus Rex pœnas oportet vt ſumat ſupplicio capitali, vel atrociore; quod quarta figura ſatis innuit, in

qua

qua carnifex hominem ſontem cultro videtur atrociter excarnificare. Ceterum priori ſimilem explicationem tertiam afferre videtur. De Gentibus Septemtrionalibus agens ille priſcus Olaus Magnus, dum infit, (ſ) *Saxo ſcribit XII. lib. quod violentiore morte captiuos Teutones Iulienſes Dani conſumerent: reuinctis poſt terga manibus, palis primum affigendos curabant: deinde ventrium caua cultro rimati, nudatis extis, primaque viſcerum parte protracta, cetera ſtipitibus explicabant: nec ante ſupplicium remiſerunt, quam tortos extis funditus aluo egeſtis, horrida rapacitatis ſpiritum profundere coegiſſent: quod ſpectaculum vt ſpecie triſte, ita rei noſtris per quam vtile extitit: non ſolum enim reis pœnam inflixit, ſed etiam ceteros conſimilem cruciatus cauſam vitare permonuit. Itaque non minori viſentibus documento, quam afflictis ſupplicio fuit.* Quare facile iam æquauerim, at tamen non prætulerim hanc tertiam expoſitionem Emblematum anuli tertij de ſeuera captiuorum furum, & hoſtium rapacium punitione duabus antea propoſitis. Pacato iam regno ab inſidijs & latrocinijs hoſtium, luſtrato purgatoque a furibus etiam regionis, alijsque ſceleſtis hominibus, Quartus Anulus oſtendit alijs Emblematis optimum Regem habere debere curam & patrocinium Artium, potiſſimumque paſtoralium operum & Agriculturæ, vnde victui neceſſaria ſuppetunt omnibus populis Regi ſubiectis in vniuerſa Republica: demonſtrant autem id affabre, appoſiteque, hieroglyphica non ſolum hominis læua ſecurim, & dextera baculum gerentis; at etiam ouis, aſelli, & canis imagines; etenim homo fabriles artes indigitat apte ſecuri; baculo vero canem, aſellum, & ouem virga regens, Agriculturam, & paſtoriciam maxime ſignificat; de quibus tempore pacis in primis optimus Rex ſollicitus eſſe debet. Quintus Anulus in quo ſpeculum habetur, a duobus hominibus manu detentum, ſub quo ſedens eſt Cynocephalus; & gemini ſerpentes exſectis caudibus veluti ſtantes, piſcem, & anguillam inter ſe retinentes; iſte inquam anulus indicat, optimum Regem debere non ſolum explorare populorum ſuorum mores, tam belli, quam pacis tempore; ſummaque perſpicacia internoſcere ſubditorum virtutes, & vitia, vt valeat iuſte pro cuiuſque meritis præmia, vel pœnas irrogare, ſed etiam ſemetipſum offerre perſpicuum & illuſtre penitus exemplar imitandum omnibus gentibus ſibi ſubiectis: qui facile næuos omnes vitiorum in Rege notant, ac vident velut in ſpeculo: ſane ſpeculi hieroglyphica talia deſcribit Pierius, (t) *Sunt autem qui ſpeculum explorationis ſignum eſſe velint propterea quod & næui & rugæ, & vniuſcuiuſque color, & alia quæ forent incognita, indice ſpeculo deprehenduntur. Sed enim ſapientius illi rem expendiſſe mihi videntur, qui falſum ex ſpeculo ſignificari tradiderunt, in quo ſcilicet quamuis ſimilitudo quædam appareat, eo tamen falſa eſt, quod in ſpeculo, quæ læua ſunt dextra: quæ dextra, læua referantur; atque ita veritati fucus fiat. Alioqui ſpeculum Pindaro eſt hymnus, in quo ſcilicet res præclare geſtas, virtuteſque cuiuſpiam celebres poſſimus intueri.* Quarum ſignificationum extremæ Regem referunt, media ſubditos. Duo vero viri ſpeculum tenentes vitam geminam Regis, & ſubditorum indicant, bellicam, nimirum, atque pacificam; nam æque pacis bellique tempore Rex debet populum ſibi ſubditum exemplis, & actionibus bene gubernare. Cynocephalus autem ſedens inter vtramque vitam ſub ſpeculo hierogly-

phi-

Marginal notes:

ſ l. 8. c. 37.

4. *Anuli explicatio.*

5. *Anuli explicatio.*

t l. 42.

phice ſignat, optimum Regem ad inſtar ſpeculi eſſe debere bonum exemplar non ſolum ſuis ſubditis; verum etiam orbi vniuerſo; nam in optimum Regem etiam exteri oculos intendunt; per Cynocephalum autem Aegyptios orbem terrarum myſtice ſignificaſſe, declarat idem Valerianus. Atque quum homines in Regis vitam intuentes, quam ſuſpiciunt, & imitari ſatagunt, vel terram incolunt, vt ſerpentes, vel maritimam vitam vt piſces nautæ degunt, vel etiam fluuiorum commercijs inſiſtunt; propterea tria hæc hominum genera ſatis exprimuntur imaginibus ſerpentum, piſcis, & anguillæ, quæ plurimum fluuios incolit. Quoniam vero ſerpentibus in cauda maxime venenum eſſe ſolet; propterea ſignificaturus autor anuli mortales imitatione Regis optimi fore bonos atque frugi, ſine vitiorum veneno, notantur anguibus cauda præſecta; vt & Reges apum ſine aculeo ponuntur: ſerpentes autem in hoc emblemate gemini ſunt, vt indicetur imitari debere Regem tam militari tempore, quam tempore pacis: *Quod vero terræ ſignum ſit anguis*, inquit Pierius, *pleriſque hiſtoriarum locis, ſed eo præcipue reperias, vbi Crœſus aduerſus Cyrum bellum ſuſcepit; eo enim tempore vis colubrorum ingens in ſuburbanis Sardium locis repente coorta eſt; quos equi in paſcua dimiſſi paſſim deuorarunt: reſponderunt diuinatorum periti, futurum vt externæ gentes indigenas conſumerent; indigenam enim eſſe colubrum, terræque filium: equum vero & aduenam, & bellicoſum hoſtem.*

6. Anuli explicatio. Sextus autem Anulus hieroglyphicis alijs longe diuerſis, ob oculos ponit optimum Regem ſubditis adminiſtrantem Iuſtitiam de rebus ciuilibus; etenim illa ſtatua magni capitis humani, ſine oculis, prægrandes aures habens, carensque manibus, nec obtinens pectus, nec abdomen, in duos pedes diuaricatos veluti ſtans; eſt iuſtiſſimi Iudicis hieroglyphicum; qui debet oculis carere, ne miſerorum aſpectu, aut perſonarum illuſtrium reſpectu commotus remoueatur a recto iudicio. Capitis magnitudo cerebri, ſapientiæ, iudicijque ſignat magnitudinem. Aurium quoque granditas indicat, quia Rex, & iudex optimus audire debet indeſinenter omnes maxima cum patientia, quicumque ad eum veniunt locuturi. Manibus carere Iudicem oportet, vt ſit incorruptus a muneribus. Carere debet & pectore, in quo Plato ſedem iracundiæ poſuit, quæ turbat ſemper iudicij rectitudinem; ſed animo pacato quietoque de rebus etiam turbulentiſſimis & atrociſſimis æquam ſententiam ferre tenetur. Carere ſimiliter & imo ventre debet, qui ſedes eſt luxuriæ, domiciliumque gulæ, ob quarum vtraſque ſæpe fiunt iniuſta, peſſimaque iudicia. ſic & Paris ob luxuriam promiſſæ pulcherrimæ mulieris iniuſto iudicio prætulit Venerem animo fœdam & corpore luſcam, Mineruæ, atque Iunoni, quarum vtraque longe pulchrior erat & animo, & corpore. Stat immota ſtatua iuſti Iudicis, quia firmus & immobilis eſſe debet, nec vlla violentia moueri, nec ipſe ſponte vacillare. Ponitur autem inter duos canes, Actorem ſcilicet atque reum, nunquam non rabide ſibi inuicem oblatrantes in clamoſo foro: habet canis ad Iudicis dexteram ſitus ob oculos effulgens lucidæ magnæque ſtellæ ſignum, indicium æquitatis & innocentiæ, cæleſtiſque patrocinij: licet non improbem quod in ſecunda editione vir Eximius ait, hacce ſtella denotari Iuſtitiam procul a ternis apud aſtra volaſſe in cœlum. Canis autem inter duas furuas ſeu ſtellas, ſeu cruces po-

poſitus imago eſt iniuſte litigantis, qui tetris mendacijs vndique ſtipatus contra fas oblatrat; cruces enim ethnicis patibula ſontium erant. Aliud ſimulacrum, ſi florem lilij refert, vt opinatur Cl. Olaus, oſtendit candorem recti iudicij lati contra ſontem inter atras cruces locatum: ſi vero referat, vt ego ſuſpicor, Idoli ſimulacrum ab illa priſca Gentilitate cultum; indicat Regem, ac Iudicem in iudicando debere Numen reſpicere, pietatemque colere: certe priſcorum ſeptentrionalium idola rudíter admodum ex ligno fabrefacta fuerunt, vt hoc longiore collo gerens turbinatum caput nullis faciei veſtigijs, & ſub collo brachia vtrimque velut anſas abſque manibus, quaſi tunica velante thoracem & imum ventrem vſque ad pedes; cuiuſmodi fuere Samogitiorum Idola, de quibus in ſecunda Nauigatione Hollandenſium ad plagam ſeptemtrionalem iſta leguntur, (u) *Quelli così licentiati, & alquanto ſcoſtati, vno di eſſi caualcando venne al lito a torre vna rozza ſtatua, che i noſtri haueuano tolta dal lito, e poſta nel coſano; quegli entrato nel battello vide la ſtatua; e con ſegni ci diede ad intendere che haueuamo fatto male a portarla via; noi ciò conſiderando, gliela reſtituimmo; quegli come l'hebbe, la poſe ſopra vn tumulo vicino alla riua del mare, nè la portò altrimente ſeco, ma mandò vna carretta a torla, che la portaſſe. Da tutte queſte coſe, che potemmo oſſeruare, facemmo giuditio che quelle ſtatue, ouero imagini di legno, foſſero da loro adorate per Dei; percioche allo incontro di Vueygats, in quel luogo, che chiamammo Capo delle imagini, ne trouammo alquante centinaia di ſimili imagini di legno groſſamente lauorate, cioè dalla parte di ſopra rotonde con vn poco di rilieuo nel mezo in ſegno del naſo, di ſopra del quale dall'vna parte, e dall'altra haueuano due tagli, ſeparati l'vno dall'altro, in vece de gli occhi; & ſotto il naſo vn'altra fiſſura, in luogo della bocca; & trouammo anco dinanzi ad eſſe molte ceneri & oſſa di Rangiferi; dalle quali coſe ſi può far congiettura, che quiui faceſſero i loro ſacrificij.* Sed in imaguncula ſimili noſtri cornu aurei non aſpiciuntur eminentia naſi, nec oculorum, aut oris vlla veſtigia, quod obliterata fuerint ob auri mollitiem attritione a duritie telluris, in qua diu neglectum iacuit, & compreſſione tum puellæ inuentricis cornu anxie ſollicitéque purgantis, tum Aurificis idem iuſſu Regio repurgantis. Ad laeuam ſtatuæ locata eſt in altum prope canem priorem imago rudis literæ Pythagoricæ Y. quam etiam neglexit Cl. Olaus, de qua pulchre Virgilius in Carmine, u pag. 405 in f.

,, Litera Pythagoræ diſcrimine ſecta bicorni
,, Humanæ vitæ ſpeciem præferre videtur:
,, Nam via virtutis dextrum petit ardua callem,
,, Difficilemque aditum primum ſpectantibus offert;
,, Sed requiem præbet feſſis in vertice ſummo.
,, Molle oſtentat iter via lata, ſed vltima meta
,, Præcipitat captos, voluitque per ardua ſaxa.
,, Quiſquis enim duros caſus virtutis amore
,, Vicerit, ille ſibi laudemque decuſque parabit.
,, At qui deſidium, luxumque ſequetur inertem,
,, Dum fugit oppoſitos incauta mente labores,
,, Turpis, inopſque ſimul miſerabile tranſigit æuum.

Quam etiam tetigit (*) Lactantius, cui *dicunt humanæ vitæ curſum Y, literæ* *l. 5. c. 3.

eſſe

eſſe ſimilem; quod vnuſquiſque hominum, quum primum adoleſcentiæ limen attigerit, & in eum locum venerit, parteis vbi ſe via findit in ambas, hæreat nutabundus, ac neſciat in quam ſe partem potius inclinet. Si ducem nactus fuerit, qui dirigat ad meliora titubantem, hoc eſt, ſi aut philoſophiam didicerit, aut eloquentiam, aut aliquid honeſtæ artis, quo euadat ad bonam frugem, quod fieri ſine labore maximo non poteſt: honeſtam, ac copioſam vitam diſputant peracturum. Si vero doctorem frugalitatis non inuenerit, in ſiniſtram viam, quæ melioris ſpeciem mentiatur, incedere, id eſt, deſidiæ, inertiæ, luxuriæ ſe tradere; quæ ſuauia quidem videntur ad tempus, vera bona ignoranti; poſt autem amiſſa omni dignitate; ac re familiari, in omnibus miſerijs, ignominiaque victurum. Ad corpus ergo, & ad hanc vitam, quam in terra ducimus; fines earum viarum retulerunt. Poetæ fortaſſe melius, qui hoc biuium apud inferos eſſe voluerunt. Sed in eo falluntur, quod eas vias mortuis propoſuerunt. Vtrique ergo vere, ſed tamen vtrique non recte, quia oportuit vias ipſas ad vitam, fines earum ad mortem referri. Nos igitur melius, & verius, qui duas iſtas vias, cæli, & inferorum eſſe dicimus, quia iuſtis immortalitas, iniuſtis pœna æterna propoſita eſt. &c. Huius Herculei biuij meminit ante hunc ex Prodico luculentiſſime (*x*) Xenophon in Opere de factis & dictis Socratis: Debet autem Rex optimus, iuſtusque Iudex animaduertere, quiſnam duorum litigantium, viam virtutis terat, quis vitiorum; vt illi præmia, huic pœnas irroget; quum & ipſemet in eo iudicio, vt & vniuerſo ſuæ vitæ tempore, neglecta voluptaria laxaque vitiorum via, terere teneatur arctam, & ſenticoſam iuſtitiæ, atque virtutis; etenim vere cum (*y*) Heſiodo ſcribit in Protagora Plato, *effici bonum difficile quidem eſſe, quum ante virtutem ſudor a Dijs poſitus ſit: verum vbi ad ſummum verticem peruentum ſit, facilem eſſe, quæ comparatu difficilis fuit.* Vltimo loco terna illa puncta minuta, quinquies in hoc anulo repetita, Cl. viro non explicata, mihi non videntur abſque cauſa formari; licet hæc ratio difficillima ſit inueſtigatu: Puncta certe ſignificant terminum, & ſtabilitatem; vt patet de puncto centri; & de punctis literarijs, integram ſententiam terminantibus: an & hic indicent ſimile quid? nempe innocens actor terna puncta videt ante ſe poſita, quibus a Iudice veluti ſeiungitur; quinimmo Iudex ac Rex inter duo punctorum ternaria collocatur, quibus innuitur forſan, poſt auditum actorem in litigio, non debere ſtatim a Iudice Rege ſententiam ferri contra reum; ſed immorandum ſibi eſſe in conſideratione rationum productarum ab actore; quibus mature perpenſis, tempus defenſionis reo debet aſſignare; Qui quidem reus & ipſe ſtat inter duas punctorum triades; quarum prima ſignat ſibi ſtandum eſſe in ſilentio dum actor in ſe cauſam perorat; ſecunda notat, ſibi terminandam eſſe orationem: quinta vero punctorum trias eſt ad Idoli ſtatuam, indicans, Regem auditis litigantium vtriſque partibus, neque ſtatim ſuam ſententiam promulgare debere; ſed conſulendum a ſe Numen eſſe, ac ab eo petendum rectum iudicium, adeoque in precibus aliquandiu ſtandum, & immorandum. Septimus Anulus continet nouem corda ſecundum rectam lineam diſpoſita; & duo mortuorum hominum oſſa, ſeu tibiæ, ſeu cubiti, e quorum vtriuſque medio pendet veluti vexillum geminum quadratum, in quo tres orbiculi picti conſpiciuntur; & vtrunque has figuras complectuntur caudis inuicem ob-

x lib. 2.

y oper. & di.

7. Anuli explicatio.

obuerſis, & complicatis duæ lacertæ; quæ quatuor animalia diſcriminantur ab inuicem veluti columna ex duabus virgulis helicis intra ternas rectas comprehenſis ac velut aſſurgentibus. Certe nouena corda ſunt inſigne gentilitium Regni Cimbrici, vt dicebamus; adeoque ſignant Regem Cimbrorum, ad Iuſtitiam recte adminiſtrandam ſemper ob oculos, & in cogitatione cordis habere debere, mortem, quam non poteſt effugere; mundum hunc terrenum, quem pro parte ſibi credita debet bene, ac iuſte gubernare: mundum cæleſtem, ad quem iuſtitiam colens debet aſpirare: & mundum inferum, a quo vitans omnem iniuſtitiam ſemper abhorrere ſtudeat: lacertas inuicem complexas cogitet eſſe vermes in quos eius cadauer poſt funus abire debet, atque ab eis deuorari. Quæ ſi mente recolat, facile poterit Regno ſibique conſulere perquam optime. Reliqui ſex anuli minores, qui manu tenentur cornu ſonanti, ſtrijs, ſiue lineis, virgulisve, qua rectis, qua curuis intra rectas comprehenſis, vt & in ſuperiori anulo quoque, niſi dicantur ad ornatum eſſe, nulloque' niti hieroglyphico, vt facile conceſſero cuilibet, indicant Regem vias rectas facere, curuasque ad rectitudinem manu cogente reducere debere; iuxta Propheticum (z) præceptum, nec vlla ratione alio Regium munus adimplere poſſe. Hactenus de mirabilis, & pretioſi cornu antiquiſſimi huius anulis emblematicis, atque hieroglyphicis. His attexendum eſt, Florentiæ in regio Gazophilacio Sereniſſimi Magni Ducis Etruriæ duo pulcherrima cornua reperiri ex ebore longitudinis vlnæ circiter, eo deuecta inter ſpolia Turcarum Africanis pyratis adempta virtute Militum Equitum Sancti Stephani, quæ fuiſſe cornua venatoria Regis Luſitaniæ, qui pridem ad Africam debellandam traiecerat, & infecta re infauſtaque fortuna mortem ibi obijt, apertiſſime declarant affabre ſculpta in ijs hominum tam peditum, quam equitum apros, & alias feras venantium ſimulachra, Crucisque magnæ ſignum; & in eorum altero ſtemma Regis Luſitaniæ proprium, quod Quinas vocant: & Epigraphe literis Maioribus nomen Infantis Dom Ludouici referentis ita IMFAMTE DOM LVIS. Quæ quidem venatoria cornua facile lata fuerunt in Africam eo tempore, quo Luſitaniæ Rex eo traiecit cum exercitu potenti ad prouinciam illam debellandam, & infideles Saracenos atrociſſimos Chriſtiani nominis vlciſcendos; at peſtilentia ſimul & infinita barbarorum multitudine victus interijt, relictis in hoſtili regione gazis, & omnibus quæcunque ſecum aduexerat: inter quę duo cornua venatoria prænotata, quæ tandem in Turcarum ſpolijs pyratarum victores milites D. Stephani reperta retulerunt in Gazophilacium Magni Ducis Etruriæ, nobilis illius militiæ Magni Magiſtri. Quorum cornuum explicationem luculentam habet inclytus Vvormius in ſuis Danicis (a) monumentis, optime notans artificis imperitia pro *Infante Dom Luis*, inſculptum fuiſſe *Imfamte Dom Luis*, apertiſſimo ſolœciſmo.

z Eſai. 40.

a lib. 5.

De Anulo ſimbolo libertatis ingenuæ.
Cap. XXXVII.

32 an.finis. VEteribus Romanis anulus aureus erat ingenuitatis atque libertatis teſ-
a Hier. 41. ſera; proindeque Valeriano (a) recte ſcribitur, ſeruis atque libertis ius anulorum negatum fuiſſe; quo tamen impetrato, ingenuitas ſimul impetrata intelligeretur; quod a Papiniano, Neratio, Paulo, & Vlpiano ſe recepiſſe fatetur in XL. Digeſtorum lib. Dum autem ingenuam libertatem dico Libertinorum conditionem excludo, quibus pariter atque ſeruis ius anuli aurei primitus interdicebatur.

De Anuli vſu ad opum, ſiue diuitiarum oſtentationem.
Cap. XXXVIII.

33 an.finis. NOn ſolum Nobilitatis, & Ingenuitatis indicium fuit anulus aureus apud Antiquos, verum etiam opum, atque diuitiarum: Quod quidem
a l.2.c.19. aperte conſtat ex Alexandro ab (a) Alexandro, ſcribente Anulum Romæ
vide infra. geſtari non potuiſſe pridem niſi ab ijs nobilibus ingenuis, quorum & patris
c.49. & aui fuiſſet cenſus ſextertia quadringenta. Apud Tranquillum in Cæſare, Decius Laberius eques Romanus mimum ſuum egit, donatusque quingentis ſeſtertijs, & anulo aureo, ſeſſum in quatuordecim ex ſcena per orcheſtram tranſijt. *Laberius*, inquit, *poeta, quum in ſcena poema, quod compoſuerat, egiſſet, donatus eſt ordine, & cenſu, & dignitate equeſtri.* Budæi notatu, *Anulus aureus inſigne erat ordinis equeſtris, cenſus autem equeſtris quadringenta ſeſtertia. Hic etiam ordo ius habebat ſpectandi in quatuordecim ordinibus theatri, ideſt, quatuordecim*
* Sat. 14. *gradibus, vt Senatorius ordo in Orcheſtra ſpectabat.* (*) *Iuuenalis*,

,, ———— effice ſummam
,, Biſſeptem ordinibus, quam Lex dignatur Othonis

ideſt, quadringenta ſeſtertia: & paulo poſt,

,, Sume duos equites, fac tertia quadrigenta.

id eſt, apta tibi duplicem, triplicemque cenſum equeſtrem: ex Equeſtri autem ordine ad Senatorium tranſitus erat. Vnde Alexander Imperator Romanus dicere ſolebat, Seminarium Senatorum Equeſtrem locum eſſe. Diuitiarum item indicium fuiſſe priſcis anulos, apparet ex Epiſtola canonica B.Iacobi Apoſtoli ſcribentis,
b c.2. (b) *Fratres mei, nolite in perſonarum acceptione fidem habere Domini noſtri Ieſu Chriſti gloriæ. Etenim ſi introierit in conuentum veſtrum vir aureum anulum habens in veſte candida, introierit autem & pauper in ſordido habitu; & intendatis in eum, qui indutus eſt veſte præclara, & dixeritis ei: Tu ſede hic bene: pauperi autem dicatis: tu ſta illic, aut ſede ſub ſcabello pedum meorum: nonne indicatis apud voſmetipſos, & facti eſtis iudices cogitationum iniquarum?* vbi contraponitur diues pauperi, quod ille aureum anulum habeat, & veſtem candidam, vt puta byſſinam; quod & in Euangelio legitur, vbi homo diues introducitur, qui indue-

duebatur purpura & (*c*) byſſo: præterea quod purpura quoque candida *c* Luc. 16.
reperiebatur apud antiquos in magno pretio: pauper autem ponitur in ha-
bitu ſordido, nulla penitus anuli mentione, vt cum (*e*) Plauto dicam, *e* Trucul.
(*f*) exungulus. Verum & apud Iſidorum in (*g*) Originibus habemus, *f* vide ſup. c. 1.
quum diuites omnes alij ſingulos anulos geſtarent, qui tamen ditiſſimi fo-
rent, binos anulos habuiſſe, verba viri ſunt, *Craſſus, qui apud Parthos perijt, in* *g* l. 19. c. 32.
ſenectute duos habuit anulos, cauſam præferens, quod pecunia ei immenſa creuiſſet.
De qua opum teſſera ſimul & nobilitatis, notauimus etiam Grouij diſti-
chum in ſuperioribus,

„ Anule, teſtis opum, quo plebs Romana carere
„ Cogitur, Auguſtus quem ſibi Clauus habet.

De Anulis ad memoriam tam exteriorem, quam interiorem. Cap. XXXIX.

Veteribus ad memoriam tum interiorem, tum etiam exteriorem anulos 34. an. finis.
vſui fuiſſe, clariſſime conſtat; memoriam interiorem dico, quæ de rebus
gerendis aut dicendis in animo ſeruari debet; exteriorem appello, quæ poni-
tur in ſignis materialibus extra animum. Porro de anulis ad memoriam in-
teriorem ita Quintilianus, (*a*) *Dandi ſunt certi quidam termini, vt contextum* *a* l. 11. c. 2.
*verborum (qui eſt difficillimus) continuet crebra meditatio, partes deinceps ipſas re-
petitus ordo coniungat. Non eſt inutile, quo facilius hæreant, aliquas apponere notas,
quarum recordatio commoneat & quaſi excitet memoriam. Nemo enim fere tam in-
felix, vt quod cuique loco ſignum deſtinauerit, neſciat: vt ſi erit tardus ad hoc, eo quo-
que adhuc remedio vtatur, vt ipſa excitent notæ. Hinc eſt ex illa arte non inutile,
attendere ſigna ad eos, qui exciderunt ſenſus: anchoram (vt ſupra poſui) ſi de naui
dicendum eſſet: ſpiculum, ſi de prælio. Multum enim ſigna faciunt, & ex alia me-
moria venit alia, vt quum tranſlatus anulus, vel alligatus commoneat nos cur id fece-
rimus*: nempe ſi ſueti deferre anulum in digito prope minimum, transfe-
ramus ad indicem, aut pollicem, aliumve digitum, in teſſeram rei, cuius
meminiſſe volumus; vel, ſi ſueti ſolum anulum geſtare nudum in eodem di-
gito, vinciamus ipſum filo ſerico, vel alio quolibet vinculo. Ceterum æuo
noſtro formantur anuli ad memoriam tres ad inuicem concatenati, quos
vna iunctos eodem digito geſtare ſolemus; at quando ſignum eſſe volumus
vnius rei, tunc pendulum vnum gerimus extra digitum; quando vero duarum
meminiſſe lubet, binos pendere ſinimus a tertio digitum veſtiente: at vero ſi
trium, vel plurium rerum memoria ſeruanda ſit, mutamus anulo digitum, &
internodium. Einſcemodi, ſiue aureos, ſiue argenteos, ſiue ex alio metallo,
nuncupare conſueuimus a fine, Anulos memoriæ; formanturque teretes ali-
thi, & apiri, ſine gemma, & ſine funda: colligantur vel vnico vinculo trium
foraminum, vel inuicem ipſi ſibimet vincula ſunt, inſtar catenulæ. Nun-
quid autem duplex ille, minor in maiore, quem ſupra delineatum habuimus
inter Puteanas icones, antiquis ad memoriam ſeruierit, aſſeuerare non auſim.
Ad memoriam externam vero facit ille, de quo pius & eruditus Nouarinus

b l.2.c.21. in ſchediaſmatibus (b) vbi Anulum in piſce repertum legimus, eius nomen referentem, qui illum piſcem in flumen locauiſſet, Fridericus II. Imperator, cum alias vir eruditus fuit, & Græce etiam (mirum illo ſeculo) calluit, tum animalium naturæ ſtudioſus fuiſſe videtur, ex eo quod (vt tradit Conradus Celtes) Lucius piſcis anno Sal. 1267. captus eſt in ſtagno circa Haillum, Imperialem Sueuiæ vrbem; & repertus in eo anulus ex ære Cyprio, in branchijs, ſub cute, modica parte ſplendere viſus eſt Anuli inſcriptio fuit hęc: *Ego ſum ille piſcis, in ſtagnum omnium primus impoſitus per Mundi Rectoris Friderici II. manus, die V. Octobris.* Sic ex Græco interpretatus eſt Ioannes Dalburgus, Vvormacienſis Epiſcopus. Huic ſimile ſatis eſt, quod Athenæus
c l.8. init. ait, (c) *Ego vero in Chalcidis Arethuſa cum admiratione vidi, cestros manſuefactos, & anguillas aureis argenteisque ornatas inauribus: qui, & quæ tum obiectum cibum a ſpectatoribus acciperent; tum a ſacerdotibus victimarum exta, & muſteum ceſum.*
d l.32.c.2. Plinio quoque, (d) Anguillæ in Iouis Labradij fonte inaures additas gerunt.

De Anulis ad Donaria.
Cap. X L.

35.an.finis. VSos etiam fuiſſe veteres Anulis ad Anathemata, patet euidenter ex Iano Grutero, qui ponit in antiquis inſcriptionibus, a ſe collectis, hanc ſub titulo, *Dijs Dedicatorum.*

Malca Hiſpan.

VENEREM. AVG. CVM. PARERGO
ITEM. PHIALAM. ARGENT. AEMIL.
RVST. F. ITEM. TABVLAM. AR-
GENT. M. ANNIVS. CELCITAN.
TEST. SVO. POST. MORTEM
AEMILIAE. ARTEMISIAE. VXORI
ET. HEREDI. SVAE. PONI. IVS
AEMILIA. ARTEMISIA. TIRA
OS. EADEMQ. DE. SVO. ANVLVM
AVR. GEMMA. MELIORE

gem.

gemmæ melioris nomine ſignificauit pretioſiorem, vt adamantem, carbunculum, & id generis, ad gemmarum vilioris pretij differentiam, cuiuſmodi ſunt Achates, Onyx, Iaſpis, Sarda, & huiuſmodi, quæ frequentiſſime conſpiciuntur in antiquis anulis inciſæ apud Gorlæum. Plinius item ait,
(*a*) A Pompeio Dactyliothecam, quæ Mithridatis Regis fuerat, dicatam *a* l. 37. c. 1.
inter dona in Capitolio: quam non inanem, ſed anulis refertam fuiſſe, mihi probabile ſatis eſt. Addit, hoc exemplo Cæſarem Dictatorem ſex Dactyliotheas in Aede Veneris Genitricis conſecrauiſſe: Marcellum item, Octauia genitum, vnam dedicaſſe in Apollinis æde Palatina. Spectare cenſeas
ad hoc propoſitum illa Nouarinia, (*b*) Anulos, numoſque Sanctorum cor- *b* 6. ſacr.
poribus admotos lego; qui deinceps pro reliquijs ſacris ſeruabantur. Huc ſched. cap. 2.
piorum mentes egit pietas & religio erga Sanctum Hugonem, Epiſcopum Gratianopolitanum, de quo ita ſcribit Guigo in eius vita: *Lactentes afferebantur paruuli, quo tam ſancti corporis tactu aduerſus omnia munirentur aduerſa. Nonnulli etiam ſandalia ipſa, ardentiori fide oſculando, mordebant, aliquid inde ob ſanctitatem ferre volentes. Anuli, ac numi, & res aliæ ſancto applicabantur corpori, vt eo ſepulto pro Reliquijs haberentur.* Sed & anis, ſiue anulis aureis vſos fuiſſe
Philiſthæos olim ad Donaria, legimus in ſacra (*c*) pagina, vt (*d*) antea no- *c* 1. Reg. 5.
tauimus. & 6.
d cap. 24.

De Anuli vſu ad Lipſanas, & deuotionem. Cap. XLI.

APud eundem virum pie-eruditum (*a*) habemus: Sanctorum reliquias 36. an. finis.
anulo incluſas a collo dependentes olim deferebant: nam in actis *a* 2. ſched.
S. Erendrudis virginis habetur: *Henricus Imperator cognomento Pius, permit-* ſacrop.
tente, ſiue diſponente Deo, in morbum incidit phreneſis, ſiue epilepſia, & multa medi- c. 13.
corum ſollicitudine curari non potuit. Multorum etiam Sanctorum liminibus viſitatis, tandem ad tumbam S. Erendrudis peruenit, & optata ſanitatis ſortitus effectum, reliquias eiuſdem glorioſa Virginis impertiri ſibi petiuit, & tandem anulo au-
reo (b) *recludi fecit, collo ſuo iugiter portauit; & interim motum, ſiue rabiem dicta* b *includi.*
infirmitatis nunquam ſenſit: & ad tumbam prædictam duo calcaria aurea obtulit. Huc ea certe faciunt, quæ de colendis Sanctorum imaginibus olim ſcribens S. Nicolaus Papa, primus eius nominis, Michaeli Græcorum Imperatori dixit, *Quid Fidei noſtra contradicit, quod in centro cameræ ſuper altare, eius figuram, quod Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis, anima noſtra affectando deſiderant, cuius imago nominis titulum retentat: & quia per naturam Filium adoramus, quare per adoptionem nomen nouum ſcriptum in calculo, vel gemmis non adoremus?* Quin etiam fortaſſis Anulatas claues extitiſſe credendum, quas olim Leo Papa miſit ad Carolum Magnum, thecas nimirum pretioſas, quibus Lipſanarum fragmenta ſeruabantur; vt oſtendit aduerſus Illyricum Eminentiſs. Card. Bellarminus in opere De Tranſlatione Romani imperij ad Francos,
inquiens, (*c*) *Solebant enim Pontifices, quum ſummo aliquem munere afficere vo-* *c* l. 1. c. 13.
luiſſent, raſuram catenarum S. Petri, aut aliquid aliud generis eiuſdem, clauicula

au-

aurea vel argentea incluſum mittere. Audi S. Gregorium in epiſt. 23. lib. 6. ad Theotiſtum & Andream: [Praeterea, inquit, benedictionem S. Petri Apoſtoli, Clauem a ſacratiſſimo eius corpore tranſmiſi.] Et in epiſt. 126. lib. 7. ad Rhecaredum Regem Viſigothorum, [Clauim, inquit, paruulam a ſacratiſſimo B. Petri Apoſtoli corpore, pro eius benedictione tranſmiſimus, in qua eſt ferrum de catenis eius incluſum; vt quod collum illius ad martyrium ligauerat, veſtrum ab omnibus peccatis abſoluat. Crucem quoque dedi latori praeſentium vobis afferendam, in qua lignum Dominicae Crucis ineſt, & capilli B. Io: Baptiſtae: ex qua ſemper ſolatium noſtri Saluatoris, per interceſſionem Praecurſoris eius habeatis.] Talem igitur Clauem, non inſigne Papale, ſed religioſum munus Chriſtianiſſimo Principi ſummus Pontifex miſit; nam idcirco Rhegino in Chronico ſexta aetate, & Abbas Vrſpergenſis item in Chronico eiuſdem anni, has ipſas Claues Confeſſionis S. Petri, id eſt, Sepulchri Claues appellat, & pro munere miſſas a Leone ad Carolum ſcribunt. Qui etiam Autores in Chronico anni 800. ſimile quoddam donum ab Epiſcopo Hieroſolyma ad eundem Carolum tranſmiſſum his verbis tradunt, [Eadem die Zacharias Pater cum duobus Monachis, vno de monte Oliueti, altero de Bethleem, Romam venit: quos Epiſcopus Hieroſolymorum ad Regem direxit; qui benedictionis cauſa Claues Sepulchri Domini, & loci Caluariae; claues etiam Ciuitatis cum vexillo detulerunt.] Hac illi. Nec ſane dubitari vlla ratione poteſt, quin fuerint omnia illa religioſa munuſcula, non inſignia dignitatum: Quare Paulus Aemilius in vita Caroli, pia magis quam magnifica munera eſſe dixit. Sic igitur exiſtimo, claues eiuſmodi nihil aliud extitiſſe, quam anulos aureos, vel argenteos, exerta claui, intra cuius cauum Sanctorum lipſanae conderentur, nimirum raſurae catenarum S. Petri, capilli D. Io: Baptiſtae, lignum S. Crucis, fruſtulum Sepulchri Domini, montis Caluariae portiuncula, ſanctaeque Ciuitatis, & vexilli, ſub quo Dominus Crucem baiulauit, fragmentum aliquod, & ſimilia. Quas pias reliquias, clauiculis inſertas, anulis attexuerunt, vt manu iugiter ab Imperatore pijſſimo geſtari valerent, maxime ſolemnibus diebus. Eiuſcemodi vero clauium anulatarum imagines aliquot ex antiquitate ſuperius adduximus.

De Anulis ad gratitudinem, honorem, ac pietatem.
Cap. XLII.

37 *an. finis.* Antiquitus Anulos efformari, geſtarique conſueuiſſe ad honorem alicuius, & ad gratitudinem erga benemeritos, nec non etiam ad pietatem erga maiores, obſeruat in ſuis Antiquis Lectionibus Rhodiginus aſſe-

a l. 6. c 12. rens, (a) *Batti vero Anulus apud Cyrenaeos gratitudinis habet, atque honoris argumentum, Condita ab eo Cyrene ex reſponſo, ſicuti Ariſtoteles quoque commeminit. Quo nomine Ciuitatis conſenſu conflatus eſt Anulus, Ciuium Conditori ſuo, veluti parenti, Silphium offerentium nota; quod eſſe inter olera conſtat pretioſiſſimum, Comici veteris aſtipulante verſiculo, quo ille ait, Ne Batti quidem Silphio adduci poſſe, vt faceret quod rogabatur.* Alexander ab Alexandro quoque de propoſito ſcri-

b l. 2. c. 15. & 19. bit in ſuis Genialibus, (b) *Epicuri imagines frequenter in anulis habuere eius diſcipuli; hoc fauſti ominis generi & nomini ſuo eſſe arbitrati.* Additque Africa-

ni

ni filium, vt ſuam in patrem pietatem declararet, eius imaginem perpetuo anulo inſculptam digitis geſtaſſe. Quin & Lentulum Aui ſui figuram & imaginem anulo ſuo inſculpi feciſſe, ne eius amor citius quam par eſſet, animo excideret: Ita cælabant anulis frequenter Antiqui Deos, quos præcipue colebant; etenim Dioni Caſſio, (c) Venus armata geſtabatur a Cæſare in anulo ſculpta, ad quam Romani ſuum genus referebant Aeneæ matrem: Ita ſatis expreſſerunt in anulis Philoſophos, quos ſectabantur, Stoici Zenonem, Academici Platonem, Peripatetici Ariſtotelem: Quo pacto etiam, ait (d) M. Tullius, non in tabulis ſolum, ſed in poculis, & in anellis ſpectari ſolitam Romæ imaginem Epicuri. Sæpe numero Patriam, parentes, auos in eis figurarunt: ſic inclyto Petra-ſanctæ, de Symbolis Heroicis luculenter (e) agenti, Hebræi, præſertim exilij tempore, vrbem Ieroſolymam: & fortaſſe eo ſpectat illud, (f) *Si oblitus fuero tui Ieruſalem, obliuioni detur dextera mea*, ferens nimirum in anulo tui delineationem: ita Galba Imperator ſuæ proſapię ſigna, hoc eſt, Canis caput ſub prora nauis inſculpere ſuiſmet anulis conſueuit; vt omnibus notiſſimum ſit, Antiquos in more habuiſſe, proprijs anulis effigiem illorum geſtare, quos inſigniter amore, vel gratitudine, vel etiam pietate venerabantur.

c lib. 43.
d l. de finib.
e l. 3. c 6.
f Pſal. 136.

De Anulis ad Hoſpitalitatem.
Cap. XLIII.

QVum homo ſit animal natura ſociabile, neque ſolum ciuile, ſed & œconomicum, vt ait (a) Ariſtoteles; propterea morales inter virtutes nulla videtur humanior, hoc eſt homini conuenientior, quam Hoſpitalitas; vt iccirco inhumani dicerentur Inhoſpitales: & e contra quicunque colebant Hoſpitalitatem, apud omnes gentes merito celebrarentur: quin & ab ipſo Numine mirifice remunerarentur; Nam vt autore Theopompo, notatu (b) Cælij, *Inceſſitur a celeberrimis Scriptoribus Laconum* [XENHLASIA,] *quod verbum ſignat hoſpitum expulſionem; ſiquidem non tempore omni peregrinis licebat Spartam adire, ſed præſtitutis diebus; quod tamen ab Lycurgo ſancitum ait Thucydides, ne æmuli politia modi eius fierent, ac inde perdiſcerent, quo in virtute proficerent.* (quod tamen & vitium eſt inuidiæ) *Quanquam malint hinc enatum morem alij, ne rubiginis affricarent quippiam; ſiquidem corpora peregrina & peregrina conſectatur oratio; noua autem oratio* [KRISEIS KAINAS EPIPHEREI] *vtes nouas inuehit: vnde affectiones oriri multas, neceſſum fere. Peculiarem barbaris omnibus, autor Eratoſthenes eſt, hoſpitum eſſe exactionem: quo nomine propter Buſirim infamantur Aegyptij quoque; etiam ſi ea nomenclatura nullus vnquam fuerit vel Rex, vel Tyrannus.* (Euſebius (c) tamen, (d) D. Auguſtinus, (e) Boccatius, & alij ſecus opinantes, præferendi ſunt nuaæ Rhodigini autoritati, negationem ſuam non probantis; nam Buſiris eſſe potuit Regulus, aut Tyrannus vnius Vrbis, aut partis Aegypti, ſi non totius regionis, vti Ptolemæi) *Illud plane mirum, a Platone quoque hoſpitum probari expulſionem. Ceterum fœdant eos tamen appellatione dedecoroſa; nam Dijronoxenos nuncupant, id eſt per ſimu-*

a 38 an. finis. a 7. polit. cap. 11.
b lib. 18. ant. lec. c. 5.
c tom 2.
d 18. de ciu. c. 12.
e 10 gen. c 26.

la-

lationes & ironiam fallentes hoſpitem. & mox. *Quod ad hoſpitum attinet expulſionem, Romæ id quandoque factitatum, autor eſt Ammianus Marcellinus, etiamſi codicibus præcipue interpellatis: Poſtremo, inquit, ad id ventum indignitatis eſt, quum peregrini ob formidatam haud ita dudum alimentorum inopiam pellerentur ab Vrbe præcipites, & autoribus liberalium diſciplinarum impendio paucis ſine vlla reſpiratione extruſis, tenerentur mimorum aſſeclæ veri, quique id ſimulárant ad tempus: & tria millia ſaltatricum ne interpellata quidem cum choris, totidemque remanerent magiſtris.* & mox. *Quum eſſet, inquit, aliquando virtutum omnium domicilium Roma, ingenuos aduenas plerique nobilium, vt Homericarum buccarum ſuauitate Lotophagi, humanitatis multiformibus commodis retentabant. At nunc inanes quorundam flatus vile eſſe, quicquid extra Vrbis pomœriũ naſcitur, æſtimant, præter orbos, & cœlibes:* (quorum ſcilicet hæreditatibus inhiant.) *Quin & Legum octauo, ex Spartana forſan imitatione Plato ſancit, ne poſt annos viginti quam in Vrbem commigrarint, liceat permanere. Liberos item eorundem ab anno vigeſimo pellit: numeri vero eius initium facit annum ætatis quintum decimum.* Ex aduer-
f Rhod. l. ſo laudantur Lucani, quibus lege (*f*) ſancitum eſt, ne quis Sole occaſo di-
19. c. 26. uertentem hoſpitem exigeret: quod ſi feciſſet, [*KAKOXENIAS*,] in-
hoſpitalitatis agebatur reus; atque eo nomine mulctam ſoluere, prorſus neceſſum erat. Plutarchus in Conuiuio ſeptem ſapientum inducit Periandrum ea dicentem, *Equidem laudo, amici, ciuitates earumque Rectores, qui hoſpitibus primum, deinde ciuibus vacant*: & mox vituperat id, quod tollit Ho-
g di. 16. q. 1 ſpitalitatem. Ceterum & Canonicæ Leges (*g*) commendant Prælatis of-
ficium Hoſpitalitatis. Carolus Suecorum Rex iubebat incendio vaſtari do-
h Iudic. 19 mum hominis ter hoſpitium negantis. Beniamitæ, Gabaonitæque cladem
20. 21. extremam perpeſſi ſunt non aliunde quam ex hoſpitij iure violato. Nec ob
aliud magis quam ob Hoſpitalitatem Abraham Deo ſummo dilectiſſimus
i Geneſ. 18 fuit, quem habuit contubernalem, ac tantum non conuiuam in (*i*) taberna-
culo ſuo. Quin & Ethnici veteres opinabantur, Deos peregrinorum ſpecie ad mortales non raro diuertere. Immo & Ariſtoteles inter epitheta ſummi
k cap. 7. Dei non infimum poſuit *Hoſpitalis* tum in opere de (k) Mundo, tum etiam in
l lib. c. vit. Hymno virtutis, quem clauſis hocce diſticho, vt ait (*l*) Laertius,

„ Hunc immortales meæ auctiorem reddent Muſæ memoriæ filiæ,
„ Quæ Iouis Hoſpitalis decus augere ſolent.

Ceterum inter Ciuitates omnes, quæ ius Hoſpitalitatis ad miraculum vſque coluerunt antiquitus, propoſita dubio procul habentes in animo, duæ celebrantur a Scriptoribus in Italia: Cæſenam laudat Ioannes Hollanderius in
m pag. 32. ſuo libro Prodromo de Nobilitate, ſic inquiens, (*m*) *Libet hic narrare obſeruatum ſuperiori ſeculo in Flaminia vrbe Cæſena morem meherclè memorabilem. Ibi quum publicorum diuerſoriorum nullus pene eſſet vſus; accidebat vt ſinguli illius ciuitatis Patricij ciues, quum primum hoſpitem conſpexiſſent, eundem vellent in domum ſuam recipere. Hoſpitalitatis ſtudio ita certantes, vt non raro res a rixis ad conflictum veniret. Quamobrem proſpecta fuit via, qua ſalua cuique humanitatis & hoſpitalitatis fama, homines exciperentur. Locata enim fuit in Fori vmbilico Columna, ac in ea circumfuſi tot anuli ferrei, quot eſſent Nobiles familiæ; vtque ſorte ſic omnis tolleretur controuerſia, Cautum fuit, vt ad cuius Familiæ Anulum*

alli-

alligaſſet hoſpes equum (omnes enim notis diſtincti erant) in illam familiam aut domum diuerteret. Hanc eandem laudem Foro Truentinorum, ſiue Brintanorum, (de quo (*n*) Plinius, & Blondus) attribuit Chriſtophorus Landinus, *n* l. 3. c. 15.
in expoſitione carminum illorum Dantis Aligherij Purg. cant.
„ O Brettinoro, che non fuggi via? 14.
„ Poi che gita ſe n'è la tua famiglia,
„ E molta gente, per non eſſer ria.

ait enim Landinus, *O Brettinoro. E' bel Caſtello in mezo di Romagna, poſto in monte, ſopra Forlì. Che non ti fuggi via: quaſi che dica; Che non te disfai: poi che gita ſen'è la tua famiglia: Et intende la famiglia di queſto Guido del Duca; nella quale dicono eſſere ſtati a un tempo molti huomini, e di tanta liberalità, che naſceua ſpeſſo controuerſia, quando quiui arriuauon foreſtiero; perche ciaſcuno lo voleua a caſa ſua. Il perche feciono rizzare in piazza una colonna, & intorno a quella mettere tanti Anelli, quanti erano Padri di famiglia: & a ciaſcuno conſegnarono il ſuo. E quando veniua il foreſtiero, legaua il Cauallo a uno degli Anelli: & di ſubito quello, a chi era conſegnato l'Anello, conduceua in caſa ſua tal foreſtiero, & liberaliſſimamente l'honoraua.* Nimirum imitantes morem Vidi Ducis Carpineæ, de quo paulo antea dixerat Landinus, *Guido di Carpigna fu nobile huomo di Monteferetro, al quale neſſuno fu pari in liberalità.* Quam hiſtoriam ex Landino refert ad verbum Fr. Leander Albertus in Italiæ deſcriptione, tractans de XIV. (*o*) regione, verbis ipſiſſimis, *Dice il Landino in queſto luogo, eſſer Brettenoro* *o* pag. 274.
un bel caſtello in mezo di Romagna, poſto nel monte ſopra Forlì, oue fu Guido da Prata (ch'è una villa fra Faenza, e Rauenna) con la ſua famiglia, & altre famiglie di tanta liberalità, che naſceua ſpeſſo controuerſia quando quiui arriuauano foreſtieri, perche ciaſcuno li voleua a caſa ſua. Laonde fecion drizzare in piazza una colonna, & intorno a quella metter tanti anelli, quanti erano padri di famiglia, & a ciaſcuno conſegnato il ſuo. Et quando veniua il foreſtiero, legaua il cauallo a uno degli anelli; e di ſubito quello, a chi era conſignato l'anello, conduceua in caſa ſua tal foreſtiero, e liberalmente l'honoraua. Verumenim vero, quia non eſt arbitrandum, Hollanderium ſibi fabulam confinxiſſe de Cæſenatium Hoſpitalitate mira, neque viſam hiſtoriam apud Landinum (ſi forte iunior illo fuit) a Foro Truentinorum ad Cæſenam gratis tranſduxiſſe; lubet exiſtimare vtramque hiſtoriam fuiſſe veram; ſed primam originem apud Cæſenates habuiſſe, quorum Ciuitas & opulentior, celebrior, & multo vetuſtior fuit Caſtro Truentinorum; qui morem Hoſpitalitatis Cæſenatium egregium poſtea nobili quadam æmulatione voluerint imitari, ſicut inſignem liberalitatem olim Natani ſenioris Mithridatem iuniorem imitari voluiſſe (*p*) Boccatius *p* Decam.
fabulatur: nam & ipſe Leander Cæſenam agnoſcit antiquiorem, vt puta me- l. 10. nou. 3.
moratam a Strabone libro V. & a Plinio in octaua (*q*) regione, & a Procopio *q* l. 3. c. 15.
de bellis (*r*) Gothorum agente, & a Ptolemæo de Gallia (*ſ*) Togata tractan- *r* l. 2 & 3.
te: Quin & in vita S. Mauri Cæſenatium Epiſcopi legitur, Cæſenam anti- *ſ* l. 3. c. 6.
quitus Flauiam Curuam Papiam: ſed ab Antonino dictam Curuam Cæſe- Ital. c 1.
nam: quam Volaterranus appellat Vrbem (*t*) vetuſtam; Maginus item Vr- *t* pag. 116.
bem (*u*) antiquam: Quum Forum Truentinorum, vulgo *Brettinoro*, tempe- *u* pag. 132.
ſtate Landini Caſtrum fuerit, & obſeruatu (*x*) Leandri, recens Vrbis nomen *x* pag. 274.

aſſumpſerit anno Domini MCCCLXX. ab Aegidio Dirilla Hiſpano
Italiæ Legato, qui vaſtato Foro-Pompilienſi, vulgo *Forlimpopoli*, ſedem huius
Epiſcopalem ad Forum-Truentinorum tranſtulit: Nec æuo Strabonis, aut
Ptolemæi Truentinorum vlla mentio fuerit. Quare Truentini recentiores
a vetuſtioribus celebrioribuſque Cæſenatibus Hoſpitalium anulorum ad
publicam columnam poſitorum morem accepiſſe dicendi ſunt. Et ſane ſi-
mile quid olim contigiſſe mihi videtur Athenis, a quibus conſimilem mo-
rem Alexandrini, Cyziceni, & alij multi didicerunt, hoſpites liberaliter
alendi: quum enim apud Athenienſes Prytanæum eſſet, in quo viris bonis &
de Republica præclare meritis victus quotidianus publico ſumptu præbe-
y 1. de orat. batur, vt ex (y) Cicerone diſcas; qui honos erat vel maximus. Vnde Plutar-
& 5. Verr. chus Luculli magnificentiam extollit eo maxime nomine, quod viris doctis
In Lucull. ædes ipſius Prytanæum quoddam extiterint; ait enim, *At commendanda fuit*
f. *eius & perhibenda in librorum ſuppellectilem impenſa: multos enim & eleganter de-
ſcriptos cumulauit. Erat etiam eorum vſus quam comparatio liberalior: quod biblio-
thecæ omnibus paterent, atque in adiectas ambulationes ſcholasque reciperentur om-
nes Græci, velut ad Muſarum hoſpitium diuertentes, tempusque inter ſe traducentes.
Ingrediebatur ſubinde* Lucullus *ipſe ambulationes, ac cum ſtudioſis conferebat; at-
que negotia procurantibus publica, vbi opera ipſius requirebant, erat praſto. In ſum-
ma erant conuiuium & Prytanæum Græcum omnibus Romam commeantibus eius
penates. Colebat ille quidem omnem philoſophiam* &c. Ita Muſæum menſa fuit
Aegyptia, ad quam cunctis, quos tota paſſim Aegypto celebres eruditio fa-
ciebat, aditus patebat: ita enim ſcribit Philoſtratus de Mileſio Dionyſio lo-
quens, quem ab Hadriano Imperatore adſcriptum fuiſſe Equitum ordini-
bus, & ijs qui in Muſæo alebantur, dicit: ſubiungit, *Muſæum autem, menſa
Aegyptia conuocans omnes in tota terra literatos.* Idem de Polemone ſcribit,
quod illum Hadrianus *Adlegit circulo Muſæi vt Aegyptiaco more illic aleretur.*
Ex quibus aperte colligitur, Muſæum apud Aegyptios fuiſſe, quod ferme
apud Athenienſes Prytanæum. Hæc Adagiographus. De Prytanæo quo-
a l. 13. c. 32 que Rhodiginus ita, (a) *Tholus, ſi paroxytonon fuerit, orbicularem ſignat do-
mum, in qua epulari Prytanes conſueuerant. Et ſi cui quotidianus in Prytanæo ci-
bus fuiſſet decretus, honeſtiſſimum in Græcia cenſebatur. Tholum rotundum co-
lumnatum legimus apud Varronem Prytanæum dicebatur proprie, quod in ea triti-
cum ſeruaretur, quod dicunt Græci* [PYRON,] *quaſi* [PYROY TAMIEION.]
*Autor Plutarchus eſt, Cimonem Athenienſem liberalitatis animi prealti, domum
ſuam ciuibus feciſſe* [PRYTANEION KOINON,] *id eſt publicum Pryta-
næum* (Xilander vertere voluit, Cœnationem publicam) *quoniam munifice
illos epulo identidem exciperet, vt volentibus pateret perpetuo.* Sed præſtat inte-
gram Plutarchi ſententiam referre, quæ ſic habet, *At hic* (de Cimone loqui-
tur) *ædes ſuas pro publico Prytanæo aperiendo, & ruri fructus tempeſtiuos capiendos,
ac quæcunque anni tempora gignunt bona fruenda ſumenda peregrinis præbendo, quaſi
fabuloſam illam, quæ Saturni regno fuit, rerum communionem in orbem reduxit.* Per-
git Rhodiginus. *Ab eodem* Plutarcho *mandatum memoriæ ſcimus, ſtructis ab Lu-
cullo numeroſis bibliothecis, quæ adeuntibus paterent ſemper, domum eius habitam*
[OLOS ESTIAN KAI PRYTANEION ELLHNIKON.]

(*i. omnino larem & Prytanæum Græcum.*) Faciunt & ad propoſitum noſtrum,
quæ ſubdit illico Cælius, *Adnotandus parte hac error Interpretis Plutarchi in De-*
moſthene: nam quum ita Græce ſcriptum comperias, [KAI TON PRESBYTA-
TON EPSYPHISATO TON APO TOY GENOYS EN PRYTANEIO
SITHSIN ECHEIN.] Ipſe ſic Latinitate cenſuit donanda, Decretum a populo
eſt, vt maximus natu generis eius publice ſtipendia acciperet: Ego autem eo verbo
[SITHSIN,] non ſtipendia intelligo, ſed alimenta verius. Cicero quoque in
(*) Verrem, Nizolij notatu, infit, *Prytanæum publica domus eſt, in qua viri de Re-* * act. 5.
publica benemeriti publice alebantur: ad cuius imitationem alterum erat in Sicilia, in
Vrbe Acradina ornatiſſimum. Apud Liuium de Perſeo Rege lego, (b) *Cyzici in* b lib. 41. 20.
Prytanæum, id eſt penetrale Vrbis, vbi publice, quibus is honos datus eſt, veſcuntur, ab V. C.
vaſa aurea menſæ vnius poſuit. Athenæus iiſdem ait, (c) *Cœnabant autem quo-* 575.
tidie ij, qui in Prytanæo verſabantur, moderatas cœnas, tenuitatibusque ſalubres: ad c lib. 5. c. 1.
quod Sympoſium teſtatur Demoſthenes vniuerſam Elateæ aſſumptionem ſublatam
fuiſſe: Veſperi enim quiſpiam nuncians ad Prytanenſes accedebat, quod Elatia aſ-
ſumpta fuiſſent. Cælio quoque, (d) *Apud Eleos in Prytanæo Heſtiatorium fuit,* d l. 13. c. 17
ſiue cœnaculum, vbi Olympionicas conuiuio excipere, moris fuit. Idem, *In uerio,*
inquit, (e) *in Græcorum theſauris, Naucratitas in Prytanæo conuiuia ſolitos agitare* e l. 16. c. 10.
in genethlijs, hoc eſt natalitijs Veſtæ, quam Prytanitida dicunt; nec non in Cenæi
Apollinis Panagyri, ſtolis inautos candidis, quas etiamnum veſtes nuncupant Pryta-
nicas. Iulius Pollux (f) in Prytanæo dicit Aram eſſe, vbi æternus ignis in- f lib. 1. c. 1.
cenditur. Obſeruatione dignum eſt, in Prytanæo duas hominum claſſes ali
ſolitas, Magiſtratum, qui Iudices frugaliter alebantur: & homines alios do-
ctrina claros, vel aliter de Republica benemeritos, qui lautiori victu dona-
bantur. De prioribus (g) Athenæum egiſſe vidimus; de quibus & Rhodiginus g l. 5. c. 1.
ita, (h) *Dignum ſitu: Prytaniam, id eſt [PRYTANEIAN,] dici Græcis imperium* h l. 8. c. 1.
dici, quum in orbem inter plures digeritur imperandi viciſſitudo. Hinc Herodotus:
Miltiades, inquit, non prius congredi ſtatuit, quam ipſius aduenit Prytania. & mul-
to poſt, (i) *Illud modo adieciſſe contentus: pecuniam apud Græcos ab actore ac reo* i l. 12. c. 21.
conſtituendi gratia iudicij contributam depoſitamque, prytanea nuncupari; quæ a
Romanis Sportulæ ſignatur nomine. Ceterum qui ſuccubuiſſet, omnia reſoluebat:
ea vero in publicum cedebant, aut iudicum mercedem. Ex quo & ipſas iuris dicun-
di ſtationes, theſes quandoque appellatas legimus. Prytanæorum meminit Iſocrates
ad Callimachum. De ijſdem pariter, & de poſterioribus idem paulo poſtea
dicit, vt vidimus, (k) *Nam tholus ſi paroxytonon fuerit, orbicularem ſignat domum,* k l. 13. c. 32
in qua epulari Prytanes conſueuerant: &, ſi cui quotidianus in Prytanæo cibus fuiſ-
ſet decretus, honeſtiſſimum in Græcia cenſebatur. Et Caſaubonus l. 5. c. 2. in Athen.
[OI PERI PRYTANIN,] non ſunt, qui in Prytanæo alebantur, vt putarunt: ſed
ſummus Prytanis cum ſuis Collegis & adſeſſoribus, qui Remp. curabant. Frugalita-
tis autem Prytanum iudicum idem antea meminerat, inquiens, (l) *Seruatum* l lib. 7. c. 11
vero Athenis Græci tradunt antiqui victus exemplum, cum Dioſcuris in Prytanæo
apponeretur prandium: menſis enim inferebatur caſeus, ac phyſte: eſt autem conomi-
re, mazæ ſpecies: Oliuæ quoque, quas drypetes vocant: item porrum. De luxu ve-
ro menſæ doctorum apud Antiquos in Prytanæo Scaliger in Epiſtolis ait,
(n) *Parœdia eſt ex Timonis Sillis, qui [MOYSEION TON ALEXANDREON* m epi. 294.

TALARON] (Muſæum Alexandrinorum Calathum) *vocat, Qualum, quaſil-
lum ve cuiuſmodi, in quo Gallinæ ponunt oua, aut incubant: quia Gallinis incubanti-
bus longè tibus obſtipari ſolet.* *Inde* [*TO MOYSEION*] (Muſæum) *poeta
ille inordiax* [*TALARON*] (Qualum, aut Calathum) *vocauit, in quo Sophi-
ſtæ, grammatici, poetæ, & id genus homines opimis honorarijs, quæ à Ptolemæis
percipiebant, alebantur.* Quod & non diffitetur Cælius, addens ſuperiori-
n l.7.c.11. bus, (n) *Menſa vero Aegyptia cuiuſmodi foret* (*nam neque hoc ab propoſito diſſen-
taneum eſt*) *ex Philoſtrati verbis licet coniectare in Dionyſio ſophiſta, quem ab Ha-
driano Imperatore illis inſertum tradit, qui in Muſæo paſcerentur. Muſæum vero,
inquit, menſa Aegyptia, conuocans omnes in orbe terrarum eloquentia illuſtres. Ad-
notatum in Græcis autoribus, democraticam vocari menſam, quæ ſumptu modico plu-
res alat, cuius fuit modi Athenienſis Cimonis. Satrapicam vero, quæ im enſa nimia*
[*OLIGOYS TRYPHONTAS*] *id eſt paucos admittat delicijs diffluentes, qualis
viſebatur Lucullea.* Ceterum de Prytanenſium Magiſtratu fuſe Suidas, &
o 5. polit. Ariſtoteles in (o) Politicis. Vbi [*PRYTANIAN MILHTOY*,] Prytaniam Mi-
c.5. leti verſam in Tyrannidem obſeruat: & alio loco, (*) [*KALOYSI D' OI
* 6. polit. MEN ARCHONTAS TOYTOYS, OI DE BASILEIS, OI DE PRYTA-
c.vlt. NEIS*,] *vocant autem eos, qui illis præſunt, alios quidem Reges, alios vero Pryta-
nes.* Caſaubonus etiam in Athenæum l. 15. c. 19. notat habuiſſe Prytanæum
Tarentinos, Corinthios, Rhodios, Mileſios, Tenedios, Argiuos, Siphnios,
Thaſios, Ereſios, Mytilenæos, Cyreneos, Naxios, Epheſios, Eleates, &
Naucratitas. At in Prytanæo, vt duo virorum genera conuiuijs excipieban-
tur tum Prytanes vocati, qui Magiſtratus erat Reipublicæ pro tempore præ-
fectus: tum etiam viri clari, qui in Prytanęo ſemper alebantur publico ſum-
ptu: ſic illi Prytanes agitare ſolebant conuiuia modeſta, & ſuis ciuitatibus
ſalutaria; quod æuo noſtro fieri quoque teſtatur Caſaubonus Argentinæ, &
in alijs pleriſque Germaniæ Ciuitatibus: in quibus annui Conſules in loco
publico ſingulis diebus prandent. At viri docti, & benemeriti totam vitam
in Prytanæo, & lautius alebantur publico ſumptu; ſicut Athenæus, Heſy-
chius, Caſaubonus, & iunior Scaliger conteſtantur. Si ergo laudantur Lu-
cullus, Alexandrini, Cimon Athenienſis, Acradina Siciliæ Ciuitas, Cyzice-
ni, Eleates, & alij multi, quod omnes ad imitationem Athenarum, Pryta-
næum, atque Muſæum inſtituerint, locum in quo viri præclari ſplendidius
alerentur hoſpites: iam facile fuit ad imitationem Cæſenæ Ciuitatis anti-
quioris & illuſtrioris olim Caſtrum Truentinorum recentioris originis, &
inferioris conditionis, æmulam columnam Anulorum Hoſpitij ſimiliter in
Foro poſterius erexiſſe. De vetuſtate quidem Vrbis Cæſenæ multa ſuperius
attulimus Claſſicorum teſtimonia, quæ leuiter tacta, planius hic referenda
p l.3.c.15. videntur: Sane Plinio (p) *Caſena opidum* in eodem capite dicitur, in quo &
Rauenna Sabinorum opidum appellatur. Mox agenti de vinis generoſis, plu-
q l.14.c.16 rimum celebrantur naſcentia *in mediterraneo* (q) *Caſenatia ac Mecœnatianæ*.
Antoninus Auguſtus in Itinerario Prouinciarum Cæſenam ponit inter Ci-
uitates, dicens,

*Per Picenum & Campaniam ad Columnam idem Traiectum Siciliæ ducit
M. P. DCCCCLVI. ſic*

A Me-

A Medielano Laude Ciuitas M.P.XVI.
Placentia Ciuitas M.P.XXIIII.
Fidentiola Ciuitas M.P.XXIIII.
Parma Ciuitas M.P.XV.
Regio Ciuitas M.P.XVIII.
Mutina Ciuitas M.P.XVII.
Bononia Ciuitas M.P. XXV.
Foro Corneli Ciuitas M.P.XXIIII.
Fauentia M.P.X.
Caſena Ciuitas M.P.XXIIII.
Ariminum Ciuitas M.P.XX.
Piſauro Ciuitas M.P.XXIIII.
Senogallia Ciuitas M.P.XXIII.
Vltra Anconã milia plus minus quatuor

& mox,

Item ab Arimino Caſena Ciuitas M. P. XX.
Fauentia Ciuitas M.P.XXIIII.
Foro Cornelij Ciuitas M.P X.
Bononia Ciuitas M. P. XXIIII.
&c.

Ptolemæo, (r) *Gallia verò Togata ipſis ſubiacet montibus, Rauennam vſque produ-* r l.3.tab.6.
cta, habetque Ciuitates has, Eur. Ital.
cap.1.

Placentia	31.	20.	43.	30.	*Bononia*	33. 30	43.	30.
Fidentia	31.	40.	43.	30.	*Claterna*	33. 50.	43.	30.
Bruxellum arx	32.		43.	10.	*Forum Cornelij*	34. 15.	43.	30.
Parma.	32.		43.	30.	*Caſena*	34. 40.	43.	40.
Regium Lepidum Colonia	32.	30.	43.	30	*Fauentia*	35. 20.	43.	30.
Nuceria	32.	30.	43.	20.	*Forum Liuij*	33. 30.	43.	40.
Tanetum	33.	20.	43.	40.	*Tuſcorũ mediterranea Ciuitates hæ ſunt,*			
Mutina	33.		43.	40.	*Biracellum*	31. 45.	43.	10. &c.

Vbi nulla mentio Fori Truentinorum; quum tamen paulo prius Truenti fluuij mentio facta ſit. Henr. Stephanus in Onomaſtico Geographico ponit, *Truentum, fluuius Picenorum, de quo Ptol. l.3. c.1. Druentum per D legit.* Sed in meo codice per T lego *Truentum*. Ex quibus apparet, æuo Ptolemæi non extitiſſe Forum Truentinorum vllo modo, quando iam celebris Vrbs erat Cæſena. Straboni, (ſ) *tum Fauentia ac Caſena ad Iſatin fluuium & Rubiconem; iam Arimino appropinquant.* ſ lib. 5. Ita legitur in codice Pariſijs edito cum adnotationibus eruditiſſimi Caſauboni, Codicum omnium emendatiſſimo; quum exemplaria Baſileæ prius edita corruptum habeant hunc locum, & in errorem traxerint Claramontium. Sic ergo multo vetuſtior eſt Cæſenę Ciuitas, cuius meminere Ptolemæus, Antoninus, atque Strabo, qui nullam Fori Truentinorum mentionem habuere. Qua ratione conſtituendum eſt, antiquum morem Anulorum Hoſpitalitatis appoſitorum columnæ in medio Foro locatæ, deſumpſiſſe Truentinos a Cæſenatibus, non autem Cæſenates a Truentinis. Quod etiam a maiori celebritate Cæſenatium ſupra ſplendorem Truentinorum neceſſario colligitur; etenim Cęſenę Ciuitas vt antiqua, *Caſena public. Gymn.* ſic ab antiquo ſemper illuſtris, & inſignis fuit: in qua publicum adhuc eſt omnium diſciplinarum Gymnaſium, omni tempeſtate præclaris ornatum *a* Frã.med. cultumque Lectoribus: inter quos (*a*) Rotæ, (*b*) Valentini, Albitij, Maſſini, *b* Theol. Braſchi, Arcani, Martinelli, & alij plures: Collegium, ampliſſima facultate *Collegium.* præditum promouendi Doctores tam in vtroque Iure, quam in Philoſophia *Academia* & Medicina: celeberrima Offuſcatorum Academia ſuauioribus Muſis egregie canens: *Offuſcat.* inſtructiſſima Bibliotheca ad D. Franciſci, famigerabilis apud *Bibliotheca.* Hiſtoricos: antiquiſſimum Haſtiludium quotannis edi ſolitum ab equitibus *Haſtiludiũ.*

gra-

grauis armaturæ, veri belli ſpecimen atque pars, non imago ſimulata; quod ob occurſus nimium periculoſos, non ita pridem moderari neceſſum fuit, lanceis attenuatis ad confractionem in ictu non adeo difficilem: Nundinę tota prorſus Italia per integrum menſem Auguſti ſingulis annis frequentiſſimę. Quam publicam celebritatem nullo non tempore conſeruare, quin & augere ſtuduerunt viri Ciues plurimi tum dignitatibus tam Eccleſiaſticis, quam ſecularibus inſignes: tum armorum gloria pręſtantes: tum Iuriſprudentia, moralibus actionibus, politicisque negocijs pręclare geſtis eminentes: tum Philoſophiæ, ceterisque liberalibus diſciplinis admirabiles: tum etiam antiquæ Hoſpitalitatis fama conſeruata memorabiles. Nam vt veneror inclytas familias, Guidiam a Balneo, Malateſtam, Maſſinam, Ambronam antiquiſſimas, & complures alias viris omni virtutum genere florentiſſimas; ita ſane non ſuſpicere nequeo ſemper & in ſtirpe Mazzoua Iacobum illum, famigeratiſſimum Danthis Aligherij defenſorem, omnigena cumulatiſſimum doctrina & eruditione, ac in Dandina (præter Eminentiſſimum Cardinalem Hieronymum, & Herculem huius pronepotem, viros omni laude maiores) alterum in Soc. Ieſ. Hieronymum, Ariſtotelicæ Philoſophiæ peritiſſimum; quorum ſane duum literatorum Heroum veſtigia non preſſa leuiter in templo gloriæ ad exigui prædicationem temporis, at fixa firmiter ad memoriam omnium æternam, hoc æuo perſequi videntur, ad patrem celebritatem egregio conatu certatim anhelantes viri multiplici doctrina, & eruditione ſpectabiles, (c) Ambronij, (d) Roiæ, (e) Claramontij, & alij. Quos inter poeſi claros elucet Io: Baptiſta Ambronus in ſua Melpomene Offuſcata recens edita: in qua tamen doleo mihi non autori poematij gratis adſcriptum fuiſſe ſecundum illud *Epigramma, Dum te aliosque facis* &c. quod nunquam e meo calamo defluxit: habeat ſuum id ſibi carmen verus autor, nec meo nomine fucum Lectori faciat: ſi mendum ſit in alieno nomine, cognomineque, corrigatur, nec meum alterius loco ſubſtituatur. Sed inter Dandinos Anſelmus Hoſpitalitatis fama cluet, qui non ita pridem proprio ſumptu ſplendidiſſimis hoſpitijs ad Portum Cæſenaticum excepit Summum Pontificem Clementem Octauum cum vniuerſa Romana Curia, proficiſcentes ad aſſumendam poſſeſſionem Ducatus Ferrarienſis, poſt obitum Sereniſſimi Ducis Alphonſi, ad Eccleſiæ ditionem deuoluti, extincta linea Feudi. Vt nunquam intermortuus videatur Vrbis Cæſenæ ſplendor antiquus Hoſpitalitatis. Quare tantæ Ciuitatis decora, ſpeciatimque gloriam Hoſpitalitij ſplendoris olim imitari, ac tantum non æmulari, laudi ſibi ducere potuit Forum Truentinorum in publicæ columnæ poſitis Anulis ad Hoſpitij priuati ſortes. Verum enimuero non ſatis Cæſenati cuipiam probare videtur Landinus ex loco Danthis, & ex Landino Leander Hoſpitalitiam illam columnam plures Anulos diuerſarum familiarum habentem, quæ certatim Hoſpites ad ſe ducere contendebant ad Forum Truentinorum attinere, melius Hollanderius eam ad Cæſenæ Ciuitatem refert: namque Cæſenatium plures fuere familiæ ſplendidæ, Truentinorum vnica celebratur Guidi Ducis a Carpinea, ſiue a Prata, Landino citata. Immo vero non ab re forte quis exiſtimauerit, Landinum a veritate deuiaſſe, quam optime

te-

Nundinæ.

c Io: Bapt.
d Franc.
e Scipio.

tenuit Hollanderius in propoſito; namque Danthes apud Truentinos vnicam familiam liberalitate conſpicuam celebrat; quam ipſe Landinus memorat Guidiam; at vero columna vetus Hoſpitalitios anulos habuit multarum familiarum de liberalitate certantium; quum in vna familia nulla potuerit eſſe diſcordia de Hoſpitibus recipiendis: in vrbe vero Cæſena multæ fuere familiæ nobiles diuerſi generis, inter quas contentio de recipiendis hoſpitibus eſſe potuit. Ceterum habuere Veteres in propria cuiusque domo locum ſeparatum pro peregrinis hoſpitibus excipiendis, quem Hoſpitale diuerſorium appellabant: nunc apud Monachos tantum, religioſorumque conuentus tale quid habetur, quod Italice vocatur La *Foreſteria*: verſus Anaxandridæ ſunt hac de re, apud (*) Athenæum, *l.2.c.9.

„ Seni confeſtim ſtratum eſt triclinium:
„ Conuocati qui tibia lyraque canerent:
„ Hoſpitale diuerſorium aperi: verre domum:
„ Sterne lectos: ignem accende luculentum: tolle poculum:
„ Vinum miſce ſuauiſſimum.

& inferius addit Athenæus, (f) *In Creta vbique ſunt deſtinata conuiuijs cœnacula duo: alterum* [ΑΝΔΡΕΙΟΝ] *nuncupant* (ſcilicet virorum domeſticorum conclaue) *alterum in quo dormiunt peregrini & hoſpites, hoc Cœmeterium appellant:* (Id nominis noſtri religioſi tribuere loco, in quo mortui ſepulti ſunt, veluti dormientes, vltimam diem ad reſurgendum expectantes.) *In domus ea parte, vbi epulantur, menſæ duæ ſtatuuntur: hoſpitales vocant, in quibus externi ſedent homines, ſi qui forte adſunt: poſt illas ſunt aliorum conuiuarum menſæ*; & adhuc infra, (g) *Conuiuium autem, quo accipiuntur hoſpites, quale eſſe debeat, oſtendit Lycia Rex, excepto magnifice Bellerophonte*; nam Homeri (h) teſtimonio f l.4.c.9.& 19. g l.5.c.1. h Iliad. ξ

„ Nouem diebus apud illum hoſpitatus eſt: nouem ille boues mactauit.

Videtur autem vinum ad conciliandam alliciendamque amicitiam vim quandam habere: vt quod animum diffundat, & calfaciat. Quamobrem non antea qui eſſent, rogabant, quam bibiſſent: ſed guſtato iam vino, hoſpitij ius & fidem honorantes potius, quam priuatim hoſpites ſingulos. Itaque veluti ſacram iure rem, hoſpitium colebant antiquiores, vt pote proprium humanitatis officium naturale; quod homo natura ſit animal ſociabile, vt ait (i) Ariſtoteles. Hoſpitalis autem teſſera quid fuerit non ita conſtat; moris etenim antiqui fuit, teſſeram dari hoſpitibus dimidiatam, quam quicumque attuliſſet ad hoſpitem continuo agnoſci poſſet, & hoſpitio accipi, tanquam amicus & vetus hoſpes: hoc autem ius neceſſitudinis ad poſteros tranſibat: propterea teſſeram hoſpitalem diligenter aſſeruabant. Plautus in (k) Pœnulo, Pœnum & Agoraſtoclem ſic inducit, i 1. polit. c.2. k act. 5. ſc.2.

„ *Pœ.* Verum ego hic vnum hoſpitem habeo Antidamæ filium.
„ Quæſo commonſtres, ſi nouiſti Agoraſtoclem.
„ *Ag.* Ecquem adoleſcentem tu hic nouiſti Agoraſtoclem?
„ Si quidem Antidamarchi quæris adoptaticium
„ Ego ſum ipſus, quem tu quæris. *Pœ.* Hem quid ego audio?
„ *Ag.* Antidamæ gnatum me eſſe. *Pœ.* Si ita eſt, iam teſſeram
„ Confer, ſi vis, hoſpitalem: eccam attuli.

Ag.

„ *Ag.* Agedum huc oſtende : eſt par probe : nam habeo domi.
„ *Pæ.* O mi hoſpes ſalue multum, nam mihi tuus pater,
„ Pater tuus ergo mihi hoſpes Antidamas fuit.
„ Hæc mihi hoſpitalis olim teſſera cum illo fuit.
„ *Ag.* Ergo hic apud me hoſpitium tibi præbebitur.

Qui vero ius hoſpitij violabat, nempe qui ſibi reditum in domum hoſpitis aliqua ex cauſa præcluſit, is teſſeram hoſpitalem confregiſſe dicebatur. Sic
l act.2.ſc.1. in (*l*) Ciſtellaria Plautus Alceſimarchum adoleſcentem a lena Meleni domo ponit excluſum.

„ *Al.* Periurare me patiere? *Me.* atque quam me, aliquanto facilius,
„ Meamque rem perire, & ludificari filiam.
„ Abi quærere vbi tuo ſatis ſit ſubſidij,
„ Hic apud nos iam Alceſimarche confregiſti teſſeram.

Quæ quidem teſſera, vt multiplex alia potuit eſſe res dimidiata, quæ non apte niſi cum ſua compare conueniret; ita nihil iam prohibet fuiſſe dimidiatum anulum cum dimidiata funda certis cælata, ſculptave figuris itidem dimidiatis, quæ ſola iunctura comparis palæ poſſent integrari. Non obſcure
m 1. hiſt. c.54. certe videtur id indicare Tacitus inquiens, (*m*) quod *Miſerat ciuitas Lingonum, vetere inſtituto, dona Legionibus; dexteras hoſpitij inſigne*: num hoc inſigne fuerunt anuli, dexteras ſe ſe complectentes funda retinentes? id anulorum genus apud antiquos non infrequens fuit. Ceterum occaſione dictorum de Cæſenæ ſplendoribus, non ab re fuerit ea breuiter expendere, quæ in eius decorem nuperrime ſcripſit eximius eiuſdem Ciuis Scipio Claramontius; is enim hiſtoriam Cæſenæ contexens, inter eius decora præcipuum poſuit, quod ædificata fuerit in Vmbria pridem a Gallis Senonibus, a quibus primo Sena nominata fuerit, & illorum Regia habitata; poſtea diruta & exciſa, tandem reædificata dicta fuerit Cæſa Sena, & per ſyncopen Cæſena. Quæ quidem vt voluntarie dicuntur, ita nulla veterum autoritate ſolide firmantur. Nec indiget Vrbs antiquiſſima falſis Encomijs; immo vero derogat hoc illius antiquitati; quum enim per excellentiam audiat vrbs antiqua, & vetuſta ciuitas; quod attributum Romæ non conceditur; iam videtur ante Romam condita: proptereaque non a Senonibus, qui poſt Romam conditam primum in Italiam Alpibus traiectis irruperunt. Quin etiam quum a Tuſcorum Rege fuerit ampliata, non potuit ædificari primum a Senonibus, qui Tuſcos ex Vmbria poſtea pepulerant; vt infra patebit. Deinde vero Cæſena fuit in ditione Gallorum Boiorum, vt aperte poſt Leandrum, & Vola-
n pa. 122. terranum, vel ipſe (*n*) Scipio conteſtatur; Boij vero diuerſa gens fuit a Senonibus, & diuerſam in Italia regionem occupauerunt; vt apparet ex hiſtori-
b l.3.c.14. 15. cis; nam Plinius (*b*) agens de ſexta, & octaua regione; quum poſuiſſet Senones in ſexta, vbi eſt Senogallia, & Boios in octaua, vbi collocat Cæſenam;
c cap. 15. vtriuſque regionis tractum epilogo complens, in fine ſcribit, (*c*) *In hoc tractu interiere Boij, quorum Tribus CXII. fuiſſe autor eſt Cato. Item Senones, qui ceperunt Romam.* Strabo ſimiliter Boios a Senonibus diſtinxit, inquiens,
d l. 4. (*d*) *Hos ego Venetos exiſtimo Venetiarum in Adriatico ſinu eſſe Autores, (quando reliqui etiam fere omnes Galli, qui in Italia ſunt, ex tranſalpinis eo immigrauerunt*

re-

regionibus, vt Boij, & Senones) cum Paphlagonibus. & clarius infra, (*e*) *Cir-* *e* l.5.
ca fluuium autem illum (Padum ſcilicet) *quondam, vt dixi, Galli habitabant plu-*
rimi: quorum maxima gentes Boij & Inſubres, et qui Romam aliquando ſubita incur-
ſione ceperunt, Senones cum Gæſatis: Hos quidem poſtea temporis deleuerunt Romani:
Boios autem ſuis domicilijs exterunt. & mox, *Intra Padum continetur quicquid*
cingitur Apennino & Alpibus vſque ad Genuam & Sabatios, obtinuerunt quondam
Boij, Ligures, Senones, & Gæſata maximam partem. Poſtea pulſis Boijs, & Senoni-
bus Gæſatisque deletis, ſuperfuerunt Liguſtica gentes, & Colonia Romanorum. In
hac eadem Italiæ parte Boios a Senonibus diſtinctos ponit Polybius aiens,
(*f*) *Vltra Padum circa Apenninum primi occurrunt Anianes, deinde Boij: poſt illos* *f* l.2.c.17.
verſus Adriam Aegones: poſtremi omnium ad mare Senenes., & infra. (*g*) *Boij,* *g* cap. 20.
vt excidiſſe patria Senones vident, metu ſimilis fortuna, omnibus ſuis, qui arma ferre
poterant, Etruſcis etiam aduocatis, aduerſus Romanos proficiſcuntur. Sic ergo
Boij diſtincta gens fuit a Senonibus, & diſtinctas ab eis obtinuit Sedes in
Italia: quum autem Cæſena fuerit in regione Boiorum, vt ipſe Cl. Scipio
(*h*) dicit, Senæ Boiorum mentionem faciens, quam Cæſenam ponit: & *h* pag.121.
ante illum (*i*) Leander, & ante vtrumque (k) Volaterranus; quin & (*l*) Pli- *i* pag.301.
nius eam collocans in octaua regione a Boijs poſſeſſa. Neceſſario colligen- & ſeqq.
dum eſt Cæſenam a Senonibus non poſſeſſam, nec ædificatam, nec denomi- *k* lib. 4.
natam fuiſſe vllo vnquam tempore Senam. Deinceps neceſſitatem non ha- *l* lib.3.c.15
bet vllam, neque momentum, quod Cl. Scipio ſcribit de mutatione nominis
Senæ in Cæſenam, aſſerens, (*m*) *Acceſſio forte, & exciſio Senæ nouo nomini acceſſio-* *m* l.4. init.
nem præſtitit, quaſi ſcilicet Caſa Sena tum diceretur, in Cæſenam dua voces coalue-
rint: quia contra veterum omnium autorum teſtimonia, Senam Senogal-
liam declarantia, ſola dubitatio, & voluntaria neoterici ſententia, nihil ha-
bet roboris in propoſito. Certe longe ſecus rerum denominationes fieri do-
cuit Ariſtoteles, quam dempta media ſyllaba; nam ſolum poſtrema variata
res denominari poſuit; dum infit, (*n*) *Denominatiua vero dicuntur, quacumque* *n* præd.c.1.
ab aliquo, differentia caſu, ſecundum nomen habent appellationem: vt a grammatica
grammaticus, a fortitudine fortis: ita a Romulo Roma, & a Senonibus Gal-
lis, Senogallia (*o*) Plinio, Sena-gallica (*p*) Ptolemæo, Senogallia (*q*) Anto- *o* l.3.c.14.
nino, & ab iiſdem Senonibus Sena Silio, Liuio, Polybio, Straboni. Cæſena *p* l.3.
vero, quæ Boiorum fuit, non a Senonibus denominari potuit, ſed a flumine, *q* Itin.
ſeu torrente Cæſio, qui per eam fluit, denominationem habuit; vt antiquior
eius poeta Tibertus eo diſticho cecinit,

Vrbs Cæſena mihi Patria eſt, quam diuidit vnda
Cæſis, & a patrio flumine nomen habet.

Quos verſus mutilauit callide Cl. (*r*) Scipio, veram denominationem, vt pu- *r* l.4.p.133
ta ſuum commentum refellentem, occultans. H. Stephanus conſimilem de-
nominationem ponit, aiens, (*ſ*) *Cæſena Vrbs Flaminia prouincia, a cadendo dicta,* *ſ* onom.
quod exiguo amne caſa, ideſt, diuiſa ſit: vel quod ager eius duobus fluminibus, Sapi, geogr.
& Rubicone ſit diuiſus. Mihi tamen potior eſt Tiberti denominatio a fluuio
Cæſi, qui nunc etiam *Ceſuola* ſiue *Ceſaula* nuncupatur. Inſuper id etiam ſa-
tis oſtendit, Cæſenam non dictam fuiſſe Senam ab ortu ad ſui excidium,
deinde Cæſenam, quaſi Cæſam Senam, poſt eius reſtaurationem; quod nun-

quam alijs nominibus appellata fuiſſet; nam cur antiquum Ciuitatis nomen, vt in Diui Seueri Vita legitur, fuit Flauia Curua Papia tempore Sanctiſſimi eius Epiſcopi, ſicuti Cl.(t) Scipio teſtatur? ſi quidem, vt(u) ipſemet ait multum probabilitatis habere, hoc nomine nuncupata fuit eo tempore, quo ſub imperio Tuſcorum erat, antequam Galli Senones hanc partem Italiæ poſſiderent; ergo Cæſena vetuſtior fuit irruptione Gallorum in Italiam, adeoque non fuit a Gallis ædificata. Sed & voluntariæ Cl. Scipionis aſſertioni de Cæſenæ prima origine ac denominatione a Gallis Senonibus, anteponendum eſt vetus manuſcriptum, de quo vel ipſe meminit, inquiens, (x) *Quocirca multum probabilitatis accedit manuſcripto cuidam noſtrati, quod refert a Duce quodam Tuſcorum conditum hic Opidum fuiſſe. Quod poſtea Flauius Papius Tuſcorum Rex miſſa huc Colonia ampliauit; a ſeque Flauiam Papiam nominauit.* Sic ergo Cæſena multo ante Senonum aduentum in Italiam condita, Curuæ nomen habuit, quod in valle ſitum obtinens, figuram Curuam obtineret; vt etiam Cl. (y) Scipio notauit: deinde quod a Flauio Papio Tuſcorum Rege coloniam habuerit, & ampliata nomen ab eo ſumpſerit Flauia Papia: Denique vero a paruo flumine, ſiue torrente Cæſio, quo interſecatur, Cęſena dicta fuit vſque in hodiernam diem. Quin & eiuſdem Cl. Scipionis obſeruatu, (z) *Sunt qui Cameſenam a Cameſe dictam aſſeuerent, poſtea nomen, vt in ſeculorum diuturnitate contingit, in Cæſenam duabus ſubtractis literis contractum ſi* vt Annio placuit. Quæ nominis origo vetuſtiorem quoque Cęſenam facit aduentu Senonum in Italiam. Quam ſane vetuſtatem, & inde prodeuntem Patriæ ſuæ nobilitatem videtur eripere Scipio, dum ab Etruſcis vere conditam, vult a Senonibus poſt Etruſcorum expulſionem primum ædificatam fuiſſe. Ceterum Senones non Cęſenam ſub nomine Senæ, ſed Senogalliam nunc appellatam condidiſſe, regiamq. ſedem habuiſſe, veteres omnes hiſtorici conteſtantur, hocce Cl. Scipionis commentum apertiſſime refellentes: inprimis quidem in emendato codice Pariſienſi Strabo, Caſauboni probatione, contempto Baſileenſi mendoſiſſimo, legitur, (a) [*PHAYENTIA DE KAI KAISHNA PROS TO ISAPI POTAMO, KAI TO ROYEICONI HDH SYNAPTOYSI TO ARIMINO.*] ideſt, vt vertit Caſaubonus, *tum Fauentia ac Cęſena ad Iſapin fluuium & Rubiconem, iam Arimino appropinquant.* Ex quo loco Strabonis habemus non ſolum *Cæſenam* proprio nomine dici, non autem *Senam*, neque [*SINAN*,] *Sinam*, vt in Baſileenſi codice legitur: ſed etiam Cæſenam ad Iſapin fluuium & Rubiconem Arimino propinquam eſſe, ſcilicet in ditione Boiorum, non autem Senonum, nimirum in Gallia Togata (b) mediterranea, quam poſſedere (c) Boij, non autem in maritima, quam tenuere (d) Senones; adeoque Cæſena non fuit Sena pridem a Senonibus condita, & denominata. Deinde Strabo dicit, Caſauboni verſione, *Etruria, qua parte ortum Solis ſpectat, Vmbria adiacet, & ab Appenino, atque etiam vlterius ab Adria vſque incipit. Nam a Rauenna Vmbri propinqua tenent, ac deinceps Sarſinam, Ariminum, Senam, Camarinum: ibi eſt & Aeſis fluuius, & Cingulus mons, Sentinum, Metaurus fluuius, Fanum Fortunæ. Nam circa hæc loca limes eſt antiquus Italiæ & Galliæ ad huius maris partes: quanquam is limes ſæpe eſt a Magiſtratu mutatus. Primum Aeſim fluuium limitem eſſe voluerunt, deinde Rubico-*

t l. 4. p. 155.
u ibid.
x ibid.
y pag. 133. 134.
z pag. 156.
a lib. 5.
b Pli. l. 14. c. 16.
c Volat. l. 4
d Polyb. l. 2. c. 17.

biconem. Aeſis inter Anconam eſt, & Senogalliam: Rubico inter Ariminum, & Rauennam: ambo in Adriaticum mare effluunt. vnde ſatis aperte deducitur Senam Strabonis non eſſe Cęſenam, ſeu Senogalliam: in primis enim enumerans Vmbriæ loca, quæ a Rauenna protenduntur vſque ad Aeſim fluuium in litore maris, ab occaſu ad ortum tendens; dumque a Rauenna ponit Sarſinam, Ariminum, Senam, Camatinum, vbi eſt Aeſis fluuius: Senam collocat inter Ariminum & Aeſim fluuium, eamque facit orientaliorem Arimino, eoque diſtantiorem a Rauenna; quare Senæ nomine non poteſt intelligere Strabo Cæſenam, quæ neque maritima eſt, neque media inter Aeſim & Ariminum, neque orientalior Arimino, ſed eſt mediterranea, media inter Ariminum atque Rauennam, adeoque Rauennæ propinquiorem, & occidentaliorem, quam ſit Ariminum. Deinde Senam Strabo ponit vbi eſt Aeſis, & Metaurus fluuius: at Aeſis, & Metaurus eſt prope Senogalliam, procul a Cæſena per octingenta ſtadia: quocirca Sena Strabonis non eſt Cæſena, ſed Senogallia. Deinceps Cæſena Straboni eſt prope Rubiconem, at Sena eſt vbi eſt fluuius Aeſis: Aeſis autem a Rubicone fere quinquaginta millia paſſuum diſtat; non minor enim eſt diſtantia inter primum terminum Italiæ a Gallia, qui fuit Aeſis fluuius, & ſecundum qui fuit Rubico: Quare Cæſena Straboni non eſt Sena Gallorum Senonum; ſed ea eſt Senogallia prope Metaurum & Aeſim ſita. Præterea Straboni Rubico eſt inter Ariminum, & Rauennam, vbi & Cæſena: ſed Aeſis eſt inter Anconam & Senogalliam: vnde Sena, quæ Straboni ponitur prope Metaurum & Aeſim fluuium, non eſt Cæſena, ſed Senogallia. Denique ceu ſynonymis vtitur in præſentia Strabo nominibus Senæ, quam ponit vbi eſt Aeſis, & Metaurus fluuius, & Senogalliæ, inter quam & Anconam ponit Aeſim fluuium in Adriaticum ſinum effluere: promiſcue namq. Sena, & Senogallia dicitur eadem vrbs Vmbriæ. Senſit idem & Polybius inquiens, (e) *Secundum hæc montium iuga, quæ pro baſi accipienda ſunt trigoni, a meridie campi ſubiacent, in vltima & maxime boreali parte Italiæ ſiti, omnium, qui tota Europa nobis cogniti ſunt, longe præſtantiſſimi rebus vniuerſis, latiſſimeque patentes: hæc loca ſunt, de quibus nobis nunc eſt ſermo. Habet vero planities etiam iſta figuram & ambitum ſimilem trigono: cuius verticem contactus duorum montium facit Apennini atque Alpium, non procul a Sardinio mari, ſupra Maſſiliam. Porro Boreale huius latus claudunt perpetua Alpium iuga, vt ante dicebamus, per millia paſſuum ducenta ſeptuaginta quinque: Meridionale, Apenninus patens ad longitudinem quadringenta ſeptuaginta quinque millia paſſuum. Locum baſis obtinet ora maritima Adriatici ſinus, ab vrbe Sena ad vltimum vſque receſſum, per tercentum duodecim millia, & quingentos paſſus, atque amplius: vt non multum abſit, quin vniuerſus ambitus dictæ planitiei millia paſſuum colligat mille ducenta quinquaginta.* Quibus apertiſſime conſtat, Polybium ponere Senam in ora maritima ſinus Adriatici; quum autem in ora ſinus, & in litore maris Adriani Senogallia ſit, non autem Cęſena, quę procul abeſt ab ora ſtadijs octoginta fere, ac vrbs eſt mediterranea, non autem maritima, Plinio dicente, (f) *Ex reliquis autem a ſupero mari Prætutia, atque Ancone naſcentia* vina, *& quæ a palma vna forte enata Palmeſia appellantur. In mediterraneo vero Caſenatica ac Mecænatiana, mox ab intimo ſinu Adriana.* iam Sena Polybio non

e l. 2. c. 14.

f l. 14. c. 6.

poteſt eſſe Cæſena, ſed ſolum Senogallia vocata. Et eo magis, hæc ratio, Claramontij poſitionem arguit, quo ſibi plane contradicens, alibi ponit Cæſenam eſſe mediterraneam vrbem, procul ab ora maritima, dum ait in ſecunda parte ſui Apparatus ipſiſſima verba, *His rationibus aut aliam a precedentibus, aut confirmationem præcedentium ſubijciunt, cuius (quocumque nomine appellemus) verba ſunt, Itaque non video a quopiam mentionem vel minimam Cæſenæ fieri. Videtur autem eſſe ratio, quam hic tacit ſcriptor: In deſcribendo Rubicone nulla mentio Cæſenæ: ergo non eſt is fluuius Cæſenæ propinquus. At iam vt vidimus, non recte conſequitur, Non eſt cuiuſpiam in deſcribendo flumine ciuitatis facta mentio: ergo non eſt illi propinquum flumen; Tiberis enim non eſſet prope Romam, cuius in eo deſcribendo nequaquam meminit Ptolemæus. Item Arnus non fuiſſet Piſarum, non Florentiæ, eandem ob cauſam. Præterea vero neminem meminiſſe Cæſenam occaſione Rubiconis, falſum eſſe iam vidimus. Verum diſtinguere oportet, non parum intereſſe inter deſcriptionem locorum ex fluminibus, & fluminum ex locis; loca enim etiam mediterranea ex fluuijs deſcribuntur, tumque propinqui prorſus, niſi ſindant vrbem, aſſumuntur; at fluuij ex oſtio, & locis maritimis proprie deſignantur, non ex interraneis; idque iure: ſi enim per mediterranea determinarentur; quum fluuij quique plura loca alluant, prolixa deſcriptione eſſet vtendum, inſtar eius, quam in Dante habemus, dum Arni curſum deſignat; vt in populos ſcilicet, quos alluit, inuehatur.* Qui nunc aſſerit vir Cl. in deſcriptione Rubiconis a plurimis nullam Cæſenæ mentionem factam fuiſſe, quia fluuij deſcribuntur ex oſtio, ac ex locis maritimis, non autem ex Vrbibus procul a mari mediterraneis, qualem eſſe Cæſenam vere dicit, & aperte ſupponit; quomodo non ſibimetipſi manifeſte contradicit, falſumque ſtatuit Claramontius? dum antea in prima parte Apparatus probare ſatagit Cæſenam eſſe Gallorum Senam, quam cum Polybio ponit in ora ſinus Adriatici, in litore maris Adriatici, vbi campi Galliæ terminantur, in baſi trianguli continentis extremos campos totius Italiæ, in termino Veneti litoris, in extremitate camporum Italiæ, in extrema planitie, quam Padus irrigat; non ne contradictio eſt apertiſſima? Cæſena ciuitas eſt mediterranea, non in loco maritimo; & propterea Rubico fluuius ex ea non deſcribitur: quod aſſerit Claramontius in ſecunda parte Apparatus: & Cæſena eſt Gallorum Senonum antiqua Sena, quam Polybius ponit in ora ſinus Adriatici, in litore maris Adriatici, vbi campi terminantur æquore, in baſi trianguli continentis campos Italiæ, in termino Veneti litoris, in extremitate camporum Italiæ, in extrema planitie quam Padus irrigat, quod ſæpiſſime repetit in prima parte eiuſdem Apparatus. Certe ſi hæc contradictio non eſt, nulla iam contradictio reperiri poteſt in Autorum ſcriptis. Deinde Polybius ponit diſtantiam baſis trigono ſimilis figuræ, ductam a Sena ad vltimum receſſum Adriatici ſinus, eſſe tercentum duodecim millia, & quingentos paſſus; quæ quidem diſtantia vere percipitur a Senogallia vſque ad intimum ſinus receſſum; quum ab iſto receſſu ad Cæſenam ducentum millia paſſuum non habeantur. Qua quidem in re notandum eſt, intimum receſſum Adriatici ſinus, a quo lineam baſis trigoni ducit Polybius ad Senam, non ita geographice poni a Cl. Scipione

u pag. 10. (u) Tergeſte; nam a Ptolemæo ponitur oſtium Tilauempti fluuij procul

a Ter-

a Tergeſte; quod quidem Tergeſte eſt poſt flexum intimi ſinus Adriani; ſcribit enim (o) Ptolemæus, o l.3.ta.6. Eur. Ital. ſit.c.1.

Adriatici ſinus				
Intimus ſinus, in quo eſt Tilauempti fluuij oſtium	33.	50.	44.	50.
Natiſonis fluuij oſtia	34.		44.	50.
Iſtria ſimiliter poſt flexum intimi Adriatici ſinus				
Tergeſtum Colonia	34.	45.	44.	56.
Formionis fluminis oſtia	35.		44.	56.

Linea vero quæ ab oſtio Tilauempti ad Senogalliam ducta baſim figuræ trigono ſimilis continet, etſi plane recta non ſit, nihil hoc refert; nam & latera Alpium & Apennini lineas efformant adhuc magis à rectitudine variantes, quam litus à Senogallia ad oſtium Tilauempti. Quare duplici falſo ſuppoſito nititur poſitio Cl. Scipionis, quod Polybius Campis Galliæ Ciſalpinæ figuram trilateram ſimpliciter aſſignauerit lineis rectis fere coercitam: quodque per vltimum receſſum ſinus Adriatici ſignauerit Tergeſte: quum huic regioni figuram dederit ſimilem trigonæ, lineis non rectis concluſam; & per intimum receſſum Adriatici maris intellexerit cum Ptolemæo Tilauempti fluminis oſtium. Non minus abeſt à verbis, & à mente Polybij, quin & ab hiſtorica veritate, quod addit Cl. Scipio, (p) *Accedit præterea eſſe Senam ex Polybio in extremitate camporum, planitiei ſcilicet celebris, & a Cicerone vſque decantatæ Galliæ olim Ciſalpinæ, nunc vulgò Lombardia; à qua longe Senegallia abeſt. Quum poſt flexum Adriatici litoris trames ſcitius quam planities inter montes, & mare euadat; præſertimque poſt Ariminum; qui quoque trames ad Catholicæ vicum a collibus abrumpitur, & à Piſauri montibus præcipue. Neque ſunt hi deſpicabiles, vt ſuadere videtur Leander; ſed eius altitudinis, quam pro planitie nullus rerum iuſtus æſtimator ſit tranſmiſſurus.* Namque primo Gallia Ciſalpina non omnis concluditur ea regione, quæ nunc Lombardia dicitur; ſed ea, quæ Cis alpes à Gallis olim habebatur; in qua Gallia continetur Senogallia; neque vera Gallia Ciſalpina dudum a Cicerone decantata, nulla eſt alia, quam quę Togata cognominabatur, quum Tranſalpina diceretur Comata, & Bracata; de quibus ita Volaterranus, (q) *Romani* Galliam *triplicem fecere: Togatam, eandem & Ciſalpinam in Italia, a Toga cum Latio communi: Comatam, quo nomine, vt ait Plinius, omnem Tranſalpinam Galliam vocabant, ob intenſis crinibus, vt Lucani etiam carmen teſtatur, Crinibus effuſis toti prælate Comata: & Bracatam olim, quæ nunc Narbonenſis.* Modo Gallia Togata Plinio continet etiam Senogalliam; ait enim, (r) *Iungitur his ſexta regio, Vmbriam complexa, agrumque Gallicum circa Ariminum. Ab Ancona Gallica ora incipit, Togatæ Galliæ cognomine. Siculi, & Liburni plurima eius tractus tenuere; in primis Palmenſem, Prætutianum, Adrianumque agrum. Vmbri eos expulere, hos Etruria, hanc Galli. Vmbrorum gens antiquiſſima Italiæ exiſtimatur, vt quos Ombrios a Græcis putent dictos, quod inundatione terrarum imbribus ſuperfuiſſent. Trecentum eorum oppida Tuſci debellaſſe reperiuntur. Nunc in ora flumen Aeſis, Senegallia, Metaurus fluuius, Colonia Fanum Fortunæ, Piſaurum cum amne.* Quæ mire conſentiunt cum dictis à Strabone, cui (ſ) *A Rauenna Vmbri propinqua tenent, ac deinceps Sarſinam, Senam, Camarinum: ibi eſt & Aeſis fluuius, & Gingunum mons,*

p pag.10.

q l.3.init.

r l.3.c.14.

ſ lib.5.

mons, Sextinum, Metaurus fluuius, Fanum Fortunæ. Quum itaque Gallia Ciſalpina ſit ea, quę cis Alpes eſt, & in ſe continet Anconam, Senogalliam, Ariminum, & id generis Vmbriæ loca; ſatis apertę conſtat non bene ſcribi, Galliam Ciſalpinam veterem excludere Senogalliam, & ab ea longe abeſſe. Præterea dum excludit Cl. Scipio Senogalliam a Gallia Ciſalpina, quam ipſe ponit eſſe Lombardiam, non minus ab eadem Gallia Cęſenam excludit, quę non eſt in Lombardia. Quin etſi vere colles Catholicę, monteſque Piſauri ſimpliciter habendi non ſunt pro planitie; tamen ſi conferantur cum altitudine, magnitudineque tum Alpium, tum Apennini, intra quos excelſos leuiter aſſurgunt in comprehenſa planitie triquetra, de qua loquitur Polybius in relatione ad Alpes, & Apenninum, quibus duobus lateribus ea terminatur; certe colles Catholicę, monteſque Piſauri planitiem non turbant, & merito deſpici poſſunt ab Hiſtorico propter ipſorum exiguitatem, vt ait optime Leander; cuius autoritas anteponenda Claramontanę. Poſterius autem Polybius ipſe Senam ponit non ſolum in extremitate camporum, ſed *in ora (t) maritima ſinus Adriatici*; modo Cęſena non eſt

t l.2.c.14.

in ora maritima, ſed procul ab ea, quod Plinius non ſemel conteſtatur, tum vina Cęſenatia dicens in (u) mediterraneo agro naſci, vt vidimus; tum apertius inquiens procul a mari, intus eſſe Cæſenam, & alia loca,

u l.14.c.6.

(x) Nec procul a mari Vmbrorum Butrium. Intus Colonia, Bononia, Felſina vocitata quum princeps Etruriæ eſſet, Brixillum, Mutina, Parma, Placentia. oppida Cæſena, Claterna, Forum Clodij, &c. Immo vero ponens paulo poſtea Senam in extrema planitie Polybius maritimam facit, nam extrema planities alluitur mari; ſcribit enim, *(y) Sena hæc dicitur de eorum Gallorum nomine, qui prius tenuere: fecimus nos paulo ante eius mentionem, oſtendimusque ad Adriam eſſe ſitam, in extrema planitie, quam Padus irrigat*. paulo antea dixerat, *(z) Vltra Padum circa Apenninum primi occurrunt Anianes: deinde Boij: poſt illos verſus Adriam Aegones: postremi omnium ad mare Senones*. Cæſena vero non eſt in ora maritima maris Adriatici, non in extrema planitie camporum; ſed procul ab ora maris, & ab extremitate camporum (vbi vere ſita eſt Senogallia a Gallis Senonibus denominata) per octoginta ſtadia, vt vnicuique menſuranti conſtat. Ciuitatem vero diſtantem a mari per octoginta ſtadia, maritimam non eſſe, nec in ora maris, nec in extremitate camporum, ſed mediterraneam procul a mari, nemo poterit inficiari, potiſſimum hiſtoricus, qui nouerit apud Appianum Carthaginenſes tanti feciſſe diſtantiam iſtam vrbis a mari, vt a Romanis victi; & armis exuti penitus, pacem vltro ſuppliciter poſtulantes, ac ſubditos imperio Romanorum ſeſe offerentes, cum Carthaginem, in litore maris Romani non deſtruerent, nec inde ſedem Pœni ferre cogerentur in mediterranei ſtadium octogeſimum: repulſam habentes, bellum vel inermes elegerint, & vitam pro vetere Patriæ loco maritimo, repudiantes mediterraneum octogeſimi ſtadij, profuderint. Scribit enim Appianus in Libyco, *Hæc a Legatis Carthaginenſibus palam dicta. Ad quæ Cenſorinus: Obſidum vero, quos miſiſtis, cum celeritatem, tum electionem commendamus. Sed quid armis vobis opus eſt, in pace rebus tam firma degentibus? Afferte quicquid apud vos publice priuatimque armorum, ſagittas, catapultas, ac alia omnia nobis tradite. Qui-*

x l.3.c.15.

y l.2.c.19.

z l.2.c.17.

bus

bus legati ſe parituros reſponderunt. Aſſumptis igitur vna Cor. Scipione Naſica, & Gn. Cornelio Hiſpano, ad ducenta millia armorum attulerunt, ſagittarum, telorum infinitam multitudinem; catapultas praeterea, & acuta iacula, lapidum excutiendorum machinas, vſque ad duum millium numerum: quorum aſpectus ſplendidus, ibi ſignisque videbatur, tot hoſtilibus curribus ea deferentibus: quos legati reliquique ſeniores totius populi quicumque optimi in primis habebantur, Sacerdotes praeterea & illuſtres viri, quo Conſules ad pietatem & miſericordiam flecterent, ſecuti ſunt, omnesque ſuo ordine ante ipſos conſtiterunt. Tum Cenſorinus: Veſtra quidem obedientia, ac promptitudinis, o Carthaginenſes, in exhibendis obſidibus, deferendisque armis, non mediocri laude digni eſtis. Caeterum in rebus neceſſarijs quambreuiſſime loqui opus eſt. Quamobrem reſiduum mandati huius, quod a Senatu nobis iniunctum eſt, ſubire dignum: Tradite itaque nobis vrbem veſtram, & aliam inde quocumque libido fert octoginta ſtadijs a mari diſtantem vobis condite; hanc enim, quam incolitis, euertere in animo eſt. &c. mox Hanno, poſt alia multa, reſpondit ad Conſules, *Quid Carthaginem meturere vlterius opus eſt, quum arma, naues, elephantos, quibus omnes adeo inuident, ipſi teneatis? De habitatione autem, etſi id deprecari fas eſt, hoc certe admirandum videtur, homines mari aſſuetos ad mediterranea velle traducere, quorum infinita multitudo in mari operatur.* &c. *Haec Hanno. Iterum Cenſorinus: Hoc mare, quod vobis adeſt, principatus & poteſtatis antiquae memores continuo extollit, & ad rapinas inuitat, & ab illis in has deducit calamitates: Siciliam quum per ipſum aggreſſi eſſetis* &c. *Sic enim in mari degentibus a natura datum eſt, vt aliquid maius ſemper affectent ob operum opportunitatem, celeritatemque vehendi; quod & Athenienſes* &c. *Et ipſi mediterranei quodammodo effecti: quae res plurimum illis ſalutis attulit: ſtabilior quippe in mediterraneis vita eſt, o Carthaginenſes, agricultura ſcilicet ſolicitudoque laborum. Minora forte eſſe lucra: firmiora certe; & periculorum expertia multo magis quae ab agricolis, quam quae a negotiatoribus ſolent experiri. Omnino mihi ciuitas, quae in mari ſita eſt, naui magis quam terrae aſſimilis videtur eſſe, magnam in ſe negotiorum continens fluctuationem.* &c *Ad Libyam veſtram referte oculos. Cuicumque finitimi eſſe volueritis, per nos licebit fore, vt obſtantem aliquando vobis aſpectum, memoriamque malorum, quae adeo moleſte fertis, poſſitis auertere; ne, quum mare ſcaphis vacuum intueamini, continuo nauium multitudinem, quae vobis adeſſe conſueuerat, cogitetis; aut ſpoliorum quae abſtuliſtis, aut portuum in quos adeo ſuperbe delati eſtis, recordemini.* &c. *Sin principatui ſyncere ceditis, nec verbo magis quam animo dicitis, educite quae veſtra ſunt, nulla excuſatione propoſita: promittite inquam, & opera oſtendite, & in eam quam tenetis Libyam habitaturi concedite, ab hoc mari longe diſtantem: neque excuſationem addideritis.* &c. *Caeterum ſunt vobis mercenarij plurimi mari degentes. Hoc quidem notiſſimum nobis eſt, quam libenter mari cunctamini. Diſpoſitionem igitur locorum, & electionem quam ampliſſimam habetis: non enim procul a mari incolere, ſed per octoginta ſtadia abeſſe imperamus. Nos quippe qui haec edicimus, per centum ſtadia diſtamus a mari.* &c. Quibus ad deſperationem acti Carthaginenſes, bello, defenſionique ciuitatis, & armorum fabricationi ſe ſe parant, vel edicto raſis mulieribus, vt capillis earum funes arcubus & baliſtis conficerent; tanti facientes, maritimam habitationem & litoralem vrbem transferre per octoginta ſtadia procul a mari ad mediterraneam regionem. Non igitur Sena,

quam

quam maritimam ponit Polybius in ora maris Adriatici ſimul & in extremitate planitiei, quam mare terminat, poteſt ab hiſtorico dici Cæſena, quæ mediterranea eſt longe diſtans a litore maris per octoginta ſtadia. Polybius
a l. 2. c. 16. in hanc ſententiam inquit etiam, (*a*) *Sequuntur Etruſci, & qui hos contingunt Vmbri, dictorum montium latus vtrumque inhabitantes: dehinc Apenninus, diſtans a mari Adriatico circiter ſexaginta duo millia paſſuum, & quadringentos, relictis campis deflectit ad dexteram, & mediam Italiam ſecans, ad Siculum mare pertinet: campi vero, quos relinqui diccbamus ab Apennino in hoc latere, ad mare pertingunt, & vrbem Senam.* Certe ſemper Senam ad mare ponit Polybius, ſi vero Sena foret Cęſena, quę mediterranea eſt procul a mari diſtans octoginta ſtadijs, non autem Senogallia, quę ſitum habet in litore maris Adriani; campi non recte dicerentur ab eo latere pertingere ad mare, & ad vrbem Senam; quum excurrant vltra Cęſenam ad mare diſtantius, non exiguo internallo. Conſtat id ipſum apertiſſime pariter ex alio Polybij loco, quem affert ipſe Cl. Scipio dicens, *Alia poſtrema ratio ex Polybio ducitur, ſi Eutropij dictum iungatur, quæ planiſſimam pariter ſententiæ meæ reddat veritatem: Polybius ergo hæc ſcribit,*
b l. 2. c. 19. (b) [*Hic M. Curius Conſul ſtatim legatos in Galliam ad redimendos captiuos mittit; qui quum eo perueniſſent, violato iure gentium a Gallis interficiuntur. Quo ſcelere indignati acriter Romani nouo delectu habito penetrare in Galliam aggrediuntur. Sed parum proceſſum erat, quum eis Senones occurrunt. Hos collatis ſignis e veſtigio aggreſſi ſuperant: magnam partem interficiunt: ſi qui ſuperfuerunt, ſedibus fugant, regione potiuntur: nouam ipſi in vrbem Coloniam inducunt. Eam veteri nomine quod primo a Gallis habitata fuerat, Senam appellant. Eſt autem ea vrbs, quemadmodum ſupra memorauimus, in litore Adriatici maris ſita, vbi campi Italiæ terminantur.*] *Hæc Polybius: cum quibus iungo, quæ dicit Eutropius de ſtrage exercitus Aſdrubalis ad Metaurum, verba ſunt:* [*Fuit hoc prælium penes Metaurum fluuium, vbi Aſdrubal victus eſt: vt Traſymenus lacus, vbi exercitus Romanus: vt Cæſena Piceni ciuitas, vt vicus ille Cannenſis.*] *Cladem ergo exercitus Aſdrubalis Eutropius cum tribus exercituum ſtragibus comparat, quæ ad Traſymenum, quæ ad Cæſenam, quæ ad Cannas: Inſignem itaque is aliquam ſtragem penes Cæſenam accidiſſe ſignificat: at quum nullam in tota antiquitate copiarum occiſionem apud Cæſenam reperiamus, præter memoratam a Polybio ad Senam, qua Senonum nobilis natio, & Roma expugnatione celebris, extincta eſt: fateri oportet eandem vrbem Senam a Polybio dictam, quæ Eutropij temporibus (vt nunc etiam) Cæſena vocabatur.* Ego vero ex his aperte deduco Senonum Senam, de qua Polybius, & Eutropius agit, non eſſe Cæſenam, ſed Senogalliam. In primis Polybius ait, Senam iſtam Gallorum Senonum ſitam eſſe in litore maris Adriatici, vbi campi Italiæ terminantur; modo Cæſena ſita non eſt in litore maris, vbi camporum terminus eſt; ſed mediterranea diſtat a litore maris octoginta ferme ſtadijs, & campi non terminantur ad vrbem Cæſenam, ſed vlterius excurrunt ad mare per decem ferme millia paſſuum: At in litore maris eſt ſita Senogallia. Deinde locus Eutropij nullam habet relationem ad iſta dicta Polybij; namque Polybius agit de bello, quod aduerſum Senones geſſit exercitus Romanus Conſule M. Curio: ſed Eutropius tractat de ſtrage Aſdrubalis illata a Conſulibus Cl. Nerone, & M. Liuio; verba ſunt Eutropij, (*c*) *Deinde deſperans Annibal Hiſpa-*
c ter. Rom. l. 3.

nias

nias contra Scipionem diutius poſſe retinere, fratrem ſuum Aſdrubalem ad Italiam cum omnibus copijs euocauit. Is Ap. Cl. Nerone, & M. Liuio Salinatore Coſſ. ex Hiſpanijs per Gallias ad Italiam veniens, magna ſecum auxilia Hiſpanorum Gallorumque ſumpta deduxit. Et quum maturato aduentu deſcendiſſe iam ex alpibus Conſulibus proditus fuiſſet, ab exercitu Romano, ignorante Annibale, apud Metaurum fluuium in inſidias compoſitas incidit: ſtrenue tamen pugnans occiſus eſt. Quare non eadem pugna fuit, quæ citatur ab Eutropio cum clade Senonum a Polybio numerata. Deinceps Polybius nullam mentionem Aſdrubalis habet, ſed tantummodo Gallorum Senonum: Eutropius autem de clade Aſdrubalis agit, quem in illo prælio veluti ſummum Imperatorem agnoſcit, cui Galli forent auxiliarij; quare non debuerat a Polybio ſileri, ac ſolum Senonum ratio mentioque neglectis Pœnis haberi, ſi de ſtrage loquitur, quam recenſet Eutropius. Inſuper ſi comparat Eutropius cladem exercitus Aſdrubalis cum tribus exercituum ſtragibus, quæ ad Traſymenum; quæ ad Cæſenam, quæ ad Cannas, vt ait ipſe Cl. Scipio; ideo eadem eſſe clades non poteſt Aſdrubalis ab Eutropio relata cum clade ad Cæſenam; idem enim cum ſemetipſo comparari nequit; ſed comparatio ſemper eſt inter diuerſa. Præterea ratio Cl. Scipionis paralogizat aperte tum ex ignotis procedens cum euidenti petitione principij; tum ex negatiua propoſitione colligens affirmatiuam concluſionem; & inſuper falſo nititur fundamento; nulla reperitur occiſio copiarum, inquit, in antiquitate præter memoratam a Polybio ad Senam; ergo fuit illa, quam memorat Eutropius ad Cæſenam: ſi non reperitur; an non fuiſſe potuit, etſi a Cl. Scipione non reperta in antiquorum monumentis? nonne multarum cladium memoriæ perierunt? Sed & ad Cæſenam, præter memoratam a Polybio ad Senam, ſi memorat Eutropius; quomodo colligatur, eandem cladem eſſe ad Cæſenam Eutropij, & ad Senam Polybij, nulla ratione video. Ceterum Eutropius ipſe declarat alibi Romanos in Piceno, adeoque ad Cæſenam, ingenti clade non ſemel hoſtes confeciſſe, preter Aſdrubalis victi pugnam; ait enim primo (*d*) de bello Samnitico, *d* lib. 2.
Anno ab V. C. quadringenteſimo vigeſimo ſexto iam Romani potentes eſſe cœperant. Bellum enim in C X X X fere milliario ab Vrbe gerebatur apud Samnitas, qui medij ſunt inter Picenum, Campaniam, & Apuliam. & mox, *Populus Romanus Samnitas inuadit. L. Papyrius Curſor cum honore Dictatoris ad bellum id profectus eſt: qui quum Romam rediſſet, Q. Fabio Maximo magiſtro equitum, quem apud exercitum reliquit, præcepit, ne ſe abſente pugnaret. Ille occaſione reperta feliciſſime dimicauit, & viginti millia Samnitum deleuit.* & paulo poſt, *Poſteriore anno iubente Senatu infringunt Romani firmatam cum Samnitibus pactionem, eosque in bellum cogunt. Quod Papyrio Coſ. inſiſtente commiſſum magnas ſtrages vtriuſque populi dedit; quum hinc ira recentis infamia, inde gloria proximæ victoriæ pugnantes inſtimularent: tandem Romani pertinaciter moriendo, nec cadi pariter, nec cadere deſiſterunt, niſi poſteaquam victis Samnitibus, & capto Duce eorum cum ſeptem millibus iugum repoſuerunt.* Quid prohibet alteram ex his cladibus, aut vtrumque prope Cæſenam in Piceno Samnitibus conterminо contigiſſe? Quid vetat eo loci ſtragem aliam habitam, de qua poſtea tractat Eutropius, agens de bello ſociali (*e*) dicens? *Picentes, Veſtini, Marſi, Peligni, Samnites, Lucani, quum adhuc oc-* *e* l. 5.

cultum defectionem meditarentur, C.Seruium Prætorem legatum ad ſe miſſum apud Aſculum occiderunt, ſtatimque clauſa ciuitate omnes Romanos ciues indicta cæde iugularunt. & mox, *Cn.Pompeius Picentes graui prælio fudit: qua victoria Senatus laticlauia & cetera dignitatis inſignia recepit; quum togas tantummodo victoria Cæſaris primo reſpirante ſumpſiſſet. Portius Cato Prætor Etruſcos, Plotius Legatus Vmbros, plurimo ſanguine impenſo, & difficillimo labore vicerunt.* & mox, *Eodem die Picentes congreſſi & victi ſunt.* Vt iam multæ ſtrages memoratæ ſint antiquitus a Romanis habitæ de Picenis, & Vmbris, quæ prope Cæſenam factæ fuerunt. Quamobrem Eutropius in allato antea loco comparat tum prælium, quo victus eſt Aſdrubal Pœnus cum Gallis apud Metaurum fluuium a Romanis Ap.Claudio Nerone, & M.Liuio Salinatore Conſulibus, cum eo quo viceuerſa victi fuere Romani ad lacum Traſymenum: tum etiam quo pugnatum eſt a Romanis apud Cæſenam, ſiue deletis Samnitibus Piceno conterminis a Q. Fabio Maximo, Papyriove: ſiue deſtructis Picentibus a Cn. Pompeio: ſiue cæſis Vmbris a Plotio, cum ea pugna, qua victi fuere Romani ad Cannas. Nec omittendum eſt, Polybium dicere Senam illam pridem a Gallis habitatam, iis euerſis relicto ſibi veteri nomine, factam fuiſſe nouam Coloniam a Romanis: atvero Plinius in octaua regione Cæ-

f l.3.c.15. ſenam (*f*) ponit inter opida, non inter Colonias, vt antea vidimus. Sic igitur ex Polybio conſtat, Senam a Senonibus Gallis conditam & habitatam, non eſſe Cæſenam, ſed Senogalliam nuncupatam. Quin & Silius Italicus exercitum Aſdrubalis memorans his verſiculis,

> *Pœnus inundauit campos, qua Sena relictum*
> *Gallorum a populis ſeruat per ſæcula nomen.*

de Sena loquitur ad Metaurum ſita, quæ Senogallia eſt, non Cæſena; ſiquidem Aſdrubal ex Alpibus exercitum primo duxit ad Metaurum, vbi cæſus

g l.3. eſt; quod aperte fatetur Eutropius inquiens, (*g*) *Tertio anno poſtquam Scipio ad Hiſpaniam profectus fuerat, rurſum res inclytas geſſit: Regem Hiſpanorum magno prælio victum in amicitiam accepit: & primus omnium a victo hoſte obſides non popoſcit. Deinde deſperans Annibal Hiſpanias contra Scipionem diutius poſſe retineri, fratrem ſuum Aſdrubalem in Italiam cum omnibus copiis euocauit: Is Ap.Cl. Nerone, & M.Liuio Salinatore Coſſ. ex Hiſpaniis per Gallias ad Italiam veniens, magna ſecum auxilia Hiſpanorum Gallorumque ſumpta deduxit: & quum maturato aduentu deſcendiſſe iam ex Alpibus Conſulibus proditus fuiſſet, ab exercitu Romano, ignorante Annibale, apud Metaurum fluuium in inſidias compoſitas incidit, ſtrenue tamen pugnans occiſus eſt:* Si ergo ſtatim ex Alpibus apud Metaurum deſcendit; iam ad Senogalliam Metauro propinquam; non ad Cæſenam ab eo flumine quinquaginta fere millia paſſuum diſtantem exercitum habuit.

h lib.27. Idipſum apparet ex Liuio, (*h*) cui *Ad Senam Caſtra alterius Conſulis erant:* nempe Salinatoris: *& quingentos ferme paſſus Aſdrubal aberat.* & mox. *His anxius curis* Aſdrubal, *extinctis ignibus, vigilia prima dato ſigno, vt taciti vaſa colligerent, ſigna ferri iuſſit. In trepidatione & nocturno tumultu duces parum intente aſſeruati, alter in deſtinatis iam inde ante animo latebris ſubſedit, alter per vada nota Metaurum flumen tranſnauit. Ita deſertum a ducibus agmen primo per agros palatur: feſſique aliquot ſomno & vigiliis ſternunt corpora paſſim, atque inſequen-*

tia

tia relinquunt ſigna. Aſdrubal, dum lux viam oſtenderet, ripa fluminis ſigna ferri iubet: & per tortuoſi amnis ſinus flexusque quum errore abiens haud multum proceſſiſſet, vbi prima lux tranſitum oportunum oſtendiſſet, tranſiturus erat: ſed quum quantum a mari abſcederet, tanto altioribus coercentibus amnem ripis, non inueniret vada, diem terendo, ſpatium dedit ad inſequendum ſeſe hoſti. Nero primum cum omni equitatu aduenit. Sic igitur Aſdrubal prima vigilia ducens exercitum a ſtatione circa Senam per Metauri ripas, in quibus totam noctem errauit, non longe potuit ab eo fluuio vallum habere; quum autem Metaurus a Cæſena diſtet quinquaginta millia paſſuum, a Senogallia vero ſolum treldecim millia paſſuum; iam certo certius eſt, Senam, ad quam erant caſtra Romani Conſulis, a quibus quingentos ferme paſſus aberat Aſdrubal, non fuiſſe Cæſenam, ſed Senogalliam; etenim exercitus Aſdrubalis cum impedimentis armorum, vaſorumque collectorum, ignarus viarum, & a ducibus itineris deſertus, vix toto triduo ſolido potuiſſet quinquaginta millia paſſuum viam conficere, nedum paucis horis. Nec accipi poteſt Cl. Scipionis (n) aſſertio, tum quod *a Cæſena ad Metaurum ſit iter commodum & facile vnius* n pag. 16.
diei artificialis; quam etiam ipſe confecerit equo non currenti, ſed gradienti ſpacio duodecim horarum; vt Aſdrubal, cuius iter ſimile fugæ erat, non difficile potuerit totius noctis profectione, eaque rapida accedere ad Metaurum. nam & Aſdrubal ripam fluminis tenuit ingruente nocte, dum lux viam oſtenderet: quare prima vigilia caſtra mouens, paucis horis a vallo latus eſt ad ripam fluuij. Deinde non eſt comparandus in celeritate ſecurus eques interdiu ſine impedimentis iter agens Scipio cum exercitu meticuloſo, magna ex parte pedite noctu fugiente vaſis & armis onuſto; viarum ſciens cum itineris inſcio; vnus cum infinita multitudine: tum quod *non difficile potuerit totius noctis profectione, eaque rapida accedere ad Metaurum, & elabi per vada eius nota peritus locorum dux*: quia non ſolum ad fluminis ripas tam cito perueniſſe dicit Hiſtoricus ducem locorum peritum, ſed etiam exercitum totum Aſdrubalis duce deſtitutum, & imperitum itineris: tum quod *non certo eliciatur ex Liuij verbis vtrum prima an ſecunda nocte ad Metaurum peruenerit Aſdrubal, duxque Metaurum tranauerit: at ratione impelli nos vt credamus ſecunda potius nocte perueniſſe; quum Aſdrubal prima vigilia tacite fugam arripuiſſet, non niſi ſequenti die, altoque iam Sole Romani potuerint eius abitum explorare, vt illius diſceſſus horum inſecutionem decem ſaltem horis præceſſerit &c.* quaſi Romani non habuiſſent exploratores, a quibus de hoſtium abitu certiores fierent: quaſi magnus exercitus campos mundans, vicinus ad quingentos paſſus, tumultuans, non debuerit a Romanis in ſilentio noctis exaudiri: quaſi tanto exercitui viarum ignaro, ducibus deſtituto, plurimis grauibus peditibus conflato, vaſis armis & impedimentis alijs præpedito ſuffecerint horæ vigintiquatuor ad quinquaginta millia paſſuum conficienda: quaſique Liuij verba clariſſime non determinent vnius noctis tempus, dieique nullius intermediæ mentionem habeant: quaſique nocte ſolida potuerit exercitus iter ſexaginta ſtadiorum tranſgredi, & quinquaginta millia paſſuum quatuor etiam diebus totidemque noctibus ignarus viarum metiri; nam Plutarchus in Camillo Scipioni reclamat aiens, *Brennus recte ſentiens, ſtatim non caſis multis, Celtas ad*

caſtra deducit. Noctu dato ſigno vt taciti omnes vaſa colligerent, vrbem reliquit, & iter ſexaginta ſtadiorum profectus, haud longe Sabina via conſedit. Poſt quam dies illuxit, Camillus egregio cum exercitu Brennum petit, ſecum Romanos tunc magna audacia fretos habens: & quum tam diu fortiterque pugnatum eſſet, Gallos fundit fugatque. Sic Aſdrubal a Cæſena ad ripas Metauri ſtadia quadringenta vix quinque diebus cum exercitu feciſſet: quare non a Cæſena, ſed a Senogallia mouit: tum quod *receſſiſſe a Sena Aſdrubalem vt ad fratrem proficiſceretur, diſertis verbis Appianus teſtatur; quumque Senogallia ſit vltra Metaurum ortum verſus nonaginta ſtadia: & ea orientalior adhuc Apulia, non poteſt pergenti ab ea ciuitate in Apuliam Metaurus occurrere; adeoque non poteſt impedire iter, aut retardare*: quaſi Senæ mentionem vllam fecerit Appianus, ex qua recedere fratrem iuſſerit Annibal, & ad ſe in Apuliam accedere; ſed ſolum ex Hiſpanijs eum in Italiam euocaſſe memorat verbis ipſiſſimis in Hiſpanienſium bellorum libro; dicit enim, *Aſdrubal vero Amilcaris filius, qui militibus ad Oceanum Septemtrionem verſus conſcribendis intentus erat, a fratre Annibale acceſſebatur, & ſlagitabatur, vt quamprimum in Italiam tranſiret: vt igitur id clam Scipionem haberet, per Pyrenæos montes, qua magis Septemtrionem ſpectat, cum ijs quos collegerat Celtiberis, iter facit. Atque hoc pacto Romanis id ignorantibus, Aſdrubal magnis itineribus in Italiam contendit*: nec vſpiam Appianus de euocatione Aſdrubalis a fratre ex vrbe Sena in Apuliam verba fecit. Quaſi etiam Aſdrubal vel intra Metaurum & Senogalliam caſtrametatus, dum primario fine ſtuderet euitare Romanorum occurſum, non recte tentauerit fluuium tranare, ac ita ſecundario fine, ſi non breuiori via, ſaltem tutiori ad fratrem in Apuliam contendere. Fugiebat Aſdrubal a Senogalliæ finibus, primo quidem vt euidens & imminens ſibi periculum ab exercitu Romano declinaret; quare medium flumen interponere volebat velut impedimentum hoſtibus; a quibus maritima loca tenentibus procul in mediterranea digreſſus, adeoque ſecurus poſtea ad orientalis ripam mediterraneam a Romanis non obſeſſam, & inde recta in Apuliam ad fratrem tendere, qui poſterior erat finis illius abitionis. Ceterum quis aſſerat caſtrorum eam non fuiſſe poſitionem, vt Romani tenerent plagam orientalem Metauro, Senogalliæ viciniorem: Pœni vero plagam occidentalem amnis, qui medius inter duos exercitus laberetur? Sic enim Pœni fugientes ad amnis altiora loca tranſeunda, ſimul & ab hoſtibus abſcedebant, & ad Annibalem traiecto flumine recta contendebant a Senogalliæ locis in Apuliam. Verum, vt dicebam, falſo ponitur iter quinquaginta milliarium, ſeu quadringentorum ſtadiorum, eſſe commodum & facile decem horarum: quod ait ipſe Scipio ſe confeciſſe per equos gradientes, non currentes, fides ſit penes autorem: ego certe ſecus expertus fui, rem aliter ſe habere. Dein Aſdrubal in crepuſculo veſpertino, vigilia prima fugam arripuit, vel potius fugienti ſimilis exercitum mouit; & incerta illa luce paucis horis ad ripam fluminis perueniſſe dicitur, *dum lux viam oſtenderet*; quare fluuius parum admodum aberat a vallo Pœnorum, qui propterea prope Senogalliam tredecim milliaribus a Metauro diſtantem, aberant multum a Cæſena, quinquaginta milliaribus ab eo flumine ſeiuncta. Præterea metus fugæ trepidantis comes aſſiduus, etſi curſum ab initio celerem facit, iuxta dictum,

ti-

timor pedibus addidit alas; breui tamen fatiſcentibus viribus, trepidatio fugienti tarditatem ingerit, *Che per troppo ſpronar la fuga è tarda*: quotidianiſque conſtat experimentis, hominem ſecurum iter æquo paſſu facientem breuiori tempore peruenire ad metam diſtantem, quam metu fugiens, qui primis milliaribus fatigatur. Amplius Aſdrubal ab hoſtibus abiens non equites tantum, ſed & pedites habebat plurimos, omnes viarum ignaros, armis & alijs impedimentis onuſtos; quos impoſſibile prorſus eſt ad viginti & plures etiam diurnas horas, nedum ad multo pauciores, & nocturnas quadringenta ſtadia confeciſſe a Ceſena ad Metaurum. Inſuper noctem totam conſumpſit Aſdrubal, non iter faciens a caſtris ad amnem, ſed a fluuij partibus oſtio proximis ad altiora riparum loca verſus fontem; erroremque obijt per flexus tortuoſi fluminis breue menſus iter; & fruſtra quærens nocte tota vadum exercitui. Nec ex Liuij verbis incertum eſt, Aſdrubalis exercitum prima nocte ad Metauri ripam perueniſſe, ſed euidentiſſimum; etenim ait, Aſdrubalem, dum lux viam oſtenderet, hoc eſt veſpertino crepuſculo, ripa fluminis ſigna ferri iuſſiſſe; ac totam noctem oberraſſe per flexus amnis tortuoſi, tranſiturum vbi prima lux opportunum tranſitum oſtendiſſet. Nam recedens a Cæſenæ locis prima vigilia noctis, non ne ridiculus eſſet Imperator, qui primo illo crepuſculo ſigna ferri iuberet ripa fluminis inde per quinquaginta milliaria diſtantis? non ne prima lux a præcedente crepuſculo veſpertino ſtatim oritur poſt primam noctem? Neque Romani tam ſocordes erant, & negligentes, vt exercitus vicini ad quingentos paſſus aſſidue per exploratores acta non inueſtigarent, adeoque receſſionem etſi nocturnam, ſtatim non agnoſcerent. Immo vero neque tantus exercitus, qui campos inundabat multis equitum & peditum millibus, adeo tacite noctu fugere potuit, quin a vicinis adeo Romanis, ſaltem vigilibus excubias facientibus perſentiretur. Neque fugientes, fugientibusve ſimiles Pœnos armis, & ſarcinis onuſtos vaſis collectis, expeditiores Romani, relictis intra vallum omnibus impedimentis, equitatu Neronis velociſſimo non breui tempore potuerunt aſſequi, ſaltim initio proximæ diei, vt puta gnari viarum ignaros, atque deſtitutos ducibus itineris per ignota loca: quorum alter abdidit ſe in latebris, alter Metauri nota ſibi vada tranſnauit. Neque Pœni noctu, per ignota loca, ducibus deſtituti, vel duodecim horarum nocturnarum interuallo multum itineris agere potuerunt, quin a Romanis in aurora ſaltem eorum fugam percipientibus inſecuti breui temporis interuallo procul adhuc a Metauri ripis aſſequerentur: etenim Romani nocte ſomno refecti, fugientes Pœnos, noctem inſomnem cum metu trepidationeque ducentes, onuſtos impedimentis, die ſecunda tardiores ad fugam, vt puta vigilia, ſomno, laboreque feſſos, ipſi robuſti ac celeres ad inſequendum, ipſo diei ſecundæ principio parum itineris emenſos aſſequi debuerunt. Neque Salinator cum Legionario, & graui pedite ſecutus hoſtem, integrum diem primum, & noctem alteram ſine quiete ducere potuit exercitum, qui promptus eſſet ad hoſtes vlterius fugientes inſequendos, & ad pugnam cum deſperatis repugnantibus ineundam. Contra tamen Liuius ait (quæ callide Scipio ſiluit) *Nero primum cum omni equitatu aduenit. Porcius deinde aſſequitur cum leui armatura. Qui quum feſſum*

agmen carperent ab omni parte, incurſarentque; & iam omiſſo itinere, quod fugæ ſi-
mile erat, caſtrametari Pœnus in tumulo ſuper fluminis ripam vellet; aduenit Liuius
peditum omnibus copijs, non itineri modo, ſed ad conſerendum extemplo prælium in-
ſtructis, armatiſque. ſi namque totam diem primam, & noctem ſequentem
conſumpſiſſent ſine quiete perſequentes Pœnos Romani Legionarij pedites
armis onuſti, certe poſtera die non eſſent inſtructi & itineri continuando
contra fugientes, & ad conſerendum prælium extemplo contra repugnantes;
at ideo ſic inſtructi erant, quia paruam itineris viam emenſi fuerant a ſtatio-
ne prope Senogalliam ad ripas Metauri, ad quas Pœnos aſſecuti fuere prima
die poſt noctem fugæ, ac erroris eorum circa flexus illius tortuoſi fluminis.
Neque maioris firmitatis eſt, quod ad ſimile propoſitum infra refert Cl. Vil-
lanij relatu Claramontius inclytus inquiens, *Conſiderent nunc Scriptores Ari-*
a App. par. *minenſes, vtrum Cæſarianæ celeritati (a) adeo repugnaret decem circiter millia-*
2. *ria interuallo duarum horarum abſoluere, quum Liuius lib. 27. ſcribat Philippum*
Macedonum Regem vno die milliaria amplius 60 contendiſſe &c. non ſolum quia
b pag. 145. notatu Cl. Viri Iacobi Villanij in ſuo Ariminenſi Rubicone, (b) *Repugnat a*
Piſſatello Ariminum intra crepuſculorum ſpatium peruenire: non ſunt enim de-
cem circiter milliaria; ſed duo de viginti, vt ſupra demonſtrauimus, & cunctis pa-
tet. Noto viri perpetuam (vt libet) in rebus diſcrepantiam, crepuſculum namque di-
latat ad duas horas: iterque Cæſena Ariminum reſtringit ad circiter tantum duode-
cim millia paſſuum. verum etiam quia Liuius in libro citato vigeſimo ſepti-
mo nuſquam habet Philippi Macedonis exercitum vnica die ſexaginta mil-
liaria confeciſſe; quod nullo pacto fieri poteſt: nam in oppoſitum & Plu-
tarchus in Camillo, & ante Plutarchum Liuius, conteſtantur, Brennum
Gallorum ducem cum exercitu fugientem vix octo milliaria totam noctem
c Plut. ſuperaſſe, *Ceterum,* ait ille, (c) *Brennus confeſtim ad ſe reuerſus, paucis deſideratis*
in caſtra Gallos reduxit. Nocte excitatis omnibus exceſſit vrbe, progreſſuſque ad
octauum lapidem via Gabina, caſtrametatus eſt. Simul atque diluxit, inſtitit ei
Camillus fulgentibus armis, cum exercitu tunc animi pleno; commiſſaque ad multum
diei acri pugna, Gallos ingenti cæde fudit, fugauitque; cepit & caſtra eorum. Li-
d lib. 5. uius idem prius dixerat, inquiens, (d) *Igitur primo concurſu haud maiore mo-*
mento fuſi Galli ſunt, quam ad Alliam vicerant. Iuſtiore altero deinde prælio ad
octauum lapidem Gabina via, quo ſe ex fuga contulerant, eiuſdem ductu auſpicioque
Camilli vincuntur. ibi cædes obtinuit: caſtra capiuntur, & ne nuncius quidem cla-
di relictus. Itaque Sena Gallorum Senonum fuit Senogallia, non autem Cæ-
e pag. 13. ſena. Quod etiam confirmat aperte Ptolemæus, qui vel notatu Cl. (e) Sci-
pionis collocat Senonum ſedes non vltra Rubiconem ad occaſum, ſed inde
ad ortum, nimirum inter Anconam & Rubiconem; quum Cæſena ſit ad oc-
caſum Rubiconis, inter eum & Rauennam. Itidem Cato in Originibus,
Gallia, inquit, *Flaminia a Rauenna ad Ariminum a comitibus Herculis conditum,*
a quo cognominatur. Ab eo ad Anconam Senogallia, a Senonibus dicta pulſis Etruſcis
nunc Gallia Togata. Quibus atteſtatur Sempronius aſſerens, *Flaminia a Bono-*
nia ad Rubiconem amnem; antea Felſina a Principe Etruriæ miſſis Colonijs Lemonſi-
bus a Rubicone ad Anconam Senonum Gallia Togata dicitur. His adſtipulatur
Plinius, cui *Ab Ancona Gallica ora incipit Togatæ Galliæ cognomine.* Quum
Cæ-

Cæſena Rubiconi ſit ad ortum verſus Rauennam inter eam & Ariminum, ac
inter eam & Rubiconem. Nec obſtat, quod addit Cl. Scipio, *Statuendum
eſſe Senones ad occaſum etiam Rubiconis reſediſſe, idque Plinium aperte monſtrare, qui
eos in octaua regione Italiæ collocat, eamque Arimino, Pado, & Apennino terminat
inquiens [octaua regio determinatur Arimino, Pado, Apennino:] poſtea ad calcem ca- l.3. c.15.
pitis ſubiungit [In hoc tractu interierunt Boij, quorum Tribus centum duodecim
fuiſſe autor eſt Cato. Item Senones, qui & ceperunt Romam:]* tum quia Plinius
collaudat teſtimonium Catonis, qui Senones ponit ab Ancona ad Senogal-
liam; tum quia Plinius dum (*r*) ponit Gallos pulſis Etruſcis vna cum Se- r l.3. c.14.
nogallia, Aeſi, Metauro in ſexta regione, non potuit ſibi contradicere paulo
poſt, & eos collocare in octaua. Sed per tractum, in quo interiere Boij, &
Senones, non intelligit, vt antea quoque ſignaui, Plinius octauam regionem
tantum, de qua ſpeciatim in eo capite, verum totam illam terræ plagam, in
qua tum Boij regionem octauam habitantes, tum Senones ſextam poſſiden-
tes; in epilogo enim regionum pluribus capitibus explicatarum non conti-
nentur ſolum in extremo capite narrata, ſed in omnibus: tum quia maior eſt
autoritas Catonis, cuius teſtimonio Plinius vtitur, quam Plinij, ſi Plinius di-
uerſa ſentiret: Cato namque vicinior æuo Gallorum certiorem notitiam il-
lorum habuit. Minus obſtat, quod adijcitur ex Liuio dicente *Senones ab Vſente
flumine ad Atheſim fines habuiſſe*: tum quia Sigonius hunc locum eſſe corru-
ptum oſtendit, & legendum eſſe, vt habetur in veteribus codicibus *ab Vten-
te*, ſiue *ab Vite flumine ad Aeſim*; quum Vitis fluuij meminerit Plinius in ijs
locis: tum quia Boccatius, præter Vſentem Volſcorum ad Terracinam, qui
labitur in Tyberim, alium cognominem fluuium agnoſcit in Gallia Ciſalpi-
na, inter quem & Atheſim ponit non Senones, at Hiſeſones, qui Romanos
apud Alliam expugnauere; quare mendum & ipſe notat in Liuij codice pro
Senonibus Hiſeſones reſtituens: tum maxime, quia quum Cæſena ſit anti-
quiſſima, non potuit eſſe a Senonibus condita niſi primo tempore, quo Tu-
ſcos ex Vmbria pepulere, dum primam ſtationem habuerunt inter Anconam
& Senogalliam: nam ſi ab Vſente ad Atheſim ditionem auſcere, multo po-
ſtea id factum fuit, quam Sena condita fuerit. Et reuera Cato, cui Seno-
nes imperium ſuum prius ab Arimino ad Anconam terminatum habuerunt,
in quo Senogallia locatur, ab eis denominata; licet ij poſtea dicantur do-
minium ampliaſſe; tamen Cato teſtatur Senogalliam, quæ in primo domi-
nio ſitum habet inter Anconam & Ariminum, excluſa regione Cæſenæ, a
Senonibus denominatam, pulſis Etruſcis ex ea regione, quæ (*ſ*) Plinio ſexta ſ l.3. c.14.
fuit, non autem octaua, in qua Cæſenam (*t*) ponit. Sed in imperio poſte- t c.15.
riore dilatato a Senonibus vltra regionem illam priorem nullus aſſerit anti-
quorum fuiſſe Senam a Senonibus denominatam. Amplius autem Senonum
regia prima ſi fuiſſet Cæſena contradiſtincta a Senogallia poſterius ab ijſ-
dem denominata: Certe Cato non omiſiſſet principalioris Senæ denomina-
tionem, habita ratione ſolius Senogalliæ. Neque parum a mente Catonis,
& Sempronij abeſt eos reſpexiſſe tempora poſteriora Senonum, quibus Se-
nogalliam condiderant, non item priora, quibus Cæſenam tantum ædifica-
uerant; quod abſque probatione Cl. Scipio gratis accipit; namque Sem-

pro-

pronius & Cato loquuntur de Gallia Togata Senonum, quæ terminum habebat a Rubicone ad Anconem, intra quos terminos Cæſena non eſt. Itaque Cæſena vetuſtior eſt non ſolum ampliatione imperij Senonum, ſed etiam irruptione Senonum in Italiam, quæ a Flauio Papio Tuſcorum rege nondum Alpibus a Gallorum natione ſuperatis Flauia Papia cognominata fuit; quod & in D. Seueri vita, & in manuſcripto veteri Cæſenatium legit
u l. 4. pag. 155. 156. ipſe (u) Scipio: qui dum tantæ antiquitati fidem non oppignerat, Patriæ, cuius decora refert in Senonum ædificationem ac regiam, maiora detrahit, vt dicebam antiquitatis ornamenta paſſim a Claſſicis autoribus celebrata, qui eam vrbem vetuſtam, & ciuitatem antiquam ſalutant; fruſtraque apud viros doctos veteri manuſcripto, quod fortaſſis ante typographiam exaratum fuit, ſuam coniecturam nulli veterum teſtimonio firmatam de Cæſa-Sena in Cæſenam mutata præferre conatur. Et certe mirum eſt, quum ipſe
x pag. 126. ſuam coniecturam dubio plenam fateatur, inquiens, (x) *Acciſio forte & excifio Sena nouo nomini occaſionem præſtitit, quaſi ſcilicet Caſa Sena tum diceretur, in Cæſenam duæ voces coaluerint*: eam anteponere non dubitaſſe tum manuſcripto veteri ciuitatem hanc anteaquam Galli veniſſent in Italiam ſub Etruſcorum imperio vocatam Flauiam Papiam a Flauio Papio Tuſcorum Rege, qui Coloniam fecit: cui ſcripto vel ipſe magnam ineſſe probabilitatem fatetur: tum ſcripto Diui Seueri Vitam continenti, in quo legitur antiquum ciuitatis
y pag. 155. nomen fuiſſe Flauiam Curuam Papiam: Vt ipſemet Cl. Scipio non (y) diffitetur. Sed & quum omnes hiſtorici veteres vnius tantummodo Senæ meminerint a Senonibus Gallis ædificatæ, deque ſuo nomine nuncupatæ tum Senam, tum Senogalliam, tum etiam Senam gallicam, vt antea viſum eſt; nemoque fuerit, qui duas a Senonibus olim Senas in Vmbria conditas, & cognominatas a ſe dixerit vnquam: Scipio ſolus id propria fretus autoritate ſancire ſibi fas eſſe duxit in hiſtoria, gratis aſſerens, (z) *Florentes ergo Se-*
z pag. 50. *nones amplitudine imperij, & rerum geſtarum gloria interim quieſcebant, captaque loca cultu exornabant, & ædificijs. Montes Piſauri, atque Anconæ Mari imminentes duo promontoria efficiunt, inter quæ iacet æquata planities quadraginta milliarium. In eius medio ad mare nouam ciuitatem excitauerunt, deque ſui nomine vocauere: verum ad differentiam prioris, & ad gloriam gentis, non Senam tantum, ſed Senogalliam dixerunt.* Quæ pari facilitate negantur, qua ſine probatione voluntarie proferuntur. Sed redeamus tandem ad Anulos Antiquorum.

De Anuli cum Infantibus expoſiti fine. Cap. XLIV.

39. an. finis. Conſueuiſſe veteres, infantulos recens natos exponere varijs de cauſis, certiſſimum eſt percurrenti ſeniorum ſcripta: ſed & in more quoque poſitum fuiſſe priſcis, vna cum puellulis Anulos etiam exponere non vnam
a Heaut. ac. 4. ſc. 1. ob cauſam, etiam legimus; etenim apud (a) Terentium habemus hæc inter Soſtratam matrem familias, Nutricem, Chremetem maritum, & ſeruum Syrum de filiola dudum expoſita,

„ *So.* Niſi me animus fallit, hic profecto eſt anulus, quem ego ſuſpicor,
„ Is, quicum expoſita eſt gnata. *Ch.* quid vult ſibi, Syre, hæc oratio?
„ *So.* Quid eſt? is ne tibi videtur? *Nu.* dixi equidem, vbi oſtendiſti, illico,
„ Eum eſſe. *So.* at vt ſatis contemplata modò ſis, mea nutrix. *Nu.* Satis.
mox cum Chremete viro Soſtrata loquens infit.
„ *So.* Meminiſtin' me eſſe grauidam, & mihi te maximopere interminatum,
„ Si puellam parerem, nolle tolli? *Ch.* ſcio, quid feceris;
„ Suſtuliſti. *Sy.* ſi ſic factum eſt, domina, ergo herus damno auctus eſt.
„ *So.* Minime; ſed erat hic anus Corinthia haud impura; ei dedi
„ Exponendam - - - - - - - -
& poſt multa cum marito, Soſtrata ſubiungit,
„ - - - - - - - - vt ſtultæ & miſeræ omnes ſumus
„ Religioſæ: quum exponendam do illi, de digito anulum
„ Detraho; & eum dico vt vna cum puella exponeret;
„ Si moreretur, ne expers partis eſſet de noſtris bonis.
„ *Ch.* Iſtuc recte: conſeruaſti te, atque illam. *So.* hic eſt his anulus.
„ *Ch.* Vnde habes? quam Bacchis ſecum adduxit adoleſcentulam: *Sy.* Hem!
„ *Ch.* Quid ea narrat? *So.* Ea lauatum dum it, ſeruandum mihi dedit;
„ Animum non aduerti primo: at, poſtquam adſpexi, illico
„ Cognoui: ad te exilui. &c.

Heliodorus etiam in (*b*) Aethiopicis etiam fatetur, a Perſina Regina Aethio- *b* lib. 8. &
piæ filiam, quod alba Regem in adulterij ſuſpicionem inducere poſſet, ex- 10.
poſitam cum faſcia, monilibus, & gemmis; inter quas anulus erat pronubus
a Rege dudum ſponſæ datus, lapidem qui vocatur Pantarbe, in pala inſertum habens, & literis quibuſdam ſacris pictus; cuius indicio cognita Chariclia filia Regis, poſt multas ærumnas tandem dilecto Theageni nubit. Itaque cum infantulis olim & anulus exponebatur vel in partem paternorum
bonorum; vel in oportunam expoſitorum agnitionem: qua de re poſtea *c* cap. 50.
(*c*) quoque.

De Anuli vſu ad Natalitia priſca celebranda.

Cap. XLV.

CONſueuiſſe veteres Natalitios dies celebrare ſolemniter, omnibus iam 40. an. finit.
in comperto eſt, quicumque mores antiquiores a limine ſalutarint: ſed in ijs Natalitijs celebrandis geſtare conſueuiſſe priſcos peculiare quoddam genus anulorum, quos alijs diebus non attingebant, autor mihi eſt vetus Enerrator Perſi; quum enim Anulorum Natalitiorum meminerit Perſius ita in Satyra prima,

„ Et Natalitia tandem cum Sardonyche albus,

quia quidam habent anulos (inquit ille Scholiaſtes) *quos die tantum natali gerunt.* De propoſito non memini alium egiſſe.

De Anulis ad illudendum ſenſibus.

Cap. X L V I.

41.an.finis. Circumforanei priſci quoque multos anulos ad præſtigia ſenſuum, & ad luſum fecere; quibus captata vulgi admiratione, fidem ab ijs aucuparentur de rebus admirabilibus, quas populo prædicarent, atque reuera viles
a epiſt. 1. non vili pretio venditarent. Huiuſmodi certe fuit anulus, quem Cl. (a) Pignorius aſſerit vidiſſe ſe non ita pridem apud Germanum quendam; in cuius funda lapis ſubobſcurus erat, qui ſputo illitus flammigaret. Huiuſce-
b 18. de ſubt. modi lapides confici monet (b) Cardanus ex libris tribus calcis viuę, picis „ Græcæ vncijs tribus, & Herculei lapidis vncia; coquuntur trita in olla fi- „ ctili lateribus concluſa, inde ſepelitur in oleo laurino per dies xv. inde ſerua- „ tur in ſicco: liceat hoc minus habeat veritatis, quia non ſemper accenditur. Ad hoc genus referendi ſunt alij circulatorum anuli, tum qui plures ad ſeinuicem concatenati manu luſoris dexteritate ſumma mire ſic agitantur, vt & integri & mox fracti, deincepsque redintegrati & ſolidi; atque ab inuicem modo diſſolubiles, modo indiſſolubiles circumſtantibus oſtentarentur: tum etiam qui bini, vel plures integri e traiectis duobus funiculis vtrimque colligatis abſque funiculorum ruptura mirabiliter eximerentur. In eodem cenſu ponimus illos anulos, per quos oua, prius acri aceto macerata, traijcie-
c l.10.c.60. bantur antiquitus, de quibus (c) Plinius.

De Anulis ad iocum, ſiue ad luſum.

Cap. X L V I I.

42.an.finis. Non valde diſſimilis vſus fuit antiquitus vſus anulorum, non ad admirationem, ſed ad iocum & luſum inſtitutorum; de quibus Autor Vitæ Sancti Eminoldi, notans olim puellas vitreis anulis in ludo vſas, *Mulier quadam*, inquit, *Leucardis quum quadam die vitreis anulis more luderet puellari* &c.
a l.2.epiſ. 144. Quin & Ioſephus Scaliger in (a) epiſtolis ad M. Velſerum, *Anulus*, ait, *quem tenet puer, eſt, non trochus, qui erat ingens circulus, quem radio in triuijs agebant pueri (vt in Batauicis nostris urbibus ſolet) ſed, vt puto, zeræ triſtam* [ϰρίκος], *quo in palæſtra ſeſe adultiores exercebant.* Ego vero non video modo magnitudo circuli excludat eum ab anuli genere.

De Anulorum vſu ad ſignandas victimas.

Cap. X L V I I I.

43.an.finis. Herodoti (a) relatu, myſtæ ſacrificulique pœnam capitis incurrebant,
a l. 3. ſi Dijs victimam immolaſſent, quam anulo prius non ſignauiſſent.
b 1.Hierog. Quem etiam ritum antiquiſſimum innuit apud (b) Valerianum Horus Apol-

Io, dum Orygem, vnicornem feram, ex genere ſilueſtrium caprearum, ait ſigillo Deorum non debuiſſe ſignari; ne ſcilicet in Deorum poſſeſſionem videretur tranſcribi obſcæna beſtia; quæ typus erat impuri atque ſceleſti animi; ſiquidem quando Sol & Luna exoriuntur, indignanti ſimilis truces humi oculos defigere, ac mox auerti, aluumque exonerare perhibetur. Licet id habere videatur cauſam naturalem; quod animal id repentina luce ſideris nimium afficiatur, & commoueatur adeo vehementer, vt auertere cogatur obtutum ab ingrato, & inſolito ſplendore, oculoſque ad terram deijcere; metuque calor concentratus ad cor, partes imi ventris deſerens, virtute retentrice propterea langueſcente fæces exeant. Ita namque ſæpiſſime nouimus & homines præ metu repentino, & magno, ſtercum extra conſpurcari. Quin & a concentrato calore, proindeque viribus aucto circa partes etiam imi ventris ſuperiores, virtus expultrix roborata facile pellit excrementa de ſe non ita exitui parata; ſiquidem pedum perfrigeratione multos agnouimus aluo ſtrictiore, laxatos excreuiſſe fæces non niſi propter caloris ad inteſtina propulſi robore facultati expultrici addito. Plutarcho (c) pariter, Sphragiſtæ, id eſt Sigillatores appellabantur myſtæ, qui victimis ſigillum ante ſacrificia imprimebant, cuius annuli nota (quod mirere) homo in genua prouolutus, manibus reuinctis, cum gladio ad iugulum. An quia bouem, hircum, agnum, hominis loco immolabant, ad eluendam offenſionem diuinam, Deo has victimas acceptante, ne periret omnis homo; ſiquidem omnis homo coram Deo mortis reus erat? Certe potuerunt a priſcis Hebræis ethnici ſacrificuli tale quid addiſcere, atque initiaſſe vt homines expiarent hoſtiarum ſanguine noxam illam, quam alioqui purgari, atque proluere ſanguine proprio ipſos oportuiſſet; vt diſerte notat Cl. Petraſancta ſuis in (d) Symbolis Heroicis. Quin & ſacra pagina docet arietem (e) pro Iſaaco ſacrificatum, & paſſim animalia bruta ſacrificari præcipit in expiationem peccatorum populi, liber Leuitici.

c de Iſid. & Oſirid.

d l. 3. c. 8.

e Gen. 22

De Anulorum vſu ad amicorum diſceſſum.

Cap. XLIX.

CONſueuerunt olim, Magnates præſertim, vt obſeruat etiam ibidem Cl. Petraſancta, peregre proficiſcentibus amicis adeſſe comites aliquantiſper; & hoc genus officij dicebatur *Ad anulos habere*. Sic etenim Conſtantino Magno laudi datum fuit in Panegyrico, quod digredienti *Ad anulos ſteterit*. Nec non etiam in Plinij iunioris Panegyrico legimus, *Tenuis adhuc & obſcurus, obtinenti Africam comes hæſerat*. An in digreſſu maior tenuiori dabat anulum? an æquales anulum mutuo permutabant? vt hoc officij genus *Ad Anulos* diceretur?

44 *an. finis.* l. 3. c. 8.

De Anulis hæreditarijs, ſiue legatis in teſtamento.
Cap. L.

45 *an. finis.* PRæter cetera, legatos etiam anulos in teſtamento fuiſſe priſcis, apertiſſime conſtat; namque Franciſcus ille Petrarcha, Lyricorum Etruſcorum Anteſignanus, Anno Sal. M C C C L X X. pridie Non. April. Paduæ, manu propria ſcripto ſuo teſtamento, poſt alia multa legata ſuis alijs amicis, ait, *Domino Ioanni de Certaldo, ſeu Bucatio, verecunde admodum tanto viro tam modicum, lego quinquaginta florenos auri de Florentia: pro vna veſte hiemali ad ſtudium lucubrationesque nocturnas. Magiſtro Thomæ Bambaſia de Ferraria lego Leutum meum bonum, vt eum ſonet, non pro vanitate ſeculi fugacis, ſed ad laudem Dei æterni. Prædicti autem mei amici de paruitate huiuſcemodi legatorum non me accuſent, ſed fortunam, ſi quid eſt fortuna: propter hunc reſpectum diſtuli ad vltimum, quem primum eſſe decuit. Magiſtrum Ioannem de Horologio, Phyſicum, cui lego quinquaginta ducatos auri, pro emendo ſibi vnum paruum anulum, digito geſtandum in memoriam mei, &c. Hæc intra teſtamenti &c. Ego Franciſcus Petrarcha ſcripſi; qui teſtamentum aliud feciſſem, ſi eſſem diues, vt vulgus inſanum putat.* Sic ergo ſpeciatim & Anuli locum habuerunt apud antiquos inter legata. Veriſimileque ſatis eſt antiquiora multo pleraque fuiſſe huiuſcemodi anulorum legata. Quem priſcum morem ſecutus Eminentiſſimus, vere Cardinalis Io: Franciſcus Guidius ex Comitibus a Balneo, luctuoſiſſimo funere cunctis probis, at mihi præſertim eius dilectiſſimo clienti, ſupra modum acerbo & lachrimabili, nuper elatus, condito teſtamento ſcripſit, *Quanto a mobili prohibiſco in perpetuo l'alienatione, e pignoratione del mio Anello Cardinalitio: e dell'altro con diamante a faccie, donatomi dalla Sereniſſima Maria de Medici, Regina di Francia: quale per incitamento de' Paſtori della Caſa mia alla virtù, voglio ſi conſeruino in perpetuo appreſſo li miei Heredi, e Fideicommiſſarij.* Ergo ſpeciatim Anuli teſtamento legabantur olim.

De Anulis ad indicium hæredes deſignati.
Cap. LI.

46 *an. finis.* MOrituri vero priſci ſuos Anulos obſignatorios dare conſueuerunt ijs, quos hæredes ſibi deſignaſſent; vt conſtat ex Curtio, talia de Alexan-
a l. 10. c. 5. dro Macedone ſcribente, (a) *Dimiſſo vulgo, velut omni vitæ debito liberatus, fatigata membra reiecit, propiusque adire iuſſis amicis (nam & vox deficere iam cœperat) detractum Anulum digito Perdiccæ tradidit, adiectis mandatis, vt corpus*
b cap. 6. *ſuum ad Hammonem ferri iuberent.* & infra, (b) *Alexandrum conſultum, cui relinqueret Regnum, voluiſſe optimum deligi: iudicatum autem ab ipſo optimum Perdiccam, cui Anulum tradidiſſet.* & mox. *Itaque Vniuerſi procedere in medium*
c l. 33. c. 1. *Perdiccam, & Regis Anulum tollere iubebant.* In hanc rem Plinius, (c) *Cui autem moriens detractum Anulum traderet, etſi non voce nuncupatus, conſenſu tamen*

he-

hæres inſtitutus cenſebatur. Quin & Valerius Maximus nonnullos refert, qui tali ſymbolo abutentes fucum fecerint ijs, à quibus beneficia ſuſcepiſſent; ait enim, (*d*) *Q. Cæcilius L. Luculli promptiſſimo ſtudio, maximaque liberalitate, & honeſtum dignitatis gradum, & ampliſſimum patrimonium conſecutus: quum præ ſe ſemper tuliſſet, vnum illum ſibi eſſe hæredem, moriens etiam anulos ei ſuos tradidiſſet, Pomponium Atticum teſtamento adoptauit, omniumque bonorum reliquit hæredem: ſed fallacis & inſidioſi cadauer P. R. ceruicibus reſte circumdatum, per viam traxit: itaque nefarius homo filium quidem, & hæredem habuit, quem voluit: funus autem, & exequias quales meruit.* & mox, *T. Barrulus Lentulo Spintheri, cuius amantiſſimum animum, liberaliſſimamque ſenſerat amicitiam, decedens ſuos anulos, perinde atque vnico hæredi tradidit, quem nulla ex parte hæredem relinquebat. Quantum illo momento temporis conſcientia, ſi modo vires, quas habere creditur, poſſidet, a teterrimo homine ſupplicium exegit? inter ipſam enim fallacis, & ingrata culpa cogitationem, ſpiritum poſuit, quaſi tortore aliquo mentem eius interius cruciante: quod animaduertebat e vita ad mortem tranſitum ſuum, & ſuperis dijs inuiſum eſſe, & inferis deteſtabilem futurum. M. vero Popilius Senatorij ordinis Oppium Gallum ab ineunte ætate familiariſſimum ſibi, moriens pro vetuſto iure amicitia, & vultu benigno reſpexit, & verbis magnum præ ſe amorem ferentibus proſecutus eſt: vnum etiam de multis, qui aſſidebant, vltimo complexu, & oſculo dignum iudicauit: ſuperque anulos quoque ſuos ei tradidit: videlicet ne quid ex ea hæreditate, quam non erat aditurus, amitteret. Quos Oppius vir diligens, ſed morientis amici plenum contumeliæ ludibrium, in loculum repoſitos & a præſentibus aſſignatos, diligentiſſime hæredibus illius, exhæres ipſe reddidit. Quid hoc loco inhoneſtius? aut quid intempeſtiuius? Senator Populi Romani curia egreſſus, homo vitæ fructibus continuo cariturus, ſanctiſſima iura familiaritatis morte preſſis oculis, & ſpiritu ſupremo anhelatius reddens, ſcurrili luſu ſugillanda ſibi deſumpſit.* Sic igitur antiquitus Anuli traditio a morituro paſſim erat indicium deſignans hæredem eum, cui traderetur Anulus animam agentis. — d l. 7. c. 9.

De Anulis ad ſponſi deſignationem.
Cap. L I I.

HÆc exarauerant, quum ad aures venit Saxo Grammaticus, qui in Hiſtoria (*a*) Danica memorabile facinus Regnildæ filiæ Regis Haquini deſcribit anulo ſibi futurum ſponſum deſignantis Hadingum virum fortiſſimum, de quo ſcribit ad verbum, *Regreſſus Hadingus, eodemque cunctatione perpeſſus, tranquilla quæque proprio turbidabat aduentu. Siquidem nauigante eo oborta nimbi vis ingenti claſſem tempeſtate conſumpſit. Naufragum hoſpitia petentem, ſubita penatium ſtrages excepit. Nec ante malo remedium fuit, quam ſcelere ſacrificijs expiato, cum Superis in gratiam redire potuiſſet. Siquidem propitiandorum numinum gratia, Fro Deo rem diuinam furuis hoſtijs fecit: quem litationis morem annuo feriarum circuitu repetitum, poſteris imitandum reliquit: Fro Blod Sueones vocant. Quumque forte gigantum quendam Nitherum Regis Haquini filiam Regnildem ſtabilem inaduenire teret, indignam rei conditionem pertæſus, pro* — 47 an. friſ. a lib. 1.

ſum-

ſummam fatalis copulæ diſſolutionem ingenuo auſu præcurrit. Norue-[illegible] gigantem [illegible] Reginæ Virginis amatorem armis oppreſſit. Adeo namque virtutem otio prætulit, vt quum regijs delicijs frui liceret, non ſolum ſuas, verum etiam alienas iniurias propulſare, omni voluptate iucundius duceret. Autorem beneficij puella crebris obtuſum vulneribus ignara medendi cura proſequitur. Cuius ne notitiam ſibi temporis interuallum eriperet, crus eius Anulo vulneri incluſo obſignatum reliquit. Eadem poſtmodum a patre eligendi mariti libertate donata, contractam conuiuio iuuentutem curioſiore corporum attrectatione luſtrabat, depoſita quondam inſignia perquirens. Spretis omnibus, Hadingum latentis Anuli indicio deprehenſum amplectitur, eique ſe coniugem donat, qui coniugio ſuo gigantem potiri paſſus non fuerat. Sed in codicem Saxonis errorem irrepſiſſe crediderim, vbi legitur *puella ignara medendi* pro eo quod Autor dixerat de *puella non igna-ra medendi*; nam apud Antiquos Regum filiæ vulneribus curandis vacabant, & inſtruebantur: nec ignaræ medendi cura vulnerum herois fortiſſimi com-mitti debuerat, aut poterat: nec ignara medendi nouiſſet Anulum includere vulneri ad mariti futuri deſignationem.

De Anulis ad Amoris meretricij nequitiam.

Cap. LIII.

48 *an. finis.* ANulis priſcis, qui ad luſum attinent, lubet attexere quoſdam antiquos ad amoris impudici, ſiue meretricij nequitiam comparatos; nam olim amicæ paſſim, ac meretriculæ ſummis labris anuli apprehenſi dentibus gemmam exertam, vt inſpicerent imagunculas in ea ſculptas rogabant adoleſcentulos, quibus clam baſia dare, vel rapere cupiebant; non enim illi poterant inſpicere characteres minutos in anuli funda ſculptos, niſi ſuum os ori puellæ proximum admouerent, diutuleque vicinum detinerent. Qua de re fragmentum Ennij legitur apud Cl. Virum Hieronymum Columnam,

„ Alij dat anulum ſpectandum a labris,
„ Alium inuocat, cum alio cantat.

a epiſt. 1. Ideoque recte, vt obſeruat (*a*) L. Pignorius, huc corrogat idem Columna
b in Aſinar. e legibus exaratis inter adoleſcentem, amicam, & lænam apud (*b*) Plautum illum [illegible]

„ Spectandum ne cui anulum det, neque roget.

hæc enim erant baſia clancularia.

De Anulis ad horas numerandas & diſtinguendas horologio.

Cap. LIV.

49 *an. finis.* DEnique vero iam terminet hanc Anulorum cauſam finalem nobilis, & *a* cap. 4. non ita frequens eorum vſus ad Horologia; nam, vt (*a*) ſupra viſum eſt, Carolus Imperator anulum habuit, in cuius funda contineretur horologium cum rotis horas diei noctiſque ſingulas deſignans & notans in diculo

la-

faberrime, quin & incluſæ campanulæ deſtinatis ictibus. Quin & alterum ſine campanulas, ſolum indiculo ſignans horas. Tertium his addit Cl. Petraſancta: quorum ſingulorum imagines, & hiſtorias opportune ſuperius allatas non eſt, vt in caſſum hic iterum repetamus. At qui hi fere ſunt vſus, quorum gratia vetuſtiori tempore mortales comparauerunt ſibi diuerſi generis anulos. Vulgare ſatis & illud eſt, quod ad Magiam referre videtur P. (b) Delrius dum de Diuinatione ſcribit, *Inuenio species ... varias, vna habebat ... hominum de filo ſuſpenſum in aquis, & vaſculi latera conſtitutis ictibus pulſantem.* Age nunc explicatis omnibus & ſingulis anulorum cauſis ad eorundem proprietates & paſſiones declarandas accedamus. b l.4.c.2.

De priſcorum Anulorum magnitudine.

Cap. L V.

POſt cauſas Anulorum eſſentiam conſtituentes, par eſt nunc introſpicere accidentia, quæ tales cauſas conſequuntur. Sane materia, quæ (a) prima cauſarum eſt, immediate ſequitur quantitas: quantitas autem vel continua a 1. phyſ. eſt, vel diſcreta; quæ numerus & multitudo dicitur. Continua quantitas aut t. 52. interna eſt, quæ vocatur magnitudo, aut externa, quæ locus appellatur. Quare ſeorſum inſpicienda nobis eſt Anulorum magnitudo, multitudo, & locus. Ad magnitudinem ſi reſpiciamus, illud in confeſſo eſt, antiquorum anulos plerumque multo maiores fuiſſe noſtratibus; namque Cæſari concionanti procul ab extrema militum concione conſpectus eſt anulus in digito ſiniſtræ manus, vnde vox concionantis audiri non poterat; proindeque grandem admodum illius anulum extitiſſe neceſſarium eſt, qui tam diſtantes oculos percelleret. Hiſtoriam luculentiſſimam habemus apud Tranquillum, cui (b) Cæſar *conſecutus cohortes ad Rubiconem flumen, qui prouinciæ eius finis erat, paulum conſtitit, ac reputans quantum moliretur, conuerſus ad proximos, Etiam nunc, inquit, regredi poſſumus; quod ſi ponticulum tranſierimus, omnia armis agenda erunt. Cunctanti oſtentum tale factum eſt. Quidam eximia magnitudine & forma in proximo ſedens repente apparuit arundine canens, ad quem audiendum cum præter paſtores, plurimi etiam ex ſtationibus milites concurriſſent, interque eos & æneatores, rapta ab vno tuba, proſiluit ad flumen, & ingenti ſpiritu claſſicum exorſus pertendit ad alteram ripam. Tunc Cæſar, Eatur, inquit, quo Deorum oſtenta, & inimicorum iniquitas vocat. Iacta alea eſt, inquit. Atque ita traiecto exercitu, adhibitis Tribunis plebis, qui pulſi ſuperuenerant, pro concione fidem militum flens, ac veſte a pectore diſciſſa inuocauit. Exiſtimatur etiam Equeſtres cenſus pollicitus ſingulis; quod accidit opinione falſa: nam cum in alloquendo, exhortandoque ſæpius digitum læuæ manus oſtentans affirmaret ſe ad ſatisfaciendum omnibus, per quos dignitatem ſuam defenſurus eſſet, Anulum quoque æquo animo detracturum ſibi; extrema concio, cui facilius erat videre concionantem, quam audire, pro dicto accepit, quod viſu ſuſpicabatur; promiſſumque ius anulorum cum millibus quadringentis fama diſtulit.* b in Caſ. Dic. Pierius etiam inquit: (c) Cn. Sergio ... nobili alioqui viro, cognomen ... Orata ... [illegible] c Hiero. 41.

gran-

grandibus vteretur; vulgùs enim aurum, Orum, quod nunc paſſim dicitur, enunciabat ?
ſed erat hoc ad gemmarum etiam oſtentationem. Plinius itidem anuli priſci ma-
d l. 33. c. 1. gnitudinem enormem indicat ex onere, ac pondere, dicens de anulis, (*d*) *Mul-*
tis hoc modis, vt cetera omnia, luxuria variauit; gemmas addendo exquiſiti fulgoris
cenſuque opimo digitos onerando; ſicut dicemus in gemmarum volumine. atque mox;
alij pondera anulorum oſtentant. Qua de re non ſolum diffamatur, vt vidimus
e cap. 32. apud (*e*) Petronium *Trimalcio, qui habebat etiam in digito ſiniſtræ manus anu-*
lum grandem ſubauratum; ſed etiam ſugillatur Zoilus a Marciali, culpante
magnitudinem anuli, quo ſibi compedem ad crura dare, quam digitum
f l. 11. epig. exornare decenter potuerat; obijcit (*f*) enim,
38. „ Zoile, quid tota gemmam præcingere libra
„ Te iuuat, & miſerum perdere Sardonycha?
„ Anulus iſte tuis fuerat modo cruribus aptus:
„ Non eadem digitis pondera conueniunt.
g Sat. 7. In eandem ſententiam Iuuenalis (*g*) ait,
„ ------------ Cicero nemo ducentos
„ Nunc dederit numos, niſi fulſerit anulus ingens.
Nec omittendum eſt, quod memoriæ proditum habemus a Iulio Capitolino
Maximinum Cæſarem pollice fuiſſe tam vaſto, vt vxoris dextrocherio vte-
h l. 37. c. 6. retur pro anulo. Plinius (*h*) alibi miram inſinuat anuli granditatem, cuius
gemma fuerit Opalus magnitudine nucis auellanæ. Syllæ quoque valdè
grandem anulum fuiſſe neceſſum eſt, in quo traditio Iugurthæ a Boccho,
i l. 8. c. 15. ſculpta videretur; qua de re Valerius Maximus (*i*) ait, *Lucius Sylla cùm ad*
neminem ſcriptorem animum direxit, tamen Iugurtha ab Occho Rege ad Marium
perducto, totam ſibi laudem cuſide aſſeruit, vt anulo, quo ſignatorio vtebatur, ſcal-
k in Mario. *ptam illam traditionem haberet.* Verum luculentiſſime Plutarchus, (*k*) apud
quem, *Rex Mauritaniæ Bocchus gener erat Iugurthæ: hoc bellum gerenti non mul-*
tum auxilij miſit cauſatus perfidiam eius & timens incrementum. Poſtquam autem
fugitans & oberrans illum rebus perditis velut vltimam ſpem reſpectauit, atque ad
eum confugit: pudore magis vt ſupplicem quam amore recepit eum. Quem vt habuit
in poteſtate, in propatulo deprecator pro eo intercedebat apud Marium, ſcribens non de-
diturum ſe eum, defendebatque eius cauſam: occulte vero prodere eum moliens L. Syl-
lam Marij Quæſtorem, qui officioſus per bellum fuerat in ſe, accerſit. Vt habita fide
profectus ad eum Sylla eſt, mutatio conſilij & pœnitentia cepit barbarum multoſ-
que dies anceps varia animo agitauit deliberans, vel tradere Iugurtham, vel etiam Syl-
lam retinere. Tandem priorem proditionem confirmat, ac Syllæ Iugurtham viuum
tradit. Hæc prima extitit atrociſſimi illius & grauiſſimi belli ciuilis, quod pene Im-
perium Romanum euertit, ſementis: quippe complures inuidia Marij adſcribebant
eam rem Syllæ: atque ipſe Sylla ſigillum habebat, in quo Bocchus erat Iugurtham ei
tradens inſculptus; quo ſigillo vſus eſt perpetuo. Eo facto hominem ambitioſum, &
ad participandam gloria inſocialem pertinacemque ſtimulauit Marium, irritantibus
potiſſimum eum aduerſarijs illius, qui exordium belli & precipua Metello, extrema
ac finem tribuebant Syllæ, quo populum, qui oculos in primis defixerat in Marium, ab
eius auerterent admiratione. Hanc tamen inuidiam, odium, obtrectationes cito Ma-
l in Sylla. *rio deterſit & conſopiuit ab occidente ingruens Italiæ periculum.* Et alibi, (*l*) *Sylla*

Qua-

Quæſtor creatus Marium primo conſulatu eſt in Africam comitatus ad bellum Iugurthinum. Poſtquam in caſtra venit, probauit cum alijs rebus induſtriam ſuam, tum oblata occaſione recte uſus amicitiam ſibi regis Numidarum concilians Bocchi; nam legatos eius e manibus latronum Numidarum elapſos excepit, & liberaliter habuit, dona inſuper dedit eis, atque cum præſidio, quod eos in tutum deduceret, dimiſit. Bocchus autem iam pridem in ſocerum proſus erat, & timebat Iugurtham. Tunc fracto & ad ipſum confugienti inſidias ſtruens acciuit Syllam; quo per illum potius quam per ſe corriperetur traderetur que Iugurtha. Re cum Mario communicata præſidium habens paucorum militum maximum ſubijt periculum; quod, dum barbaro neceſſarijs ſuis coniunctiſſimis infido confidit, ut alium acciperet, in manus eius commiſiſſet ſe. Verum habens Bocchus utrumque in arbitrio ſuo, quum ſe in eam neceſſitatem demiſiſſet, fidem ut violaret in altero, poſt multos animi æſtus tandem primam proditionem comprobauit, tradiditque Syllæ Iugurtham. Duxit hac quidem de re triumphum Marius; ſed facti gloriam, quam Marij inuidia Syllæ attribuit, momordit in occulto Marium nonnihil; ſiquidem quum eſſet ſua ſponte Sylla iactabundus, & tunc primum ex vita abiecta & tenebris in lucem ciuium emerſiſſet, guſtumque cepiſſet honorum; eo erupit ambitionis, ut facti huius ſculptam imaginem in anulo geſtaret, qua etiam perpetuo deinceps ſignauit. Exprimebatur ſculptura Bocchus tradens & Sylla accipiens Iugurtham. Quam quidem expreſſionem habere non potuit conſpicuam, & aſpicientibus ſenſibilem pariter ac intelligibilem, niſi magna ſcalptura in anulo grandiore facta; ſiquidem eam figuram fuiſſe credendum, qualem in numo ex (*m*) Vrſino refert in notis Plinianis Dalechampius inquiens, (*n*) *In antiqui denarij aduerſa parte impreſſum eſt caput Torquati cuiuſdam cum his literis, F A V S T V S; in auerſa parte figratus Sylla in ſolio ſedens, aſtante Boccho in genua procumbente, & velut herbam porrigente; Iugurthaque manibus in terga reuinctis, humi abiecto, elato crure dextro.* Sed & Iſidorus, cui (*o*) tum *Multi etiam Romanorum pro grauitate anulum geſtare in digito abſtinuerunt;* tum *Feminæ non uſæ ſunt anulis, niſi quas virgini ſponſus miſerat: at nunc præ auro nullum feminis leue eſt, atque immune membrum;* ſatis oſtendit antiquos viros fuiſſe prægrandibus anulis membra grauantibus. Id ipſum apertiſſime conſtat ex (*p*) Iuuenali, ex quo vel ipſe Turnebus obſeruauit, antiquos æſtate non potuiſſe præ pondere geſtare anulos, quibus hieme vtebantur; adeoque ſemeſtres anulos (*q*) appellauit, quos Paris hiſtrio vatibus largiebatur; nam primo loco Iuuenalis ait,

m pag. 75.
n l. 37. c. 1.
o l. 19. c. 32
p Sat. 1.
q Sat. 7.

„ Criſpinus, Tyrias humero reuocante lacernas,
„ Ventilet æſtiuum digitis ſudantibus aurum;
„ Nec ſufferre queat maioris pondera gemmæ.

Deinde vero de Paride hiſtrione,

„ Semeſtri Vatum digitos circumligat auro.

Crediderim æſtiuos anulos eſſe leuiores hiemalibus, quia non ſolidi, ſed caſſi forent ac peruij cauique per totum intus; & hos eſſe ſemeſtres illos, quos Paris donabat, quum hiemales extiterint ſolidi, & magni, proindeque moleſti propter grauitatem. Obſeruare lubet, anulum aureum licet, argenteumve, aut alio metallo confectum appellari conſueuiſſe gemmam, denominatione facta ab eo quod pretioſius eſt in anulo. Galenus quoque non

 par-

r 17. de v. part. c. 1. paruam anulorum magnitudinem proponere videtur, dum ait, (r) *Nuper quidam in anulo Phaetontem quatuor equis inuectum ſculpſit: omnes enim equi frenum, os, & dentes anteriores habebant: quæ equidem propter ipſa exiguitate non videbam prius quam ſpectaculum hoc admirabile ad claram lucem conuertiſſem: non tamen ne ſic quidem partes omnes mihi apparebant, quemadmodum nec alijs pleriſque. Quod ſi quis aliquando ipſas videre plane potuit, eas incredibili artificio eſſe continnatas affirmabat: nam & pedes ſedecim quatuor equorum numerabamus, quorum qui partes omnes oculis diſcernebant, mirabiliter articulatas eſſe aſſerebant.* Verum multo magis eximiam anulorum fuiſſe magnitudinem apud antiquos agnoſcere licet

ſ 1. rhet. c. 13. ex eo, quod Ariſtoteles ait, (ſ) *Et quum propter infinitatem non facile poſſent omnia perſequi; vt vulnerare ferro, & quanto, & quali; deficeret enim prius vita hominum, quam omnia dinumerare poſſet: nam ſi quid adhuc indefinitum ſit, de quo legem ferre oporteat; de eo neceſſe eſt ſimpliciter & vniuerſe ſtatuere: Quare ſi quis anulum ferreum habens, elata manu quempiam percuſſerit; ex verbis legis ille reus eſt, & iniuſte facit; reuera tamen non facit iniuſte: & hoc eſt, quod æquum & bonum*

t. p. 165. c. 2 *appellatur.* Vbi recte Maioragius, (t) Probat æquum & bonum in conſilio & voluntate Legiſlatoris, non autem in verbis legis eſſe poſitum: nam res, quæ nominantur in lege, communiter nominantur, vt, Ne quemquam ferro vulnerato. Ponamus, inquit Ariſtoteles, aliquem anulum in manu ferreum habere, & elata manu quempiam percutere: certe non dubium eſt; quin is contra legis verba fecerit, quum anulo ferreo vulnerarit, & in lege prohibeatur quiſquam ferro vulnerari: debet igitur ex lege condemnari. Verum ſi æquitatem & veritatem reſpicere voluerimus, non is contra legem fecit; neque puniri debet tanquam ſi gladio aut pugione vulneraſſet: neque enim hoc Legiſlatoris conſilium fuit, vt condemnari vellet qui anulo ferreo percuſſiſſet, ſed qui vel gladio, vel haſta, vel pugione, vel quouis alio inſtrumento bellico quo poſſet mortem afferre. Quintilianus Ariſtotelis loci in hunc

u l. 7. ita expreſſit; (u) *Qui recte cum ferro deprehenſus fuerit, alligetur: cum anulo ferreo vulneratum, Magiſtratus alligauit.* At vero ferreus anulus, quo percutere, vulnerareque quis poſſet hominem, longe maioris molis oportuit eſſe, quam qui nunc vulgo geſtari conſueuerunt. Lucianus etiam de ſeruo loquens in

x t. 4. Dial. meret. Dorcade ſcribit, (x) *Habebat autem & ipſe Parmeno anulum in digito pernec maximum ac multangulum: lapillusque incruſtatus in eo erat ex tricoloribus illis quidam, rubebatque ſuperne.* Liuius item Sabinis (y)

y l. 1. init. attribuit anulos grandiori ſpecie gemmatos. Sed & ad magnitudinem eximiam anulorum priſcorum

z l. 5. confirmandam, ea faciunt, quæ ſcribit Heliodorus inquiens, (z) *Hoc tibi, ait, pretium redimendæ Charicliæ, o Nauſicles, dij per nos offerunt, & ſimul tradebat anulum quendam regium, eximiam rem & diuinam, quod ad circulum attinet ex electro confectum. Ceterum in pala Amethyſto Aethiopica relucentem, tanta magnitudine, quantam oculus virginalis circumſcribit & occupat: pulchritudine autem longe Ibericum & Britannicum ſuperante. Hæc enim inerti & cui nullus adeſt ſplendor, flore rubet: ſimiliſque eſt roſæ, quæ primum ex baccis in folia funditur, & tum radijs Solis rubeſcere incipit: at Amethyſtus Aethiopica valde & ex profundo rutilat. Quod ſi tenes illam circumuertas, radium proijcit aureum, non obſcurans tum aſperitate viſum, ſed gratia & puritate ſingulari illuſtrans. Atqui & vis ipſi ineſt ge-*

nuina præ occidentalibus. Neque enim falſo ſibi vendicat appellationem; ſed vere arcet ebrietatem ab eo a quo fertur, ſobrium illum in conuiuijs retinet. Ac eiuſmodi quidem eſt omnis Indica & Aethiopica Amethyſtus: ceterum illa, quam Nauſicli offerebat Calaſiris, longe vel has ſuperabat. Pictura enim fuerat exornata, & ad imitationem animalium exculpta. At pictura quidem talis erat. Puer paſcebat oues, non admodum edita rupi circumſpiciendi cauſa tanquam ſpecula inſiſtens, paſcua gregi obliquis tibea cantibus diſtribuens: illa autem parebant, vt videbatur, & ad ſignum ac præcentum fiſtula in paſtione perſeuerabant. Dixiſſet quiſpiam eas etiam aurea vellera habere, non arte id gratia addente, ſed amethyſto proprio rubore in tergis illarum rutilante. Depicta erant & agnorum teneræ laſciuiæ; & quidam gregatim curſu petram conſcendentes; quidam circa paſtorem petulantius ſe ſe in orbem intorquentes, paſtorale theatrum præcipitium reſraſet zabant: alij vero in flamma Amethyſti tanquam in Sole laſciuientes, ſcitibus extremorum vngularum petram radebant. Nonnulli autem ex ipſis recens nati, & ferociores, etiam tranſilire velle circulum videbantur, ceterum ab arte prohiberi, auream palam illis, & rupi tanquam ſpeluncam quamdam circundante. Erat autem rupes reuera, & non imitatio. Quum enim extremam partem lapidis ad hoc ipſum circumſcripſiſſet artifex, oſtendit natiua veritate id quod volebat ſupervacaneum eſſe: exiſtimans lapidem in lapide fingere. Talis igitur erat anulus: proindeque valde magnus; in cuius gemma bulbum oculi muliebris æquante, tot erant inſculpta animalia viſui conſpicua. Deſcripſit autem Heliodorus anulum ea magnitudine, quæ ſuis temporibus erat anulorum propria; noſtratium anulorum magnitudinem longe ſuperans. Quod vel ex ipſo Ciceronis præclaro teſtimonio conſtat, qui L. Piſonis anulum veluti paruum affert in (*a*) Verrem, cuius pondus eſſet ſemuncia: quem locum latius infra ſumus allaturi, dum agemus de anulorum detractione. Sed & anulus ille Neronis, de quo Choul agens de Religione antiqua, notatu Antonini, magnus valde fuit, circa gemmam, in qua ſculptus erat Apollo cum excoriato Marſia continens haſce literas, *Nero Claudius Cæſar Aug. Germ. P.M.Tr.P.Imp.P.P.* Sed tamen minime negauero priſcis etiam in vſu fuiſſe paruos anulos; cuiuſmodi multos vidimus apud Antiquarios, & cuiuſmodi fuiſſe credendum eſt illos, de quibus mirabilem hiſtoriam narrat Plinius agens de thermalibus aquis, in hæc verba (*c*) *Homerum calidorum fontium mentionem non feciſſe demiror, quum alioquin lauari calida frequenter induceret, videlicet, quia medicina tunc non erat hæc, quæ nunc aquarum perfugio vtitur. Eſt autem vtilis ſulfurata neruis, aluminata paralyticis, aut ſimili morbo ſolutis: bituminata aut nitroſa, qualis Cutilia, vtilis eſt bibendo, atque purgationibus. Plerique in gloria ducunt, plurimis horis perpeti calorem earum: quod eſt inimiciſſimum; namque paulo diutius, quam balineis, vti oportet, ac poſtea frigida dulci, nec ſine oleo diſcedenteis: quod vulgus alienum arbitratur, idcirco non alibi corporibus magis ebrioſis: quippe & vaſtitate odoris capita replentur, & frigore infiſtantur ſudantia, reliqua corporum parte merſa. Similis error, quo quidam plurimo potu gloriantur. Vidique iam turgidos bibendo, in tantum vt anuli integerentur cute, quum reddi non poſſet hauſta multitudo aquæ. Nec hoc ergo fieri conuenit, ſine crebro ſalis guſtu.* Quem locum Mercurialis in ſuis Piſanis Prælectionibus obſeruauit quidem, ſed hiſtoriæ fidem abrogare quoquo pacto videtur inquiens, (*d*) *Neque ignoro Stra-*

a act. 5.

c l. 31. c. 6.

d de Baln. Piſ. c. 2 f.

bonem, Celſum, Vitruuium, Plinium, alios que celebres ſcriptores vſus Medici thermarum diuerſarum mentionem feciſſe: atque Plinium ipſum commemoraſſe nonnullos, qui eatenus huiuſmodi aquas potabant, donec digitis ea repletis anuli abſconderentur: ſed illud perrarum eſt, & de hoc poſtremo euentu quid certo credam non habeo: quum aquas thermales, quæ potantur, per aluum, aut veſicam exeunt. nec quantumcumque quis illarum bibat, obſeruatur vnquam ita digitos repleri, aut tumere, vt in iis anuli occultentur: quamobrem ſi verum eſt, quod Plinius teſtatur, potius contendendi gratia inter aliquos potores, quam propter valetudinem factitatum ſuſpicor. Ego vero non cenſeo fidem eſſe negandam Plinio, qui ſe mirabilem hunc effectum vidiſſe fatetur, non ex aliorum dicto recenſet. Nec obſtat, quod epotæ thermales aquæ per aluum, aut veſicam reddi conſueuerint; quia Plinius mirum hoc accidere dicit, iis qui multitudinem aquæ iam hauſtæ reddere non poterant; frequenter enim fit, vt epota thermalis aqua nec aluo reddatur, neque veſica; cuius exitum Plinius ait impediri crebro guſtu ſalis; nam vt hi plurimo potu gloriantes, crebro ſalem guſtant ad arceſſendam ſitim; ita multo ſale thermalis aqua (d) craſſior euadit, & ad fluxum ac exi-
d Gal. 9. & 11. ſimplic. tum inepta. Certe non ad valetudinem, ſed ad gloriolæ popularis illi ſtolidi tantam aquam potabant, vt anuli digitis pluſquam nimium intumeſcentibus integerentur. Quod qua ratione fieri potuerit par eſt inueſtigare. Certe non affatim id factum fuiſſe mihi veriſimile eſt, ſed ſenſim, vt ex quotidiano potu ſenſim velut hydropicum quendam habitum contraherent, Leucophlegmatian Græci nuncupant; aqua per venas in vniuerſas corporis partes delata, tum alia membra, tum digitos euidentiſſime tumefaceret; vt Plinius viderit eos iam turgidos bibendo, tumefactis digitis anulos non ita magnos abſcondiſſe, prorſus eo modo quo Megaris olim Theophraſtus ait
e 5. de hiſt. plan. c. 3. hiſtoria non minus admirabili, (e) dicens, *Nodos autem obducta incremento occupari, atque in plenum integi, ſenſus ipſe percipere euidentiſſime poteſt. Cæterum vel ex aliis per quam ſimilibus rebus id ita fieri conſtat: ſæpe enim pars arboris comprehenſa ab altera proxima eſt, atque in eiuſdem corporis magnitudinem coagmentata: & ſi lapidem, aut aliquid ſimile arboris ala intuleauerit, demum inſinuabitur, atque occultabitur amplexu auctionis obducta: quod etiam in oleaſtro, qui Megaris in foro ſtabat eueniſſe accepimus, quo ſucciſo, vrbem capi, ac diripi, oraculum erat, ſicuti actum eſt: In hoc enim perſciſſo reperta ocrea ſunt, & alia quædam Attici ritus, parte, qua primum affixa fuere, intra ramorum ambitum contaut ea. Huius oleaſtri, quod adhuc ſupereſt, parum admodum extat. Aliis quoque locis permultis complura eiuſmodi facta produntur: ſed hæc (vt dictum eſt) pluribus publica habentur.* Quin
f lib. 16. cap. 39. & Plinius iſta referens ait; (f) *Et quædam forte accidunt lapide comprehenſo, aut recepto in corpus, aut alterius arboris ramo. Megaris diu ſtetit Oleaſter in foro, cui viri fortes affixerant arma, quæ cortice ambiente ætas longa occultauerat: fuitque arbor illa fatalis excidio vrbis præmonita oraculo, quum arbor arma periſſet: quod ſuccisa accidit, ocreis, galeiſque intus repertis. Ferunt lapides ita inuentos ad continendos partus eſſe remedio.* Sed anuli digitis intumeſcentibus breuiori temporis interuallo contigit occultari, quod ob mollitudinem caro cutiſque citius aqua, ſanguineque ichoroſo potatoribus illis implentur & intumeſcunt abſque ſenſu doloris, quod ſenſim fiat illa tumiditas digitorum, & anulorum oc-

cul-

cultatio. Fieri vero contigit in illis tantummodo, qui thermalium potu quum gloriarentur, multam nimium aquarum quantitatem ingurgitabant, crebro ſalis guſtu ſubinde ſitim arceſſentes: atque ſic anulos minores non difficulter digitis intumeſcentibus occultantes.

De pretio Anulorum antiquorum, & de Caſtoreis a ſe teſtes abijcientibus. Cap. LVI.

POrro materiam pariter & magnitudinem anuli conſequitur eiuſdem pretium; nam certum eſt, ex materia digniori, & maiori, pretioſiores fuiſſe primitus anulos. Anulus quidem a Iuda Patriarcha datus vna cum armilla & baculo in arram hædi promiſſi (*a*) Thamari nurui ſuæ ſcortum mentitæ, in præmium ſtupri, nullius fere pretij fuit, quod eſſet æneus, aut ferreus abſque gemma ſigillaricius: at ingentis immaniſque viceuerſa pretij fuit aureus ille cum gemma nobili magnaque Nonij Senatoris anulus, de quo Plinius ita, (*b*) *Opali gemma magnitudo nucem auellanam æquat, inſigni apud nos hiſtoria: ſiquidem extat hodieque huius generis gemma; propter quam ab Antonio proſcriptus Nonius Senator eſt, filius Strumæ Nonij eius, quem Catullus poeta in ſella Curuli viſum indigne tulit, auuſque Seruilij Noniani, quem Conſulem vidimus: illeque proſcriptus fugiens, hunc e fortunis ſuis omnibus anulum abſtulit ſecum, quem certum eſt ſextertijs viginti millibus æſtimatum. Sed mira Antonij feritas, atque luxuria, propter gemmam proſcribentis: nec minor Nonij contumacia, proſcriptionem ſuam amantis: quum etiam feræ abroſas partes corporis relinquant, propter quas ſe periclitari ſciant.* Caſtoreos innuit, de quibus antea dixerat, (*c*) *Genitales eaſdem partes ſibi ipſi Pontici amputant Fibri, periculo vrgente, ob hoc ſe peti gnari: Caſtoreum id vocant Medici.* Licet id poſtea reuocet in dubium ex Sextio dicens, (*d*) *Spectabilis naturæ potentia in his quoque, quibus & in terris & in aqua victus eſt, ſicut & Fibris, quos Caſtores vocant, & Caſtorea teſtes eorum. Amputari hos ab ipſis, quum capiantur, negat Sextius diligentiſſimus Medicinæ: Quinimmo paruos eſſe, ſubſtrictoſque, & adhærentes ſpinæ, nec adimi ſine vita animalis poſſe.* In eandem ſententiam Dioſcorides ait, (*e*) *Vanum eſt, quod traditur; teſtes ab ipſis euelli, & a ſe ſe abijci, quum venatu vrgentur; ſiquidem tangi nequeunt, ita, vt in ſue, ſubſtricti.* Ceterum naturæ vis mira; quæ ad vitæ tutelam ſubſtrictos, vt in ſue, teſtes a Caſtoreis non difficile tolli & abijci doceat; vt ab auibus & gallinis vteros intra conditos ad prolis conceptionem foras vtcumque promoueri facile docet. Verum redeamus ad anulum Nonij pretioſiſſimum; de quo, & de ceteris gemmam habentibus magni pretij, Grotius ita,

„ Anule, proſcriptor Noni: quo Cæpio Druſum
„ Odit, & in Syllam ſe tulit ira Mari.

Nam teſtimonio (*f*) Pliniano, *Inter Cæpionem quoque & Druſum ex anulo in auctione venali, inimicitia cæpere: vnde origo ſocialis belli, & exitia rerum.* Ceterum ob magnitudinem, præſertim gemmæ, maximi pretij fuiſſe conſtat anulum tum Polycratis Samiorum Tyranni, qui fortunæ quampiam inclementiam

a Gen. 38.
b l. 37. c. 6.
Digreſſio de Caſtoreo.
c l. 8. c. 3.
d l. 32. c. 3.
e l. 2. c. 23.
f l. 33. c. 1.

vt experiretur, ipſum proiecit in mare; ſed fruſtra; quum eum mox inuenerit intra piſcem captum, & ad ſe delatum dono: tum Pyrrhi Regis; de quibus ita Plinius, (g) *His initijs capit autoritas, in tantum amorem elata, vt Polycrati Samio, ſeuero inſularum ac littorum tyranno felicitatis ſuæ, quam nimiam fatebatur etiam ipſe, ſatis piamenti in vnius gemmæ voluntario damno videretur, ſi cum fortunæ volubilitate paria faceret; planeque ab inuidia eius abunde ſe redimi putaret, ſi hoc vnum doluiſſet. Aſſiduo ergo gaudio laſſus, prouectus nauigio in altum, anulum merſit. At illum piſcis eximiæ magnitudine Regi natus, eſca vice raptum, vt faceret oſtentum, in culinam domini rurſus fortunæ inſidiantis manu reddidit. Sardonychem eam gemmam fuiſſe conſtat: Oſtenduntque Romæ, ſi credimus, in Concordiæ delubro, cornu aureo Auguſtæ dono incluſam, & noniſſimum prope locum tot prælatis obtinentem. Poſt hunc anulum regia fama eſt gemma Pyrrhi illius, qui aduerſus Romanos bellum geſſit; namque habuiſſe traditur Achaten, in qua nouem Muſæ & Apollo Citharam tenens ſpectarentur, non arte, ſed ſponte naturæ ita diſcurrentibus maculis, vt Muſis quoque ſingulis ſua redderentur inſignia. Nec deinde alia quæ tradatur magnopere gemmarum claritas extat apud autores.* Verum enimvero fuerunt illi duo priſcorum anuli propter gemmæ magnitudinem, non autem ob lapilli raritatem atque præſtantiam magni pretij; ſecus enim Achates, & Sardoniche non ſunt cum Adamante, Smaragdo, Carbunculo, & id generis melioribus in pretio comparandæ. Præterea quot Achates Pyrrhianæ magnitudinem admirabilem ſatis oſtendunt nouem Muſæ cum proprijs vniuſcuiuſque inſignibus & Apolline citharam tenente ſponte naturæ diſcurrentibus maculis viſibilibus inſculptæ; quæ non niſi magnam aream ſibi poſtulant.

De Anulorum numero apud Antiquos.

Cap. LVII.

PRiſcis in more quidem primo fuit, vnum anulum geſtare; nam & id apud Macrobium Atteius Capito monet ex libro Pontificum Etruſcorum dicens, (a) *Veteres, non ornatus, ſed ſignandi cauſa anulum ſecum circumferebant; vnde nec plus habere quam vnum licebat.* & Iſidori notatu, (b) *Apud veteres vltra vnum anulum vtiſtatum habitum viro. Gracchus in Meuium, Conſidero Quirites ſiniſtram eius, en cuius autoritatem ſequimini, qui propter mulierum cupiditatem vt mulier eſt ornatus.* Attamen poſtea gliſcente luxu multiplicatus eſt anulorum numerus, non ſolum quia duorum generum anulos habuerint antiqui, hiemales nimirum & æſtiuos, quos propterea ſemeſtres appellabant vt (c) notauimus; verum etiam quia plures anuli ſimul eadem in manu geſtabantur: etenim Iſidoro, (d) *Craſſus, qui apud Parthos perijt, in ſenectute duos habuit anulos, cauſam præferens, quia pecunia ei immenſa creuiſſet.* Valerianus itidem, vt viſum eſt, inſit, (e) *Scimus inuidioſum Seruio cuidam, nobili alioqui viro, cognomen additum, vt Orata diceretur, propterea quod duobus anulis aureis, & grandibus vteretur; vulgus enim aurum, Orum, vt nunc paſſim dicitur, enunciabat: ſed erat hoc ad gemmarum etiam oſtentationem, quarum mox luxus creuit in immenſum.* Quin & Martiali, (f)

„ Sar-

g l.37.c.1.
a l.7.Satur. c.13.
b l.19.c.32.
c cap.46.
d l.19.c 32
e Hiero.41
f l.5.ep.11.

„ Sardonychas, Smaragdos, Adamantas, Iaſpidas vno
„ Portat in articulo Stella, Seuere, meus.
„ Multas in digitis, plures in carmine gemmas
„ Inuenies: inde eſt hæc puto culta manus.

vbi manum vnam ſignificat vnius articuli nomine; licet alibi vnicum digitum ſignet quod ex alio conſtat (g) Epigrammate de eodem, g l.5.ep.12

„ Quod nutantia fronte pertinaci
„ Geſtat pondera Maſclion ſuperbus,
„ At grandis Linus omnibus lacertis
„ Septem quod leuat pueros, veloctto,
„ Res non difficilis mihi videtur,
„ Vno quum digito vel hoc, vel illo
„ Portet Stella meus decem puellas.

ſiquidem, vt rectè monet R. Titius, Stella videtur plurimum delectatus anulorum geſtamine, vel ea de cauſa, quod amatores ſummo ſtudio expetere conſueuerunt rem aliquam a puellis, quas depereunt, ſibi dari, quam apud ſe, tanquam mutui amoris teſtem conſeruent, atque inter res pretioſiores diligentiſſime cuſtodiant, & qua identidem ſe oblectent; & dolorem, quem ex amaſiæ abſentia capiunt, hoc quaſi lenimento nonnihil conſolentur. Stella igitur puellis, quas adamaret, vel anulos vi detraxit, vel ab ipſis volentibus accepit. Ac Horatius amantium morum diligentiſſimus & ſcitiſſimus enarrator, de propoſito (*h*) cecinit h 1.carm. ode 9.

„ Hunc & latentis proditor intimo
„ Gratus puellæ riſus ab angulo;
„ Pignuſque * decerptum lacertis, *direptum
„ Aut digito male pertinaci.

Sed & forraſſe Stella tot geſtare conſueuit anulos, in quibus amaſiarum imagines inſculptæ eſſent; nam & hoc veteres factitaſſe docet Clemens Alexandrinus inquiens, (*i*) *Multi autem libidini dediti habent eos, quos amant (vel amicas) vt ne, ſi velint quidem, poſſint effectionis amoris obliuiſci; quod libido & intemperantia eis perpetuo in mentem reuocetur.* Illud tamen mihi veriſimile non eſt vnico digito Stellam geſtaſſe decem anulos; forte poeta digitum pro manu, vel denarium numerum figurate poſuit pro multiplici, vel hyperbolica phraſi voluit vti: tolerantius eſt numerus anulorum ſenarius, quem obiicit Charino in alio epigrammate (*k*) dicens, i 3.Pædag. k l.11.epi. 58.

„ Senos Charinus omnibus digitis gerit,
„ Nec nocte ponit anulos:
„ Nec quum lauatur; cauſa quæ ſit, quæritis?
„ Dactyliothecam non habet.

Quod autem Martialis in Stella commendat: id in Satyra, veluti vitioſum reprehendere videtur (*l*) Horatius, cui l 2.ſer.ſat.7

„ ———— ſæpe notatus
„ Cum tribus anellis, modo læua Priſcus inani
„ Vixit inæqualis, clauum vt mutaret in horas.

Plinius item æui ſui luxum & ambitionem in anulorum multitudine notat,

nam

m l.33.c.1. nam loquens de digito medio inquit, (m) *Hic nunc ſolus excipitur, ceteri omnes onerantur; atque etiam privatim articuli minoribus alij; ſunt qui tres uni minimo*
n l.6.c.12. *congerant*. Rhodiginus in eandem ſententiam addit, (n) *Qui vero anulis digitos onerant, vnguesque inſuper ſuperpoliunt, coma item non neglecta, eos fragoſo verbo in Nebulis Ariſtophanes Sphragidonychargocometas vocauit.* Alexandri notauit ſuis
o l.2.c.19. in Genialibus, (o) *Nec fuerit alienum meminiſſe, Heliogabalum ſingulis diebus nouos variaſſe anulos, eundemque nunquam bis induiſſe. Atque Apollonium Tyan. anulos ab Iarcha dono datos inſtar numinis habuiſſe, ita vt ſingulis diebus per vices variatis, maximorum ſecretorum particeps fieret.* Quod ex Damide refert etiam
p l.6.c.12. (p) Cælius, vt antea notaui. Ceterum quod ad vitium Heliogabali retulit
q pag.7. Gorlæus inquiens, (q) *Eliogabalus, Princeps ad omnia fœda natus, cottidie nouis digitos ornabat anulis, quosque pridie geſtarat, poſtridie rurſus ſumere dedignabatur profligatæ vitæ homo*: poterit id ad virtutem forte redigi tot inter vitia conſopitam & delitefcentem, nimirum ad nominis proprij cum Sole cognationem reſpiciens Heliogabalus, qui Solem primi mobilis circumductu quotidie nouum circulum in Zona torrida nuncupata parallelum deſcribere cognoſcebat; quemque pridie formauerat in ſphæra mundi circulum, poſtridie rurſus non efficere: Solem ſibi vtcumque cognominem imitari geſtiens Heliogabalus aliqua ratione, quotidie nouos & ipſe circulos digitis induebat.

Heliogabalus cur anulos nouos quotidie indueret.

r cap.32. Apud Petronium, vt ſæpe notaui, (r) *Trimalcio habebat etiam in penultimo digito ſiniſtræ manus anulum grandem ſubauratum, extremo vero articulo digiti ſequentis minorem, vt mihi videbatur, totum aureum, ſed plane velut ſtellis ferruminatum. Et ne has tantum oſtenderet diuitias, dextrum nudauit lacertum armilla aurea cultum, & eboreo circulo lamina ſplendente connexum.* Iuuenalis in Cri-
ſ Sat.1. ſpinum meminit anulorum æſtiuorum, & hiemalium ita,

„ Criſpinus, Tyrias humero reuocante lacernas,
„ Ventilet æſtiuum digitis ſudantibus aurum,
„ Nec ſufferre queat maioris pondera gemmæ.

t l.33.c.1. Plinius iterum de anulis infit, (t) *Multis hoc modis, vt cetera omnia, luxuria variauit, gemmas addendo exquiſiti fulgoris, cenſuque opimo digitos onerando, ſicut dicemus in gemmarum volumine.* Quæ non tam de magnitudine, quam de multitudine anulorum fere digitis impari pronunciauit; namque mox ait, *Sunt qui tres* anulos *vni minimo* digito *congerant*: & poſterius de gemmis agens ad-
u l.37.c.1. dit, (u) *Nec deinde alia quæ tradatur, magnopere gemmarum claritas extat apud autores, præterquam Iſmeniam Choraulem multis fulgentibusque vti ſolitum. Nicomachus etiam muſicus multas gemmas habuiſſe traditur, ſed nulla peritia electas.* Et
x 7.nat.qu. c.31. Seneca ſuum æuum damnans inquit, (x) *Exornamus anulis digitos, in omni articulo gemma diſponitur.* Alexandri relatu, (y) *Carthaginenſes pro numero expedi-*
y 2.genial. c.19. *tionum, milites plurimis anulis donabant.* Verum & hac etiam ætate, ſuperiorique ſeculo, multitudinem anulorum geſtari, compertum habemus: illud tamen memorabile, quod Cl. Veſlingius ait, ſe pridem in Aegypto conſpexiſſe. *Aethiopum*, inquit, *mulieres & puellæ geſtant brachio ſupra cubitum anulos numeroſos, ex varia materia conflatos: in pauperculis obſeruare liceat anulos denos, duodenos, ex vitro varij coloris fuſos: eaſdem geſtant etiam ſupra malleolos crurum, nullum alium in vſum, quam in elegantiæ quandam ſpeciem vt viſum eſt, qua fa-*

cile

cile in conſpectum virorum veniunt: quum vultu colloque velatæ incedant: idque præcipue Arabes, ceteraque Mahumeti ſectam colentes: Aureum item lobo anulos gerunt enormes, ad humeros vſque dependentes: Narium alas minore alio perforant anulo argenteo, vel aureo. Fulgoſius, & Egnatius dicunt, (z) *Geſtare in digitis anulos ingentis pretij Alphonſus Siciliæ Rex conſueuerat: & ne lauandis manibus gemmis officeret, loturus anulis digitos exuebat, ſeruandosque miniſtris, qui oportunius ſe offerrent, dare ſolebat. Cuidam igitur ſemel quum anulos tradidiſſet, qui obliuum Regem arbitrabatur, & propterea in vſum ſuum eos verterat, Alphonſus rem diſſimulauit, atque pro eis alios induit anulos, conſuetumque morem ſeruauit. Itaque poſt aliquot dies loturo Alphonſo quum idem aſtaret, qui primos habuerat, & non reſtituerat; manum porrexit, tanquam a Rege anulos, vt olim egerat, accepturus: Alphonſus autem retracta ad ſe manu, in aurem ſubmiſſa voce ei dixit: hos obſeruandos tibi anulos dabo, ſi prius alios, quos dedi, reſtitueris: Liberali profecto Rege, humano que atque animo ingenti prædito: digna vox, & æternis literarum celebranda encomijs.* Alexandrum Macedonem antea quoque vidimus (a) duos habuiſſe ſignatorios anulos, quorum altero literas in Aſiam mittendas, altero ſignaret mittendas in Europam. vt plane conſtet, non vnico, ſed pluribus antiquos anulis vſos fuiſſe. — z l.4. c.8. *Alphonſi Regis comitas in furem.* a cap. 27.

De Anulorum loco communi, ſiue qui geſtare conſueuerint anulos, qui non potuerint. Cap. LVIII.

PErſuaſum video plerisque viris eruditis, fas non fuiſſe pridem anulos vnicuique promiſcue geſtare; namque Valerianus interdictum ait annulum Flamini Diali, perinde ac hederæ contactum, (a) inquiens, *Vſque adeo vero adhæſit hederæ tenacitatis nomen, & illigandi complectendique ſignificatum, vt olim apud noſtros Flamini Diali non modo eam tangere ominoſum eſſet, verum etiam nominare, ne inde illigatus aliquo modo vel re, vel cogitatione deprehenderetur. Eaque de cauſa neque anulum quidem geſtare ei licebat; libera ſiquidem omnia eſſe volebant ſacrificulis.* Et quum hac de cauſa maxime diceret, ſeruos anulatos eſſe; tamen & his anulos interdixit ipſe prius (b) inquiens, *Quod vero ſeruis atque libertis ius annulorum negaretur, quo tamen impetrato, ingenuitas ſimul impetrata intelligeretur, XL. Digeſtorum lib. Papinianus, Neratius, Paulus, & Vlpianus oſtendere.* Sed & apud (c) Macrobium Atteius Capito dicit, *Veteres non ornatus, ſed ſignandi cauſa anulum ſecum circumferebant; vnde nec plus habere quam vnum licebat, nec cuiquam niſi libero, quos ſolos fides deceret, quæ ſignaculo continetur: ideo ius anulorum famuli non habebant: imprimebatur autem ſculptura materia anuli, ſiue ex ferro, ſiue ex auro foret.* Quin & præter hos, ab aureorum anulorum geſtamine Senatores excludere videtur Alexander ab Alexandro, dum ait de anulo tractans, (d) *Populum Romanum ſine hoc inſigne longo tempore ſtetiſſe: ſolitumque primo Legatis ad exteras gentes profecturis anulum aureum velut inſigne munus dari: hique foris aureo, domi ferreo vtebantur. Poſtea Iudicibus, & Equeſtri ordini, hisque, quibus, & auo paterno ſextertia quadringenta cenſus fuiſſet. Ferreos primum anulos, deinde aureos dari cœptum: quo inſigni*

a Hier. 51.
b Hier. 41.
c 7. ſatur. c.13.
d l. 2. genial. c. 19.

Equeſter ordo a Senatorio diſcretus noſcebatur. Inſuper etiam feminis anulorum
vſum, præterquam pronuborum, interdictum fuiſſe, ſatis indicare videtur
e Truculët. Plautus, apud (e) quem ſeruus anulatus ancillam cauillatur exungulam, vt
f cap. 1. antea (f) notaui. Alexandro pariter in Genialibus, (g) *Donec ſecutis tem-*
g l. 2. c. 19. *poribus paſſim id inſigne appeti cæpit: anulorumque frequens vſus fuit, & promiſcuus,*
ita vt Romani milites, ſine delectu, & demum libertinæ conditionis homines: quin
etiam feminæ, & extrema mancipia, quod antea non licuit, aureorum anulorum iure
donarentur. Hæc iſti. Verum in oppoſitam ſententiam potiora me ducunt
argumenta; & vt de feminis primum agamus, non ſolum anulos, & aureos il-
las primum, atque prius quam viri, geſtaſſe Plinius innuit, tum aſſerens,
h l. 33. c. 1. (h) Iliacis temporibus Homerum *fabricam etiam Deum fibulas, & alia mulie-*
bris cultus, ſicut inaures in primordio factitaſſe, ſine mentione anulorum: nam inau-
res reuera ſunt anulorum ſpecies: tum mox addens, *Eſt quidem apud eundem*
Homerum virorum crinibus aurum implexum: ideo neſcio an prior vſus a feminis in-
cæperit; quod aurum mihi veriſimile videtur anuloſam habuiſſe figuram, qua
crinibus implicaretur. Sed hoc multo luculentius aperit diuina pagina, quæ
monet, Hebræorum feminas aureos anulos contuliſſe tam in nefariam con-
i Exod. 32. flationem (i) vituli, quam in laudabilem & piam conſtitutionem taberna-
k Exod. 35 culi; dicit enim, (k) *Viri cum mulieribus præbuerunt armillas, & inaures, anu-*
& 39. *los, & dextralia*, & cetera, quæ (l) ſuperius attulimus. Iſidoro quoque, (m) *Fe-*
l cap. 31. *minæ non vſæ ſunt anulis, niſi quos virgini ſponſus miſerat: at nunc præ auro nullum*
m l. 19. c. 32 *feminis leue eſt, atque immune membrum*. De Senatoribus non ſolum idem Pli-
nius ait, non omnes aureis anulis caruiſſe, ſed complures communes habuiſ-
n l. 33. c. 1. ſe cum Equeſtri ordine, dicens, (n) *Promiſcui autem vſus alterum ſecundo Pu-*
nico bello: neque enim aliter potuiſſent trimodia illa anulorum Carthaginem ab An-
nibale mitti. Inter Cepionem quoque & Druſum ex anulo in auctione venali inimi-
citiæ cæpere; vnde origo ſocialis belli, & exitia rerum. Ne cum quidem omnes Sena-
tores habuerunt (igitur aliqui Senatores habuerunt, ſi non omnes) *vt pote*
quum memoria auorum multi Prætura quoque functi in ferro conſenuerunt. Si mul-
ti, non igitur omnes Senatores anulo ferreo ſunt vſi; non igitur abſolute Se-
natoribus interdictus vſus aureorum anulorum. Addit mox Plinius, *Anuli*
diſtinxere alterum ordinem (duplicem nimirum ordinem, Equeſtrem, & Sena-
torium) *a plebe, vt ſemel cæperant eſſe celebres: ſicut tunica ab anulis Senatum tan-*
tum, quanquam & hoc ſero. Quæ ſuperius explicata ſunt. Apud Rhodigi-
p l. 6. c. 12. num, (p) *Autor eſt Dion hiſtoricus, Nemini veterum Romanorum geſtare aureum*
anulum, præter Senatores & Equites, fuiſſe permiſſum: propterea libertis anulorum
ius ab iis modo datum, qui imperio forent potiti. Quo nomine Sexti Pompeij libertum
Menam ab Auguſto aureis anulis ornatum, idem prodidit Dion. Sed & Pancirolus
q tit. de Le- infit, agens de rebus memorabilibus (q) *Veteres Legatis viaticum, hoc eſt, viæ*
gat. *ſumptus, & aureum anulum de publico largiebantur. Anulum illum in publico ge-*
r l. 33. c. 1. *rebant; eoque poſtea depoſito, ferreo intra domos vtebantur, vt (r) Plinius memorat.*
Sed hoc primis quidem Reip. annis ita fuit obſeruatum: quo tempore nemo præter Lega-
tos, quos diximus, aureos geſtauit anulos: poſtea & Senatores geſſerunt: deinde ad
Equites: & inde ad omnes ingenuos vſus hic promanauit. Vnde conſtat, anulis
aureis vſos fuiſſe Senatores prius, quam Equites. De Flamine Diali præ-

terea, ſatis A. Gellius oſtendit, illi non omnis anuli, nec aurei ſpeciatim vſum interdictum fuiſſe, ſed ſolidi tantum, & gemmati; ſcribit enim (*ſ*) *Ceremonia impoſitæ Flamini Diali multa. I.&c. IV. Item anulo vti niſi peruio, & caſſo fas* ſ l. 10. c. 15. *non eſt*: concauo ſcilicet intus, ac ſine gemma ſolum vti poterat anulo Flamen Dialis, ob rationes (*t*) antea relatas. Denique de ſeruis vt agamus, t cap. 27. Certum eſt, eos habuiſſe primum anulos ferreos ante omnes alios homines, vt late (*u*) ſuperius oſtendimus: illiſque ſolum aureorum vſum interdictum u cap. 2. fuiſſe primitus, aperte conſtat ex (*x*) Plauto, & (*y*) Apulcio; quorum loca x i Trucul. (*z*) ſuperius allata non eſt vt hic denuo referam. y 10. metam. z c. 1. 27.

De Annulorum loco peculiari in homine.
Cap. LIX.

Anulorum autem locus peculiaris in homine licet præcipuus eſſet apud antiquos digitus in manu; vnde nomen illi contigit in Græcia [*DAKTYLIOS*,] *digitalius*; attamen obſeruo nullam fere partem fuiſſe corporis, quæ non geſtaret anulum antiquitus; nam, vt omittam coronas eſſe ſpecies anulorum, quibus caput cingebatur, & olim ſponſi ornabantur, vt ex Iſaia conſtat, & ex veteribus liturgijs; apud Prophetam namque legimus, (*a*) *Et indumento iuſtitiæ circumdedit me, quaſi ſponſum decoratum corona*: a cap. 62. apud has autem priſcas liturgias habemus, *Bene ✠ dic Domine anulum iſtum & coronam iſtam, vt ſicut anulus circumdat digitum hominis, & corona caput: ita gratia Spiritus Sancti circumdet ſponſum, & ſponſam, vt videant filios, & filias vſque ad tertiam & quartam generationem: qui collaudent Nomen Viuentis, atque regnantis in ſecula ſeculorum, Amen.* adeoque caput anulis quodammodo conſueuit antiquiſſimo tempore redimi: qui mos nunc obſoletus remanſit in Monialibus, quæ coronantur ab Epiſcopo, dum ſacræ Virgines Chriſto ſponſo ſolemniter nubuntur, corona, & anulo prius benedictis. Homeri tempore probabile mihi ſatis eſt, vt nuper etiam (*b*) notaui, anulos aureos crinibus b cap. 49. hominum ad ornatum implexos fuiſſe, ex illis verbis Plinij, (*c*) *Eſt quidem* c l. 33. c. 1. *apud eundem Homerum virorum crinibus aurum implexum, ideo neſcio an prior vſus a feminis cœperit.* Locus eſt Iliad. P. paulo poſt principium,

„ Aurum atque argentum nectebant vndique crines.

Auribus anulos indidiſſe ante ſeculum Plauti, vidimus ex eius Pœnulo,

„ *Mi.* Seruos quidem ædepol veteres antiquoſque habet.
„ *Ag.* Qui ſcis? *Mi.* Vide homines ſarcinatos conſequi:
„ Atque vt opinor, digitos in manibus non habent.
„ *Ag.* Quid iam? *Mi.* Quia incedunt cum anulatis auribus.

Vidimus etiam apud Plutarchum in Mario, Iugurtham regem captiuum habuiſſe anulum in aure aureum; quem cum auriculæ lobo violenter illi detraxerunt milites, qui eum fame necandum detruſerunt in carcerem. Sed & Hebræorum mulieres conflando vitulo Dæmonis, & conſtruendo tabernaculo veri Dei, dediſſe anulos aureos, quos in auribus geſtabant, habemus d Exod. 32. in (*d*) ſacra pagina. Quin & Adagiographi notatu, *Olim anulis quibuſdam* 35. 39.

aureis in auriculas inſertis ornari ſe ſe credebant maxime barbari. Nares item anu-
lis perforatas geſtare nunc etiam feminas Aegyptias, & Arabas, oculatum
* tom. 1. teſtem habeo præter Hiſtoricos (*) Ramuſij Cl. Veslingium: ab antiquo
p 110.111. tamen bubali, quo traherentur ad vota Domini, ſuesque, ne terram roſtro
& 301. paſſim effoderent, anulo traijci ſolebant ad nares: ita Iobus ait, de Diabolo,
e cap.40. *Numquid pones circulum in naribus eius, aut armilla perforabis maxillam eius?*
f prou. 11. quem trahere poſſis, vt bubalum, quo volueris: ita Salomon ait, (*f*) *Circu-*
lus aureus in naribus ſuis, mulier pulchra & fatua. Labia conſimiliter aureo
g tom. 3. anulo traijcere conſueuerunt ad ornatum (*g*) Indæ mulieres: ac antiquitus
nauig. pag. id factitatum conſtat ex Diodoro Siculo, cui (*h*) *Aethiopes armant vſque ad*
289.c. *certam ætatem feminas, quibus vt plurimum moris eſt, æreum circulum in labijs fer-*
h l.3 c.1. *re*: quod & a (*i*) Strabone confirmatur. Meretrices veterum anulos olim
i lib.17. ore geſtaſſe ſpectandos a labris, (k) antea notauimus ex (*l*) Ennio, & (*m*) Plau-
k cap.44. to. Huc ea pertinere videntur, quæ Galenus attulit agens de Naturalibus
l fragm. facultatibus, (*n*) *Anulum quidam aureum, quem ore tenebat, imprudens degluti-*
m Aſinar. *uit: attamen facile excreuit*. Deinceps anulos ferreos ad colla captiuorum
n l.3.c.4. antiquitas frequentiſſime poſuit: ponit & ætas noſtra Turcis, quos vſui
ſeruitioque domeſtico deſtinauit, præſertim Genuæ. Brachijs item geſtari
o lib.1. conſuetum antiquitus anulos, apparet ex (*o*) Liuio, ſcribente Sabinos in
brachio ſiniſtro ferre conſueuiſſe armillas magni ponderis, gemmatosque
p l.19.c.32. magna ſpecie anulos. Iſidoro (*p*) quoque, anuli per diminutionem dicti
ſunt a circulis, & anis, qui ſunt circa brachia, & circum crura. Quin &
pudendis anulos inſeri notum eſt; nam & apud Indos, qui Promontorium,
q Nauig. Caput de Sangres appellatum incolunt, Aloyſij (*q*) Cadamuſti teſtimo-
to. 1. pag. nio, promiſcue ſinguli perforatas vndique gerunt aures in gyrum, & anulis
110.E aures ornatas; naſumque pariter in parte media inferiori perforatum ha-
bent aureo anulo, noſtratium bubalorum inſtar, quem ſibi detrahunt ad li-
bitum, ſumpturi cibum: & feminæ Regum, virorumque principum præ-
terea, labia naturæ pudibundæ gerunt anulis aureis traiecta; quos dignita-
tis ergo circumferunt, vt & inaures; quos quidem anulos ad arbitrium ſibi
detrahunt, & apponunt. Apud Turcas etiam mares, qui caſtitatis, ſancti-
tatisve titulo volunt alijs eminere, Sanctones appellati, ſub glande virilis
membri perforata cute gerunt anulos enormes etiam ſatisq; ponderoſos, vt
oculatum ſe teſtem mihi faſſus eſt Veslingius noſter. Cuiuſmodi anulum
pudicitiæ cuſtodem, ſed non ita grandem, ego nuperrime vidi ex ære Corin-
thio ſubulam, rubiginoſum, & ſatis antiquum; non integrum circulum, ſed
ſpiram præſeferentem, in Muſæo Cl. Rhodij, qui eum pulchre ſatisque de-
r pag.63. ſcripſit in opere ſuo De (*r*) Acia. Ceterum & antiqui Comœdis, Tragœ-
64. diſque ſuis eiuſmodi caſtimoniæ cuſtodem anulum infigebant virili mem-
bro, ne coeuntes, voci detrimentum afferrent; illumque fibulam appella-
ſ Sat. 6. bant; vt conſtat ex Iuuenali, (*ſ*) cui

„ ———————— nullius fibula durat
„ Vocem vendentis Prætoribus ————

vbi vetus Interpres, *Fibulam dicit Circellos, quos Tragœdi, ſiue Comœdi in gene*
t l.9.epi.28 *habent*. Sic & apud (*t*) Martialem,

,, Iam pædagogo liberatus, & cuius

,, Refibulauit turgidum faber penem.

ſcilicet, Heri mandato, ne corrumperet iuuenilem familiam, pædagogus anulo ſolebat infibulari; ſolutus ab eo timore, mandabat Herus anulum remoueri; quod erat refibulare. Hoc idem infra ſatis oſtendit, (*u*) inquiens, *u* l. 11. epi. 77.

,, Seruo Cœlia fibulam reſolue.

Ioannes Britannicus hoc loco anulum intelligit argenteum, aureum, ſiue æneum tenuiſſimum. Veterinarij quoque claudunt anulo æneo equarum pudenda, ne coeant. Præterea ſeruorum cruribus item ab antiquis anulos impoſitos, quos compedes vocabant, apparet ex Martiali, qui Zoilum ſugillans e ſeruo libertati reſtitutum, ait, (*x*) *x* l. 3. ep. 23

,, Has cum gemina compede dedicat catenas,

,, Saturne, tibi, Zoilus anulos priores.

& alibi (*y*) *y* l. 2. ep. 22

,, Zoile, quid tota gemmam præcingere libra

,, Te iuuat, & miſerum perdere Sardonycha?

,, Anulus iſte tuis fuerat modo cruribus aptus:

,, Non eadem digitis pondera conueniunt.

Ceterum, vt dicebamus, digiti fuere maxime proprius atque peculiaris anulorum locus: licet (*z*) Iſidorus recte moneat, æuo ſuo feminis præ auro nullum eſſe leue, ac immune membrum. Circa digitos tamen non ſibi conſentiunt autores claſſici de anulis agentes: nam idem Iſidorus ait, (*a*) *Anulos primum homines geſtare cœperunt quarto a pollice digito, quod eo vena quadam vſque ad cor pertingat; quam notandam ornandamque aliquo inſigni veteres putauerunt.* Id hauſiſſe videtur ab A. Gellio ſcribente, (*b*) *Veteres Græcos anulum habuiſſe in digito accepimus ſiniſtræ manus, qui minimo eſt proximus. Romanos quoque homines aiunt, ſic plerumque anulis vſitatos: cauſam eſſe huius rei Appion in libris Aegyptiacis hanc dicit, quod inſectis apertiſque humanis corporibus, vt mos in Aegypto fuit, quas Græci* [ΑΝΑΤΟΜΑΣ] *appellant, repertum eſt, neruum quendam tenuiſſimum ab eo vno digito, de quo diximus, ad cor hominis pertingere ac peruenire; propterea non inſcitum viſum eſſe, cum potiſſimum digitum tali honore decorandum, qui continens & quaſi connexus eſſe cum principatu cordis videretur.* Plinius in eandem ſententiam iuiſſe videtur, aſſerens, (*c*) *Et quiſquis primus inſtituit anulos geſtare, cunctanter id fecit, læuiſque manibus ac latentibus induit; quum ſi honos ſecurus fuiſſet, dextera fuit oſtentandus. Quod ſi impedimentum potuit in eo aliquod intelligi etiam conſertoris vſu, argumentum eſt, maius in læua fuiſſe, qua ſcutum capitur.* Contra tamen Atteius Capito apud (*d*) Macrobium ex libro Pontificali Tuſcorum ait, *Veteres non ornatus, ſed ſignandi cauſa anulum circumferebant; vnde nec plus habere quam vnum licebat, nec cuiquam niſi libero; quos ſolos fides deceret, quæ ſignaculo continetur; ideo ius anulorum famuli non habebant: imprimebatur autem ſculptura materiæ anuli, ſiue ex ferro, ſiue ex auro foret: & geſtabatur vt quiſque vellet, quacumque manu, quolibet digito: poſtea vſus luxuriantis ætatis ſignaturas pretioſis gemmis cæpit inſculpere: & certatim hæc omnis imitatio laceſſiuit, vt de augmento pretij, quo ſculpendos lapides putaſſent, gloriarentur. Hinc factum eſt, vt vſus anulorum exemptus dexteræ, quæ multum negotiorum gerit,*

z l. 19. c. 32. *a* loc. cit. *b* l. 10. c. 10. *c* l. 33. c. 1. *d* 7. Sat. c. 13.

in

in lauam relegaretur, quæ otioſior eſt, nec crebro motu & officio manus eius extra pretioſi lapides frangerentur: Electus in ipſa læua manu digito minimo proximus, quaſi aptior ceteris, cui committeretur anuli pretioſitas; nam pollex, qui nomen ab eo quod pellet, accepit, nec in ſiniſtra ceſſat, nec minus quam tota manus ſemper in officio eſt: vnde apud Græcos [ANTIXEIR] vocatur, quaſi manus altera; pollici vero vicinus nudus & ſine tuitione alterius appoſiti videbatur; nam pollex ita inferior eſt, vt vix radicem eius excedat. Medium, & minimum vitauerunt, vt ineptos, alterum magnitudine, breuitate alterum: & electus eſt, qui ab vtroque clauditur, & minus officij gerit; & ideo ſeruando anulo magis accommodatus eſt. Hæc ſunt, quæ lectio Pontificalis habet. Alexander ab Alexandro videtur hanc litem dirimere, decernens Anulum ſolum pronubum geſtari conſueuiſſe in digito tangente minimum

e l.2.c.19. ſiniſtræ manus, alios anulos in quouis digito; dum ait, (*e*) *Etiam quum veniam ſermonis a Dijs poſcimus, proximo a minimo digito ſecus aurem locum Nemeſeos tangere, & os obſignare ſolemus: in eo venam quandam tenuiſſimam vſque ad ima cordis penetrantem peruagata opinione arbitrati: Ideo in ſponſalibus, & ſolemni die nuptiarum, digitum minimo proximum anulo excolebant, & velut pignus amoris præcipuum ducebant, vt is in ſummo honore foret, quo duce mutuus amor vſque ad cordis ima penetraret. Sed meminiſſe par eſt, hunc anulum nuptialem, non ex auro, ſed ferro veteres coniugibus dare conſueuiſſe: quem quidem prior ætas in ſiniſtra ferebat, credunt ne attereretur; quod erat [illegible] nuptialis anuli: reliquos vero, ſiue ex ferro, ſiue ex auro, quacunque [illegible] deferre licuiſſe: itaque veteres, non ornatus, ſed ſignandi cauſa vſos fuiſſe; [illegible] Romanum ſine hoc inſigni longo tempore ſtetiſſe.* Seneca de manu mentionem non habuit, ſed omnibus digitis videtur anulos

f 7.nat.qu. c.31. dediſſe, dicens, (*f*) *Exornamus anulis digitos, & in omni articulo gemma diſponitur.* Sacra tamen pagina dedit anulum dextræ, non ſiniſtræ manus digito;

g cap.22. nam apud Ieremiam legimus, (*g*) *Viuo ego, dicit Dominus, Quia ſi fuerit Iechonias, filius Ioachim Regis Iuda, anulus in manu dextera mea, inde euellam eum*; nec vnquam vidi ſiniſtræ mentionem factam. Conſtat ergo vetuſtiſſimo tempore geſtari conſueuiſſe anulum in manu dextera. Hunc autem fuiſſe ſigillum notat Cl. Gorlæus; fortaſſe textus Hebraicus habet Chotam, quod eſt

h pag.4. ſigillum; ait enim (*h*) Gorlæus, *Dextra etiam geſtari ſolitos, illuſtri ex ſacra hiſtoria exemplo comprobari poteſt, dico ex Ieremia Propheta, apud quem Deus in hanc formam loquitur: Etiamſi eſſet Conia, filius Ioakim Regis Iudæ, ſigillum in manu dextera mea, tamen inde euellam ipſum. Ex quo loco colligitur anulos ſignatorios dextra manui aptari ſolitos, vt pote digniori, & magis conſpicuæ.* Ceterum ego crediderim anulum ſignatorium dextræ manui datum, vtpote robuſtiori, quæ validius impingere poteſt ſigillum, etiam non detractum, in ceram, altiusque ſignum imprimere; inſertumque propterea indici digito; ſed & medio

i l.5.c.16. datum nuncupatumque a Iulio (*i*) Polluce Coriannum; eo minimo dictumque Acatem: ita Pollux, *Quæ vero in digitis, anulus, condulus, ſigillum, ſignatorius; ſic enim ſignatos anulos vocarunt: ſigilla autem gemmas continentes. Digito autem minimo anulum geſtabant, qui Acates propter paruitatem dicebatur: & alter*

k 7. Sat. c.13. *Corianeum dictus, medio aptatus digito.* Apud Macrobium, (*k*) quum anulus Auieno de breuiſſimo dextræ manus digito decidiſſet, præſentes qui ſiuerunt, cur eum alienæ manui, & digito, & non huic geſtamini deputatis potius

tius inſereret. Lucianus in (*l*) Dorcade Parmenoni ſeruo anulum dedit in paruo digito maximum. Clemens Alexandrinus ait (*m*) in propoſito, *Sed neque a viris anulus in articulo ferendus: hoc enim eſt muliebre; ſed in paruo digito, atque adeo in extrema eius parte eſt demittendus: ita enim erit manus proxime ad operandum expedita in ijs, in quibus ea egemus, neque facile excidet ſigillum.* Anulos autem ad ornatum veteres quocumque digito, & quacumque manu, quin & quacumque parte corporis induiſſe dixero, tum quod ornare non debeat potius vnam partem, quam aliam is, qui comptus apparere vult: tum quod Iſidorus (*n*) ait, vt notabamus, *Feminæ non vſæ ſunt anulis, niſi quos Virgini ſponſus miſerat: et nec præter auro ſingulum feminis licitum eſt, atque immunibus membrum*. *l* Dial. meretr. *m* 3. pæd. c. 11. *n* l. 19. c. 32

Anulus militaris datus eſt digito minimum tangenti ſiniſtræ manus, potiſſimum a Romanis, non ſolum ob rationes a Plinio, & Macrobio allatas, verum præcipue, quod ſiniſtræ manus, quæ clypeum gerit, quo ſeruatur ciuis, potiorem rationem habuere veteres, quam dextræ gladium gerentis, quo vulneratur hoſtis; namque ciuem ſeruare duxerunt vtilius Reipublicæ quam hoſtem interimere: quapropter qui ſeruaſſet ciuem corona ciuica donabatur, qui vero interfeciſſet hoſtem, nullo propterea peculiari præmio donari viſus eſt; adeoque ſiniſtræ manus digito tribuitur honor anuli militaris, non autem dextræ. Anulos ad artem varijs digitis aptabant, ex vſu proprij artificij, ſagittarij quidem pollici ſiniſtræ manus, ne a corda arcus læderetur: mulieres, ac omnino ſutores, medio digito dextræ manus: coriorum confectores pollici & volæ manus eiuſdem: calceolarij carpo toti dexteræ ſimiliter: chirurgi, dexteræ manus indici: Nauium fabri, ſiniſtræ manus tam indici, quam minimo & illi proximo: milites in digito ſiniſtræ manus prope minimum: Seruorum alij digitis, alij collo, alij auribus, alij cruribus, alij partibus alijs, nimirum illis, quas non oportet adhibere circa frequens miniſterium hero præſtandum. Huc ea quoque faciunt, ſuperius etiam notata, quæ Scholiaſtes Aeſchyli ſcribit de Laio in argumento Tragœdiæ, [ΕΠΤ᾽ ΕΠΙ ΘΗΒΑΙΣ,] ait, *Vt primum natus eſt Oedipus, perforans ipſius pedes, & aureos circulos infibulans, in Citharone ipſum expoſuit*. Apuleius item agens de ſeruis in Ergaſtulo ſcribit, (*o*) *Cuncti ſic tunicati, vt eſſent per panniculos manifeſti, frontes literati, & capillum ſemiraſi, & pedes anulati*. Hactenus de loco anulorum in homine. *o* 9. metam.

De loco Anuli extra hominem, ſiue de Dactyliotheca.

Cap. LX.

MVlto poſt anulorum inuentionem inſtitutionemque, cœpit eorum cuſtos, & conſeruatrix arcula, quam Græco vocabulo Dactyliothecam Latinis etiam ſcriptoribus appellare libuit, inueniri, conſtituique: ſiquidem inuenta, conſtructaque fuit pretioſiores gemmas habentibus anulis conſeruandis & cuſtodiendis. Qua de re Plinius ita (*p*) *Gemmas plures, quod peregrino appellant Dactyliothecam, primus omnium habuit Romæ priuignus Syllæ Scaurus: diuque nulla alia fuit, donec Pompeius Magnus eam, quæ Mithridatis Regis* *p* l. 37. c. 1. f.

Regis fuerat, inter Dona in Capitolio dicaret, vt M. Varro, & alij eiuſdem ætatis autores confirmant, multum prælatam Scauri. Hoc exemplo Cæſar Dictator ſex Dactyliothecas in æde Veneris Genitricis conſecrauit. Marcellus Octauia genitus in Palatina Apollinis æde vnam. Martialis vſum Dactyliothecæ nobis exprimit eo

b l. 14. epi. 112. (*b*) diſticho,

„ Sæpe grauis digitis elabitur anulus vnctis:
„ Tuta mea fiet ſed tua gemma fide.

ſcilicet vſus Dactyliothecæ proprius & vnus eſt ad anulos conſeruandos, & cuſtodiendos; quum ex digitis vnctis vel ſudore, vel pharmaco, vel etiam ſputo, ſicut antea notauimus ex antiquorum dictis, ſubinde priſcis vel non animaduertentibus caderent anuli grandiores, grauioresque: verum ex theca nunquam elaberentur, niſi ex ea conſulto ſubducerentur, educerenturque; nam loculus anulorum cuſtos olim fuit Dactyliotheca; de qua poſt Plinium, & ex Plinio Grotius ita,

„ Anule, quem loculo varium qui condidit vno
„ Romulea primus Scaurus in Vrbe fuit.

Veriſimile vero ſatis eſt, pretioſiorem Scaurina fuiſſe Dactiliothecam illam Mithridatis a Pompeio Magno dicatam, & adhuc magis ſex illas a Cæſare Dictatore conſecratas; quippe conſueuere poſtremi ſuperare priores in Donariorum pretio.

De Anulorum tum depoſitione ſpontanea: tum etiam detractione. Cap. LXI.

a l. 33. c. 1. ANtiquitus in more fuiſſe, varijs de cauſis anulos deponere, compertiſſimum habemus; etenim primo legimus apud (*a*) Plinium, Legatos, qui de publico ſuſceperant anulos aureos, domi non tuliſſe, ſed tantum foris: ne ſcilicet eos vſu contererent. Deinde, Nobiles, ob indignationem anulos aureos depoſuiſſe, quod libertinis conceſſi forent, ex eodem accepimus. Ex Papinio quoque ferreos anulos abiectos agnouimus, cui liberti, ſeruique dudum in manumiſſione donati aureo, ferreum anulum deponebant, (*b*) Veſpaſiani tempore,

b l. 3. ſilu. de lacr. Herc.

„ Atque idem in cuneos populos quum duxit Equeſtres
„ Mutauitque genus, læuæque ignobile ferrum
„ Exuit, & celſo natorum æquauit honore:

In luctu quoque depoſitos a veteribus anulos fuiſſe, conſtat ex Liuio, cui, c l. 9. in f. (*c*) *Tanta Flauij Comitia indignationis habuerunt, vt plerique Nobilium anulos aureos, & phaleras deponerent.* Quin etiam moris fuit Romanis, anulos aureos in luctu & funeribus, funeſtiſque caſibus Reipublicæ, deponere, & ferreos d l. 2. c. 19. accipere: ſic Alexander (*d*) ab Alexandro in ſuis Genialibus: & ante eum e l. 9. Liuius, (*e*) *Taberna circa Forum clauſa, laticlaui, anuli aurei poſiti.* Similiter moribundi ſponte deponebant anulos, tradebantque cui vellent ex heredibus, Papinianus in L. Quum pater, §. pater, ff. de legat. 2. *Pater pluribus filijs heredibus inſtitutis, moriens claues & anulum cuſtodiæ cauſa maiori natu filiæ tradidit.*

Sic

Sic & Suetonius Tiberium deficientem exemptum digito anulum quaſi ali-
cui traditurum, parumper tenuiſſe, in eius Principis vita (f) ſcriptum reli- f cap. 13.
quit. Sed & Auguſtum, quum morbo grauiſſimo conflictaretur, deplorata
ſalute, anulum Agrippæ tradidiſſe, Dio (g) memoriæ prodidit. Aelius g cap. 53.
Spartianus retulit inter ſigna mortis Adriani, ſpontaneum caſum anuli de
digito; ait enim, *Signa mortis hæc habuit, Natali ſuo vltimo, quum Antoninum
commendaret, prætexta ſponte delapſa caput ei operuit: anulus, in quo imago ipſius
ſculpta erat, ſponte de digito lapſus eſt: nam grauatis ſomno (quod mortis imago eſt)
& morientibus anuli detrahuntur religione quadam*, vt ait (h) Plinius. Sed h l.33.c.1.
& Ptolemæum anulum Alexandri mortui digito detraxiſſe, & in concio-
nem protuliſſe, ſcribit (i) Egiſippus. Tranquillus item ſuperioribus i l.1.c.vlt.
(k) addit, Tiberio ſpiranti adhuc anulum detrahi iuſſiſſe Caligulam; k in Calig.
& quoniam ſuſpicionem retinentis dabat, puluinum inijci iuſſiſſe. Plinius
(*) addit morientibus, & ſomno grauatis de religione quadam anulos de- *l.33.c.1.
trahi ſolere. Ceterum & alia ex cauſa veteres depoſuiſſe ſponte, vel alijs de- v. Horat. 2.
traxiſſe anulos, ne in locum obſcœnum deferrentur. Quum enim Principes ſer. ſat. 2.
ab omnibus coli debeant, vt pote vicem quandam Numinis in terra geren-
tes, iccirco non ab re quicunque geſtabant in anulis imaginem Principis, eos
deponebant, ſi vel in obſcœnum locum ingredi, vel matulam tangere voluiſ-
ſent, alioqui capitale id ſibi eſſe experiebantur; capite namque plectebantur
olim ſi cum anulo Imperatoris effigie ſculpto fuiſſent in lupanari, vel fœ-
dum quid contrectaſſent. Hac de cauſa Pythagoras aureo ſymbolo vetuit,
in anulo Dei figuram circumferri, ne pollueretur; quod Rhodiginus ex Pla-
tonis doctrina interpretatur, Non eſſe animam, quæ imago Dei eſt, merſan- l.16.c.18.
dam in corpus, quo plane, vti anulo gemma, animæ vis contineri videtur, nec
mancipandam ſenſibus. Quin & Romani Pontifices, quas benedictioni-
bus ſanctificant ſacras Dei veri, & Sanctorum imagines, populiſque ſaluta-
res benigne diſtribuunt, ſpirituales Eccleſiæ theſauros, edicto non raro præ-
cipiunt, ne geſtentur, ſed intra domos condignis locis cum hōnore ſeruen-
tur. Ita pridem Romani nobiles, qui Cæſarum pro tempore Imperantium
vultu anulis impreſſo ſignabant, eiuſmodi anulos, quemadmodum & numos
eadem ſculptos efficie, latrinæ, aut lupanari inferre, locove obſcœno admo-
uere non poterant; id enim agere capitale fuit ſub Tiberio; quo tempore fuit
accuſandi frequens, & pene publica rabies, quæ omni ciuili bello grauius
togatam ciuitatem confecit; nam multi ſub eo prætextu non ita iuſte perditi
fuerunt; vt pene Paulo Prætorio contigit; de quo Seneca dicit, (m) *Cœna-* m 5. de be-
bat Paulus Prætorius in conuiuio quodam, imaginem Tiberij Cæſaris habens, ectypam, nef. c. 26.
*& eminente gemma. Rem ineptiſſimam fecero, ſi nunc verba quæſiero, quemadmo-
dum dicam illum matellam ſumpſiſſe: Quod factum ſimul & Maro ex notis illius
temporis veſtigatoribus notauit. At ſeruus eius, cui nectebantur inſidiæ, ei ebrio
anulum extraxit. Et quum Maro cœnitans teſtaretur, admotam eſſe imaginem ob-
ſcœnis: & iam ſubſcriptionem componeret: oſtendit in manu ſua ſeruus anulum: atque
ita calumniatorem delatoremque fruſtratus eſt.* Sed & per vim anulos ab homi-
nibus detraxiſſe veteres potentiores, oſtendit Cicero, non ſolum e mortuis
(n) referens ex Platone fabulam Gygis, qui *foribus apertis, hominis mortui* n

vidit corpus, anulumque aureum in digito, quem vt detraxit, ipſe induit; ſed etiam, vt obſeruauit (r) Quintilianus, e viuis; ait enim Cic. in Verrem, (s) *Sunt veſtrum quam multi qui L. Piſonem cognouerunt, huius L. Piſonis, qui Prætor fuit patrem: is quum eſſet in Hiſpania Prætor, qua in Prouincia occiſus eſt: neſcio quo pacto, dum armis exerceretur, anulus aureus, quem habebat, fractus eſt, & comminutus. quum vellet ſibi anulum facere, aurificem ſibi iuſſit vocari in foro ad ſellam Corduba, & ei palam appendit aurum. Hominem in foro, ſellam iubet ponere, & facere anulum omnibus præſentibus: nimium fortaſſe dicet aliquis hunc diligentem; hactenus reprehendat ſi quis volet, nihil amplius. Verum fuit ei concedendum; filius enim L. Piſonis erat eius, qui primus de pecunijs repetundis legem tulit. Ridiculum eſt nunc de Verre me dicere, quum de Piſone frugi .ſ. dixerim: verumtamen quantum interſit, videte: iſte quum aliquot abacorum faceret vaſa aurea, non laborauit quin non modo in Sicilia, verum etiam Romæ in iudicio audiret: ille in auri ſemunciа totam Hiſpaniam ſcire voluit, vnde Prætoris anulus fieret; nimirum autem, vt hic nomen ſuum comprobauit; ſic ille cognomen. Nullo modo poſſum omnia iſtius facta aut memoria conſequi, aut oratione complecti; genera ipſa cupio breuiter attingere, vt hoc modo me co nmonuit Piſonis anulus, quod totum effluxerat. Quam multis iſtum putatis hominibus honeſtis de digitis anulos aureos abſtuliſſe? nunquam dubitauit, quotieſcumque alicuius aut gemma, aut anulo delectatus eſt, incredibilem rem dicam, ſed tam claram, vt ipſum negaturum non arbitror: quum Valentio eius interpreti epiſtola Agrigento allata eſſet, caſu iſte ſignum animaduertit in cretula: placuit ei: exquiſiuit, vnde eſſet epiſtola: reſpondit Agrigento: Iſte literas ad quos ſolebat, miſit; vt is anulus ad ſe primo quoque tempore afferretur. Ita literis iſtius Patrisfamilias L. Titio cuidam Ciui Romano anulus de digito extractus eſt.* Tot igitur de cauſis anuli antiquitus deponebantur, & extrahebantur. Valerius Max. de Scipione Africani filio degeneri dicit, *Præturam quum propinqui ab eo pollui animaduerterent, id egerunt, ne aut ſellam ponere, aut ius dicere auderet: Inſuperque e manu eius anulum in quo caput Africani ſculptum erat, detraxerunt. Dij boni, quas tenebras e quo fulmine naſci paſsi eſtis?*

ol. c. r. pact. 5.

l. 3. c. 5.

De Anulorum inuentorum antiquitus ſolemni reſtitutione Dominis. Cap. LXII.

QVod plerique putant recentiorum eſſe inuentum, antiquis in more poſitum eſſe, vt qui deperditas res inueniſſet, affixis in publico ſchedis inuitaret rerum heros ad ſigna prodenda, quibus ſe veros earum dominos probaret, pulchra ſatis hiſtoria Lucianus confirmat in Demonacte talia ſcribens de iſto Philoſopho, *Olim etiam quum deambulando anulum inueniſſet aureum in via, appoſita in foro ſchedula, poſcebat vt qui anulum amiſiſſet, quicumque tandem illius dominus eſſet, veniret, & indicato pondere, gemma, & typo, eum reciperet. Venit ergo formoſus adoleſcens, qui ſe amiſiſſe aiebat: Qui cum ſani nihil diceret: Abi, inquit, o puer, tuumque anulum ſerua, etenim hunc non amiſiſti.*

De

De Anulorum in ſepulchris poſitione, atque contumulatione cum cadauere. Cap. LXIII.

ANtiquitus conſueuiſſe cadauera cum anulis in digito ſepulchris condi,
multæ nos admonent hiſtoriæ. Celebris ea eſt in primis, quam Plato
propoſuit inquiens, (*a*) *Gygen fuiſſe ferunt mercenarium paſtorem eius, qui tunc* a 2. de Rep.
Lydis imperabat: magna autem imbrium tempeſtate exorta, motaque terra, ferunt
terram hiatum feciſſe in ea regione, vbi ille armenta paſcebat. Quæ quum vidiſſet
mirabundus, in hiatum deſcendit; conſpexiſſeque & alia quæ fabulantur miranda,
& equum æneum concauum, & per feneſtram cadauer in aluo equi animaduertit,
maius quidem humana forma: hoc nihil aliud habebat, præter aureum in digito anu-
lum: quo ſublato abijt, & cetera, quæ retulimus (*b*) antea ſuo loco. Nouiſſime b cap. 22.
quoque notauimus ex (*c*) Egeſippo, Ptolemæum ex Alexandri mortui digi- c l. 1. c. vlt.
to detraxiſſe, anulum, quem in concionem protuliſſe ſcribit. Cl. Hierony-
mus Bardius ante paucos menſes in literis ad me datis hæc exarauit, *Ordinus*
etiam antiquitatum ſtudioſiſſimus mihi ſis quæſo in tenebricoſo anulo aureo, inuento
in noſtra ſepultura fundamentis, dum de nouo conſtrui, & in ampliorem formam
educi curarem. Is habet intus has ſic literas deſcriptas. ✠. *D. I. A.* ✠. *D. I. Z.*
✠. *S. A. B.* ✠. *Z.* ✠. *H. G. F.* ✠. *B. F. R. S.* ✠. *Z.* Quibus interpretandis eos
eſſe pares tantummodo cenſeo, qui eiuſmodi characteres incidi curarunt:
etſi namque compertum mihi ſit, moris fuiſſe veterum, numos aureos, ar-
genteosve certis characteribus inſignitos, ponere cum primo lapide inter
fundamenta molium, potiſſimum ſacrarum, cuiuſmodi templa ſunt atque
ſepulchra; & etiam ſi manifeſtum mihi ſit, antiquam Genuenſium nationem
Crucis fuiſſe ſtudioſiſſimam, paſſimque Crucis præſidio ſe cunctaque ſua
commendare conſueuiſſe: quod quum ante Fidei Chriſtianæ receptionem,
Gens maritima, in ſolo ſaxoſo ſterilique degens, ad victum piraticam belli-
coſa exercere cogeretur, ea tempeſtate glorioſum & illuſtre vitæ genus, vt
pote robore militarique fortitudine fultum; ſymbolum prædantium trire-
mium Gryphen animal rapax & pernix inſigne tulit, ternamque Turrim
ciuitatis antiquæ propugnaculum & munimentum: ſtatim Chriſti lege ſu-
ſcepta, Crucis rubræ ſignum extulit inter Gryphes, cui omnia ſua, ſeque
ſubijcere, commendareque ſtuduit; non tamen adeo ſecure pronunciare
nunc audeo, Reipublicæ morem iſtum amplexam fuiſſe priſcam Bardiorum
Gentem, quæ notis illis efformatis in aureo anulo, in ſepulchri fundamentis
condito, Sanctæ Crucis præſidium implorauerit, in hanc ſententiam ſolu-
tis & explicatis eiuſcemodi characteribus: *Crux Domini Ianuenſium Adiu-*
trix: Crux Deſtrue Inſidias (*d*) *Zabuli: Crux Salua Animas Bardiorum: Crux* d Hilar.
Zelotis: Crux Hanc Gentem Foue: Crux Benedicta Fuga Rebelles Spiritus: Crux
Zelare: quoniam hæc arbitraria ſunt, mereque coniectanea. Præterea Ber-
nardino Scardeonio (*e*) de Patauinis Antiquitatibus agenti, *Ludouicus Pa-* e l. 2. c. 6.
tauinus, Cardinalis creatus ab Eugenio IV. Romæ obijt; quo die ſepultus eſt, nocturn, ef-
fracto ſepulcro, cadauer eius anulo, & veſte ſpoliatum eſt; quod ſcilicet agno-

uiſſent fures anulum pretioſiore gemma, veſtemque pariter conſtare pretioſa materia. Dum hæc exararem, oſtendit mihi Cl.V. Comes Iacobus Zabarella Patauinus anulum argenteum, inuentum anno M DC XL. in antiquiſſima vrna marmorea cineribus plena; tunc effoſſa Ateſte, municipio Patauino in Vico Caſalis appellato; cuius anuli ſuperficies interior orbicularis eſt: in pala fuit imaguncula, propter vetuſtatem nunc ignorabilis: non ita procul a funda ſuperficies exterior exuberat in duas eminentias triangulares; a quibus ad palam vſque characteres vetuſtate pariter nobis ignobiles viſuntur adhuc obſcuro veſtigio, nempe characterum apparent adhuc tenuia quædam rudimenta. Romæ quoque ſimiliter in vinea Reuerendiſſimi Santarelli, apud S. Mariam Maiorem, inuentum eſt Coralabaſtrite, diu ſeruatum apud Hieronymum Brunum de Gualdo Nob. Vicetinum, Antiquarum rerum cultorem eximium; apud quem eſt ibidem item inuenta Lucerna vetus vna cum anulo, in quo deſcriptum erat MESSALINA. Seb. Mun-
f pag. 148. ſterus etiam in ſua deſcriptione Italiæ ſcribit, (f) *Theſaurus Romæ inuentus. In Vaticano anno Chriſti 1544. in Februario, haud procul a Tiberi, quum in Sacello Sancti Petri fundamenta foderentur, inuenta eſt marmorea arca longitudine pedum octo & ſemis, latitudine quinque, & ſex altitudine, in qua condita fuit Maria, Honorij Imperatoris coniux, quæ virgo migrauit ex hac luce, præuenta inopinata morte, antequam ab Imperatore accepta eſſet. In ea arca corpore abſumpto, aliquot tantum dentes ſupererant, capillique, ac tibiarum oſſa duo, præterea veſtis, & pallium, quibus tantum auri fuerat intextum, vt ex his combuſtis auri pondo 36. collecta ſint. Erat inſuper capſula argentea, longa pedem vnum & ſemiſſem, latitudine digitorum XII, in qua vaſcula multa ex cryſtallo, nonnullaque ex achate perpulchre elaborata. Item anuli aurei quadraginta, varijs gemmis adornati. Erat & Smaragdus auro incluſus in eoque ſculptum caput, quod creditum eſt ipſum Honorium referre. Is quingentis aureis noſtratibus æſtimatus eſt. Præterea inaures, monilia, aliaque muliebria ornamenta, in quibus bulla earum, quas hodie Agnus Dei vocant, per cuius ambitum inſcriptum erat, Maria noſtra florentiſſima. Laminaque ex auro, & in ea hæc nomina, Michael, Gabriel, Raphael, Vriel, græcis literis. Item veluti racemus ex Smaragdis alijſque gemmis conſertus: & diſcriminale ex auro longitudine duodecim digitorum, vbi ſcriptum hinc, Domino noſtro Honorio; hinc, Domina noſtra Maria. Ad hæc inerat Sorex ex chelidonio lapillo, cochleaque, & patera ex cryſtallo: item pila ex auro luſoria ſimilis, ſed quæ in duas partes diuidi potuit. Innumera pene alia inerant gemmæ, quarum ipſi plurima vetuſtate corrupta, non nulla tamen recentem admirandamque pulchritudinem retinebant. Et hæc omnia Stilico filiæ dedit pro dote.* Sed mortuis redditos anulos fuiſſe, tum in rogum deferendos, tum intra ſepul-
g l. 4. Eleg. chrum aperte conſtat; illud quidem e Propertio, (g) cui

„ Et ſolitum digito Beryllon adederat ignis.

h de prip. an. l. 1. nu. 25. hoc autem Kornmannus aſſerens, (h) *Addam hic memorabile hocce exemplum Coloniæ Agrippinæ ad SS. Apoſtolos in tabula depictum. Sub Epiſcopo Vuilhelmo de domo nobilium de Gennep mulier quædam nomine Richemodis peſte elijt anno 1357. cui maritus ob coniugalis amoris vinculum pretioſum anulum digito reliquerat; cuius Veſpillo animaduertens, noctu cum famulo ſuo ceſſit ad buſtum, idque aperuit; ſeruus deſcendit, anulumque detrahere voluit: quo facto, mulier erexit ſe; Veſpillo*

& ſ-

& famulus relicta lucerna aufugeret; mulier ea ſumpta, domum adijt ſuam: quam maritus viſo miraculo intromiſit, ex eaque tres adhuc filios ſuſcepit. Teſtatur Petrus Merſſæus in Catalogo Epiſcoporum Colonienſium. Vidi ego tabellam, quum ſuperioribus annis Coloniæ degerem, & citaui lib. de mirac. mortuor. par. 1. c. 16. Sed ego cenſuerim habitam pro mortua vere mortuam non fuiſſe, ſed diuturno deliquio preſſam, in quo ſomnus etiam profundus eam inuaſerit, ac tum deliquium, & ſomnum ſolutum fuiſſe, quum fures intromiſſa lucerna pepulere tenebras e conditorio; nam & (i) Ariſtoteles ait, *Iam autem facta fuit imaginatio quibuſdam, qui animi defectum fortiter paſſi ſunt: hoc igitur aliquam habet dubitationem: ſi enim contingat dormire eum, qui animo defecit; contingit vtique ſomnium eſſe, & ipſum phantaſma. Multa autem ſunt, quæ dicunt, qui vehementer animo defecerunt, & qui viſi ſunt mortui eſſe: de quibus omnibus eandem eſſe rationem exiſtimandum eſt.* Et Plato conſimilem hiſtoriam (k) affert de Ero Pamphilio, & (l) Valerius de Auiola, & Attilio. Sic ergo veteres in ſepulchris & vrnis ſepulchralibus anulos condere ſolebant. Hæc iam exarauera m, Typographoque cudenda tranſmiſeram Vtinum, quum e Muſeo Cl. Viri Caroli Auantij volumen habui Io: Baptiſtæ Suarez de Salazar, Hiſpanienſi ſcriptum idiomate *De Gaditanis Antiquitatibus*; in quo mentio fit anuli dudum in ſepulchro reperti verbis huiuſcemodi, quæ mihi ſcriptis adijcienda,

i de ſomn. & vig. c. 4.
k 10. de Rep.
l lib. 1. c. 8.

(a) En algunos vaſos ſepulcrales abueltas de los hueſſos, y cenizas „ *a* lib. 4.
ſe hallan en eſta Isla joyas de oro y plata, tal como çarzillos, collares, anillos, „ c. 5. in f.
y manillas. Vanidad que admitio el Pueblo Romano con tanto exceſſo, „
que fue forçoſo interpuſieſſen las leyes de las doze Tablas ſu autoridad, pa- „
ra que en algo ſe moderaſſe, como parece por vna dellas: *Neve aurum addito*: „
(b) Por la qual ſe prohibia echar oro, o plata en las hogueras donde ſe que- „ *b* de Iur.
mauan los difuntos, ni en las vrnas abueltas de ſus cenizas. Lo mas parti- „ ſacr. l. 12
cular que deſto à venido à mis manos, à ſido vn anillo de oro engaſtado en „ vbi Re-
el vna cornerina, en la qual ſe ven dos manos aſidas, de entre las quales ſe „ ber. &
leuantan dos eſpigas, en la forma que a qui parece. *(hic eſt locus anuli)* „ Roſin.
Los antiguos tuuieron por ſeñal de paz eſtas manos; y aunque lo fue de „ l. 8. ant.
qualquier concordia, eſpecialmente ſe recibio por ſolemnidad de matri- „ c. 6.
monio, amor, y concordia conjugal, a lo que me parece alude eſte anillo. „ & l. 5. c.
De a qui dixo (c) Virgilio, „ fin.

Nec te noſter amor, nec te data dextera quondam: „ *c* 4. Aen.

Y poco deſpues el meſmo, „

Per ego has lacrymas, dextramque tuam, te: „

Lo meſmo enſeña vna medalla de Plautila Auguſta hija de Plauciano, que „
casò con Antonino Caracala; en la qual ſe ven los recien deſpoſados, dados „
de las manos en ſeñal de ſu amor conjugal con eſte mote: *Concordia felix*: El „
ſalir, y brotar de eſſas dos manos eſpigas, es dezir, que aſſi como la paz pro- „
duze fertilidad, y eſpigas en la tierra, como dixo (d) Tibulo, „ *d* l. 1. el. 10.

At nobis Pax alma veni, ſpicamque teneto. „

Deſſa ſuerte la paz en el matrimonio produze hijos, y gran decen- „
dencia. Lo vno, y lo otro juntò bien Ariſtophanes en las manos de la „ *e* in cō.
(e) Paz, „ Pax.

ſiu-

„ ——— *Jupplicamus Paci*
„ *Dare diuitias Græcis*
„ *Vinumque multum, ficus comedere,*
„ *Haſque mulieres parere nobis.*
„ Por lo que le llamaron reyna de los deſpoſorios:
f Ariſto. vbi ſup. „ *Veneranda (f) Pax*
„ *Domina chororum, regina nuptiarum.*

Quæ quidem Hiſpanienſia verba ſic Latine ſonant,

„ In aliquibus vaſis ſepulchralibus inter oſſa, & cineres reperiuntur in hac Inſula ornamenta ex auro, & argento; ſicuti circelli, vel inaures, monilia, Anuli, armillæ. Vanitates, quibus vſus eſt Populus Romanus tanto cum exceſſu, vt coactæ fuerint interponere ſuam autoritatem Leges Decem Tabularum, quo moderationem aliquam ſuſciperet; vt apparet in illarum vna: *Neve aurum addito*: Qua prohibebatur mittere aurum, aut argentum in rogos, in quibus cremabantur defuncti; hec in vrnas inter eorum cineres. Quod ad manus meas peruenit peculiare magis de hac re, fuit vnus anulus aureus, in quo inſeria corneola tenet inſculptas duas manus iunctas, e quibus extolluntur duæ ſpicæ, in effigiem huiuſcemodi (*quam videre licet in Dactyliotheca Gorlariana*). Veteres vſurparunt in ſignum Pacis iſtas manus: etſi vero fuit id ſymbolum cuiusvis concordiæ, ſpeciatim receptum eſt ſolemne paradigma g C.7. matrimonij, amoris, & concordiæ coniugalis (*vt late (g) ſuperius a me notatum fuit*). Ad quod mihi videtur alludere Anulus iſte. Hinc dixit Virgilius,

„ *Nec te noſter amor, nec te data dextera quondam*:

„ & paulo poſt idem:

„ *Per ego has lacrymas, dextramque tuam, te*:

„ Hoc ipſum indicat numus Plautillæ Auguſtæ filiæ Plauciani, quæ nupſit Antonino Caracalæ, in quo ſpectantur recens deſponſati iuncti manibus in ſignum amoris coniugalis, hac epigraphe: *Concordia filix*: Ex iſtis duabus manibus exurgere ac extolli ſpicas, eſt dicere, Quemadmodum pax producit fertilitatem & ſpicas in terra, vt dixit Tibullus,

„ *At nobis Pax alma veni, ſpicamque teneto*:

„ hac ratione pax in matrimonio producit filios, & magnam nepotum deſcendentiam. Vtrumque ſimul recte iunxit Ariſtophanes in manus Pacis,

„ ——— *Supplicamus Paci*
„ *Dare diuitias Græcis*
„ *Vinumque multum, ficus comedere,*
„ *Haſque mulieres parere nobis.*
„ Propterea Pacem appellauerunt Reginam Sponſalium: Ariſtoph. ibid.
„ *Veneranda Pax*
„ *Domina chororum, Regina nuptiarum.*

Et vere crediderim iſtum Anulum, inuentum in ſepulcro Gaditano, a coniuge fuiſſe cum cadauere coniugis alterius contumulatum. Ego vero non Anulum in ſepulchro dilectiſſimi Filij contumulaui, ſed auro perennius Epicedium Viri Magni, propriamque ponam inſcriptionem huiuſmodi,

D. O. M.

IVL. CALAM. IO: FEDERICO LICETO
Equiti I. Chr. & Com. Pal.
Philoſophiæ Candidato
Mentis acie, animiq. celſitudine mire
conſpicuo:
Vitæ puritate, morum ſuauitate, formæq.
venuſtate cunctis dilecto:
In adoleſcentiæ flore vi malignæ febris extincto
v. Cal. Nouemb. MDCXLII.
FORTVNIVS & IVLIA parentes mœſtiſſimi
Optimo Filio P. P.
Vixit Annos XIV. Menſes III. Dies VII.

In obitum Perilluſtris Equitis, & Comitis Palatini

IO: FEDERICI LICETI F. F.
Summæ ſpei adoleſcentis, qui Patauij
diem extremum obijt,

NÆNIA.

FAma immortalem tumulo non poſſe LICETVM
Condere feralis dum Libitina videt,
Enecat in Nato Patrem: ſi luctus acerbus
Mors ſit, & erepti funus amoris, amor.
Abſtulit hac Iuuenem forma, & virtute decorum,
Vnigenam afflictæ ſpemq. decusq. domus,
Delicium Patris, lumen, columenq. ſuorum,
Et miſeræ Matris corq. animamq. rapit.
Cui Genitor Sophiæ dulces inſeuerat artes,
Dum mouet audaces ad meliora gradus.

Oc-

Occidit ille tamen primæuo flore iuuentæ,
Et cupit extingui nobile Parca Genus.
Sed nihil egiſti crudelibus Atropos armis,
Vno quæ ſperas funere multa ſequi.
Natas Mater habet curarum dulce leuamen,
Sunt Patri docti pignora cara Libri.
Natus in ore virûm viuet: quid Parca ſuperbis?
Tres obijſſe putas, nec tamen vllus obit.

SCIPIO A GRANDIMONTE.

De Anulorum fractione.
Cap. LXIV.

COnſueuiſſe veteres duplicem fractionem anulorum moliri, certum habemus; alteram quidem in morte Principum virorum, aliorumque, ne ſubdole illorum nomine decreta ſignarentur: alteram vero in anulorum ſtructura apud Anularium. De prima quidem luculentum teſtimonium habemus ex (a) Tacito, cui iuſſu Neronis *Petronius Cumis attinebatur: nec tulit vltra timoris aut ſpei moras, neque tamen præceps vitam expulit, ſed inciſas venas, vt libitum abligatas, aperire rurſum, & alloqui amicos, non per ſeria, aut quibus conſtantiæ gloriam peteret. Audiebatque referentes, nihil de immortalitate animæ, & ſapientium placitis, ſed leuia carmina, & faciles verſus. Seruorum alios largitione, quoſdam verberibus affecit. Inijt & vias, ſomno indulſit, vt quanquam coacta mors, fortuitæ ſimilis eſſet. Ne codicillis quidem (quod plerique pereuntium) Neronem, aut Tigellinum, aut quem alium potentium adulatus eſt: ſed flagitia Principis ſub nominibus exoletorum, fœminarumque, & nouitate cuiusque ſtupri perſcripſit, atque obſignata miſit Neroni: fregitque anulum, ne mox vſui eſſet ad facienda pericula. Ambigenti Neroni, quonam modo noctium duarum ingenia noteſcerent, offertur Silia matrimonio Senatoris haud ignota, & ipſi ad omnem libidinem adſcita, ac Petronio per quam familiaris: agitur in exilium, tanquam non ſiluiſſet quæ viderat pertuleratque proprio odio.* Ceterum ad hanc rem facere videtur, quod legitur apud Chriſtophorum Marcellum, Archiepiſcopum Corcyrenſem, in opere ſacrarum (b) Cæremoniarum, vbi agit de Bullis Plumbatorum per Vicecancellarium frangendis. *Vicecancellarius*, inquit, *vt primum Pontifex expirauit, bullas, quibus literæ Apoſtolicæ ſignari conſueuerunt, a Plumbatoribus accipit; & partem illam, in qua literæ cum nomine Pontificis inſcriptæ ſunt, publice & coram pluribus per ipſos Plumbatores frangit, & ad ſignandum omnino ineptas reddit. Aliam vero partem, in qua Apoſtolorum capita ſunt ſculpta, lineo panniculo inuolutam, alligatam, & ſigillo ſuo ſignatam Camerario tradit, & diligentiſſime curat ne aliquæ literæ ſignari poſſint poſt Pontificis obitum.* A quo tempore cæperit hic mos frangendi Bullas Pontificias ſignatorias, mihi compertum non eſt. De pro-

a Annal.

b l. 1. c. 4.

c. Polid. Virg.

propoſito non ita pridem teſtatus eſt mihi Cl. Rhodius, apud Danos contribules ſuos etiam nunc moris eſſe, in morte viri poſtremi nobilis cuiusque ſtirpis anulum illius in funere publice confringi: recte quidem etiam, ne locus alicui fraudi ſit, adulterina teſtamenta, ſuppoſititioſque codicillos anulo defuncti ſignandi. De ſecunda vero fractione Laertius egiſſe videtur inquiens, A Solone cautum prudenter, ne Anularius eius qui anulum vendidiſſet, ſigillum ſeruaret; ad vitandas fraudes, quarum ſeges vberrima e ſuppoſititijs anulis enaſci poterat: nam & Plinius (c) affirmat, æuo ſuo *vt plurimum opum ſcelera anulis fieri*. Lex autem Solonis a Laertio proponitur his notis, *Solon præclare & illud ſtatuit, vt Curator cum pupillorum matre non cohabitet. Cauitque, ne is fieret curator, ad quem poſt pupillorum obitum ſubſtantia ſpectaret. Illud item, Non licere Anulario eius qui anulum vendidiſſet ſeruare ſigillum.* Hic locus obſcurus Cl. Viris negocium faceſſit: Cl. Pignorius videtur longe ſecus Laertij locum proponere, dum ait, (d) *Cauit autem ex Diogene Laertio Solon prudenter, ne Anularius, anuli quem vendidiſſet, ſigillum ſeruaret; ad vitandas nimirum fraudes*. Ego vero neque textus mutationem laudo, neque ſenſum mutatæ ſententiæ recipere poſſum ab amiciſſimo viro: non ne poterat, qui primum fecit anuli ſigillum, Anularius & alterum illi par & conſimile formare? quid vetet Solon illud ſeruari, ſi ſit Anularius homo fraudolentus? verum quia venditus ſibi anulus eſſe poteſt ſurreptitius: & ſeruatum apud ſe, quiſpiam furari poteſt; & quia non niſi mala fide ſibi venditum anulum ſignatorium alterius Anularius ſeruare valet, vt vel per alium eo ſcelus aliquod opum efficiat; ideo recte præripiens Anulario Solon cauſam & ſcelus patrandi, & excuſationem patrati ſceleris in alium ignotum, qui ſibi ſigillum furatus fuerit, Cauit ne Anularius ſeruaret ſigillum eius, qui vendidiſſet ipſimet anulum: ſi ſeruanda ſit Piguoriana lectio. Ceterum verba Græca Diogenis habent, [*KAKEINO DAKTYLIOGLYPHO MH EXEINAI SPHRAGIDA TOY THN PRATHENTOS DAKTYLIOY.*] Quæ vertit H. Stephanus, *Illud item, non licere Anulario, eius qui anulum vendidiſſet, ſeruare ſigillum.* Ego vero verterem ad verbum, *Illud item, Anulario non licere ſigillum ſeruare eius, quem vendidiſſet, anuli.* Niſi facta leui tranſpoſitione dictiunculæ, legamus ad ſenſum Pignorianum, *Illud item, non licere Anulario, qui anulum vendidiſſet, eius ſeruare ſigillum.* Quem ſenſum accepiſſe videtur Cl. Caſaubonus in Notis ad hunc locum ſcribens, *Ratio huius legis erat, ne poſſet [A DAKTYLIOGLYPHOS.] Anularius, alio facto ſimili anulo, fraudem ei facere, cui priorem vendidiſſet.* Sic igitur in duplici caſu propoſito conſueuere veteres anulum frangere, ad euitandas fraudes.

c l. 33. c. 1.

d epiſt. 26

Peroratio totius operis.
Cap. LXV.

HActenus priſcorum Anulorum nomenclaturas, originem ſiue primam inſtitutionem, materiam, formam, effectricem cauſam, atque finalem

multiplicem, ſiue plurimos vſus, proprietates, virtutesque mirabiles, magnitudines, pretia, numerum, geſtatores, Dactyliothecam, depoſitionem, detractionem, amiſſorum ſolemnem hero reſtitutionem, contumulationem in ſepulchris, & denique fractionem. Ad quæ capita mihi viſa ſunt ordine quodam ea redigi poſſe, quæcumque De Priſcorum Anulis afferre queunt Muſæ ſuauiores: quibus recreati, nunc intermiſſa paululum ſæueriora Mineruæ ſtudia repetere iam aggredimur.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

PRO IMPRESSIONE.

Die 3. Auguſti 1641.

OPus præſens cui titulus eſt De Priſcorum Anulis Perilluſtris, ac Excellentiſſimi D.D. Fortunij Liceti Genuenſis in Acadamia Bononienſi Philoſophi Supraeminentis; cuius initium, Quod eloquentiæ &c. & finis, iam aggredimur; fuit pro impreſſione Paduæ viſum, & approbatum, cum in eo nihil contra Fidem, Principes, ſeu bonos mores reperiatur.

Ita eſt, Ego F. Antonius Vercellus a Lendenaria Inquiſitor Generalis Paduæ.

Die 26. Septembris 1642.

Viſa ſupraſcripta atteſtatione conceditur licentia imprimendi Vtini.

Ita eſt, Ego F. Ludouicus de Gualdo Inquiſitor Generalis Aquileiæ, & Concordiæ.

Noi Reformatori dello Studio di Padoua

HAuendo veduto per fede del R. P. Inquiſitor di Padoua, che nel libro intitolato Fortunij Liceti De Priſcorum Anulis non ſi troui coſa alcuna contraria alla ſanta Fede Cattolica, & medeſimamente per atteſtato del Secretario noſtro, che non vi ſi troui coſa alcuna contra Prencipi, & buoni coſtumi, concedemo licenza, che ſia ſtampato, douendoſi oſſeruar quanto per legge in propoſito di ſtampa; con conditione, che non ſia venduto ſe prima non ſarà preſentato vno nella libraria publica giuſta la Parte dell'Eccellentiſſimo Senato de' 2. Decembre 1622.

Dat. a' 7. di Agoſto 1641.

[Zuanne Nani Cau. Proc. Reform.
[Zuanne Peſaro Cau. Proc. Reform.
[Zuanne Grimani Cau. Reform.

Aluiſe Querini Sec.

BIBLIOTECA NAZIONALE V. E. ROMA

Mi Lector errata ſic emendabis.

Pag.15.lin.39.pederoſtem-pæderaſten.23.26.effectus-effectos.23.45.in-
cluderet-includerent.26.34.ære-heræ.36.39.debeât-debeat.36.41.ſuo o.104
argentum.ſub n.104 argenteum.41.6.quo-quorum.42.31.ſimilimum.Tur-
cico.ſimilimum Turcico.45.38.alitum-alithum.47.23.ſuo-ſua.50.23.qui-
cui.50.24.iudicium-indicium.53.40.illa ſum-illæſum.55.2.Petraſanctæ-&
Petraſanctæ.58.43.ferris-ferreis.61.44.fuit-ſuis.62.27.baterantem-blate-
rantem.71.22.operatnes-operationes.74.5.mox-mos.83.17.maio-maiores.
84.37.experimentis;-experimentis comprobari;98.1.eam-ea.98.28.ſculpta-
dele.99.2.vbi-;vbi.100.29.obſeruatio-obſeratio.117.5.ditionem-dictionem.
121.33.calore-calorem.121.37.eſt-aſt.122.11.expulitris-expultrix.124.5.co-
lorique-calorique.130.43.conijcios-conijcias.134.31.ferrum-ferreum.
136.2.ridit-vidit.137.8.Canenſis-Cannenſis.144.9.nolit-noluit.155.9.rea-
les.*adde*.Memini tamen,me quandoque legiſſe,factitatos a veteribus anulos,
quorum geſtatu dormientes præclara, & vera ſomnia viderent.160.26.arce-
arcæ.162.28.aures-nares.165.38.co-eo.169.22.ferro-ferre.170.7.quã-quum.
170.8.Terunt-Ferunt.177.11.Barnidæ-Barniclæ.181.2.videtur.De-videtur
de.181.penult.ternis-terris.184.vlt.vtrunque-vtrimque.185.18.alio-alia.
192.31.clauſis-clauſit.192.38.ſuperiari-ſuperiori.203.11.propinquiorem
& orientaliorem-propinquior & orientalior.207.20.continuæ-continue.
209.42.vtrumque-vtramque.212.6.fecitet-feciſſet.215.30.auſcere-auxere.
217.16.his-is.217.21.etiam-*dele*.218.27.vſus-*dele*.218.34.modo-quomodo.
220.30.hæredes hæredis.221.5.anulus-anulos.221.7.recte-reſte.222.5.igna-
ra medendi cura-non ignara medendi curam.223.16.materia-materiam.
226.penult.circumuertis-circumuertit.228.30.ſimilæ-ſimile.228.40.periſ-
ſet-peperiſſet.233.6.ſeuandos-ſeruandos.242.29.paſci-paſſi.